

DECIMA TERTIA PARS
HISTORIÆ
AMERICANÆ,
QVÆ CONTINET EXACTAM
ET ACCVRATAM DEscriptionem
I. Novæ Angliæ, Virginiæ, Brasiliæ, Guianæ, & insulæ Bermudæ, quarum hactenus exigua & imperfecta notitia habita fuit.
II. Terræ Australis incognitæ, cuius chorographia antehac in nullo Itinerario aut Navigatione litteris tradita.
III. Expugnationis vrbis S. Salvatoris & Sinus Omnium Sanctorum ab Hollandis facta, & quomodo Hispani vrbe & Sinu illo rursus potiti sint.
IV. Novi Mexici, Cibolæ, Cinaloæ, Quiviræ, rerumq; memorabilium, quæ in Iucatan, Guatimala, Fonduris & Panama observatæ sunt, nec non aliquot Anglicarum iis locis coloniarum.
V. Navigationis Hollandorum per vniversum orbem, duce Iacobo Eremita.
VI. Classis Hispanicæ prædivitis ab Hollandis, duce Petro Heinio, in portu insulæ, qui Matanza dicitur, interceptæ.
VII. Vrbis Olindæ de Fernambucco in Brasilia ab Hollandis, duce Henrico Cornelio Lonckio, occupatæ.
ADDITIS PASSIM TABVLIS ÆRI INCISIS, QVIbus jam memoratæ descriptiones illustrantur.
FRANCOFVRTI AD MOENVM,
Sumptibus MATTHÆI MERIANI ciuis & Chalcographi Francofurtensis.
M DC XXXIV.



Lectori beneuolo S.



NON abs re summus eloquentiæ ac sapientiæ magister, Cicero, lib. 5. de Finibus ait: *Tantus est innatus in nobis cognitionis amor & scientiæ, vt nemo dubitare posit, quin ad eas res hominum natura, nullo emolumento inuitata, rapiatur. Videmus, vt pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, aut pulsi requirant, & aliquid se scire gaudeant, atque aliis narrare gestiant.* Quemadmodum igitur rerum cognoscendarum studium ex sententia Ciceronis omnibus propemodum hominibus à natura insitum est: ita illud ipsum in præstantium & fortium virorum animis tantam vim habet, vt illi non contenti aliquid pro se & priuatæ oblectationis atq; vtilitatis caussâ legisse, & ea, quæ in patria sua memorabilia occurrunt, annotasse, etiam in peregrinas, ignotas & longè remotas oras, non sine summo vitæ discrimine, se conferant, & incolarum religionem, politiam, mores, atque instituta explorent. Huic laudabili discendi ac peregrinandi desiderio, quod Deus procul dubio in quorundam heroum & virtute præcellentium hominum cordibus ad commune generis humani emolumẽtum excitauit, hanc historiam Americanam, & regionum hactenus nobis ignotarum descriptionem, quam tibi Lector nunc exhibemus, post Deum, acceptam ferre debemus. Eam autem tibi eò gratiorem & lectu iucundiorem fore confidimus: quia non tantùm regiones, quæ in aliquot partibus antecedentibus, iam antè euulgatis, memoratæ fuerũt, pleniùs atque vberiùs describuntur, sed etiam quædam recens inuentæ, quarum nulla priùs mentio facta fuerat, his commentariis insertæ, & tibi ob oculos positæ sunt. Nam vt omnes aliæ artes atq; scientiæ sedula virorum doctorum inquisitione & meditatione indies magis ac magis è tenebris in lucem producuntur, & ad summum perfectionis fastigium ascendunt: ita regiones atque insulæ procul dissitæ multorum eximiorũ virorum longinquis peregrinationibus ac nauigationibus quotidie magis magisque explorantur & deteguntur. Tradunt viri eruditione insignes, triplicem esse librum, cuius lectione & meditatione ad cognitionẽ omnipotentiæ & sapientiæ diuinæ perducamur, *librum Scripturæ*, qui continet verbum Dei, omnis veritatis fontem, qui nobis rectam viam æternæ salutis consequẽdæ monstrat: *librum conscientiæ*, qui arcano mo-

tu nobis dictat & concionatur, Deum esse iustum iudicem, qui non minus certò quàm seuerè omnia peccata & malefacta aliquando puniet: *librum naturæ*, per quem cælum & terram intelligunt: cuius in hoc opere, quo exteras regiones & longè remotas terras atque insulas descripsimus, non exigua folia nobis proponuntur, ex quibus Dei omnipotentiam, sapientiam, ac singularem prouidentiam in gubernanda hac mundi machina, perspicere ac velut oculis intueri possumus. Quoniam verò in magno nostro Americano opere regionum quarundam, quæ versus Septentrionem sitæ sunt, nempe Noui Mexici, Cibolæ, Cinaloę, Tecoantepeci, Quiuiræ, exigua ac ferè nulla mentio facta est, quamuis consideratione ac commemoratione dignæ sint: iccirco earum descriptionem huic quoque parti inserere, & quæ prioribus deerant, supplere voluimus. Cumq; instituti nostri semper fuerit, atque etiamnum sit, Americanas nauigationes & historias continuare, in hac parte præter mirabilium quarundam rerum, quas Deus per naturam in regionibus istis operatur, enarrationem, tres insignes nauigationes, ab Hollandis diuersis temporibus in Americam susceptas & feliciter peractas adiecimus. Hæc autem omnia luculentis tabulis æri incisis, quarum vnaquæque suo loco apposita est, ornauimus atque illustrauimus, vt nõ dubitemus, hoc opus, quod non exiguo labore ac sumptibus perfecimus & typis mãdari curauimus, tibi, Lector benigne, cui pro modulo nostro inseruire parati sumus, gratum atque acceptum fore. Datum Francofurti 8. Septembr. anno à Christo nato 1633.

Matthæus Merianus,
Ciuis & chalcographus
Francofurtensis.




Islandia
Frislant
C Farewel
The Ile of good fortune
Belle Isle
ENTRIONALIS
Capaschi
Calicuas
NOVA GRA
Marata
NADA
Culiacana
Topira
HISPANIA
MEXICA
270
280
OCEANUS



Hals C.
C. Farewel
I. d. Fortuna
TERRA
CORTEREALIS
NOVA
Canadenses
C. Marco
B. Sauvage
RAN
premier sault
R. d'Ouembequin
I. Primiera
Montan Verde
NALIS
Lobos marin
C. de las Arenas
M A
La Bermuda
C. de S. Roman
Spaniola
GUIANA
Amazones
A M
Chirmoe
R. de las Amazones
Oma
Chochama
Lima

DAS NORDER THEIL DES LANDS
BRASILIEN.
Darinn die fürnemsten Hafen angedeütet werden, als zu Parayba, Pernambuco, Todos os Santos, und andere.



C

Polengio R.

P. dos Busios, o R. Petomi

P. dos Touros

CAP. DE PARAYBA

CAP. DE TAMARACA

Petiguar

Parayba

R. Mongoangape

Gosomantia

P. de Pipa

B. d. Ticicaon

I. d. Mengues

P. d. Lucena

P. dos Francezes

Pedre Furada

C. Blanco

Recife

Ponte

Amonitie

Baterye


New gemachte Hooft

t Riff van S. An


OLIND
9
8
7



OLINDA DE PHERNAMBUCO.
Auf der Reede nach dem Leben abgezeichnet.




OLINDA.






OLINDA DE PHERNAMBUCO.


Auf der Reede nach dem Leben abgezeichnet.





Drucken Landt





HENDRICK CORNELISZ. LONQ ADMIRAEL.

NOORD

Margarita
Frayles
Cola
Testigos
Granada
Tabago
Cotra
C. 3 Puntas
Bocca del Drago
Pueblo
Pta de Galera
Golfo de Curiaco
Comana nueva Cordoba
Taropas Morropado
Trinitat
Pta dlos Blanquisales
Winikebery R.
PARIA
R. Ammacoura
R. Moruga
C. dela Shouer, C. Nassou.
Iwarepice.
Aro Amaia
R. Paryma
R. Wayni
R. Paurema
I. Ottoma
S. Thomas
R. Iwapoi
R. d'Essekebe
R. de Mirara
R. Mabeyca
R. Maycawiny
R. Apary
R. Berbice
R. Curetini
Amapaia.
R. Bariquizemeto
Cassanor R.
As chaques
R. Beta
Catetios.
R. Donne
R. Oborra
R. Ouaiara
Macurewarai.
Muchikeri.
Manoa, ó el Dorado
Rio de Paria Yuyapari, Huriapa, ria Worinoque, ó Orinoque
PARIME LACUS.
Epuremei.
WEST
Arowa

10 20 30 40 50 60 70 80
Englische meilen 20. in ein grad
10 20 30 40 50 60 70
Spanische meilen 17½. in ein grad
10 20 30 40 50 60
Deutsche meilen 15. in ein grad.


S V



NOORDT
Die Landschafft
GVAIANA
Inhaltende Alle die Provincien zwischen dem fluss AMAZONVM und dem wasser YVIAPARI. oder ORINOQVE
C. d'Orange
R. Cassepouri
R. Arykary
C. de Noord
Harrytiahans
LINEA ÆQVINOCTIALIS
Arowaccas pop.
Apehous pop.
Vallen, Storting van't Water
Rio de las Amazones
R. Domilo
R. Flaman
R. de Paulo
R. de Galeta
R. de Sant Marcal
R. Comma
Tatitepera I.
I. Corapa
R. Tapueuru
O. Maranhon
OOST
SUD



[illegible] est insula, quæ quidem ad Americæ fines porrigitur, ab ea tamen freto quodam, sicut Anglia à Gallia, disjungitur: iacet sub 46. & 43. gradu: Hiberniam magnitudine æquat, & insulis versus Occidentem sitis obuertitur. Aërem habet benè temperatum & salubrem: nam maxima eius pars tribus gradibus Austro propior est, quàm aliquot Angliæ loca, nec cæli salubritate atque hyemis lenitate Angliæ cedit. Probè memini, anno Domini 1618. per totam æstatem ex aliquot hominum millibus nullum neque juvenem, neque senem, obiisse, aut graui aliquo morbo correptum fuisse. *Situs illius.*


DESCRIPCION
PARTE ORIETAL
MERIDIANO DE LA DEMARCACION POR LA
CHINA
Cory
Iapon
Canton
TROPICO
Filipinas
Mindoro
Malucas
Borne
gilolo
celebes
Noua Gum
TROPICO DE
Quicquid spacij intra duos ill
nos signatos terra mariq.
nibus detectum, aut dirige
terum, Castiliensibus assigna


Rio de



DECIMÆ TERTIÆ PARTIS AMERICÆ

SECTIO PRIMA:

De Terra, recéns reperta, seu noua Anglia.

Quoniam hæc regio Canadæ aditum ab oris Septentrionalibus Europæ ad fines Americæ patefacit, consultum putaui, hanc nostram historiam ab noua Anglia seu Terra recéns reperta auspicari. Inde, diuini fauoris aura adspirante, paullatim ad descriptionem Virginiæ aliorumq; locorum, quæ in India Occidentali sita sunt, progrediar: & breuitati ac perspicuitati, quantum fieri potest, studebo.

CAPVT PRIMVM.

De Terræ recéns repertæ situ, fertilitate, portubus, fructibus, animalibus, & magna piscium copia.



HÆc Insula, quæ vulgò *Terra nouiter inuenta* appellatur, sita est prope regionem Canadæ, quam Galli Nouam Franciam indigetant, ad angulum maris, & magni fluminis, quod à S. Laurentio nomen habet, ostium sub 46. & 53. gradu latitud. Septentrionalis. Eam primus inuenit Sebastianus Cabotus, eques Anglus, ab Henrico VII. Angliæ rege, año Domini 1497. ad explorandum transitum in Cathaiam per Septentrionem, missus. Hunc postmodum alij Angli sequuti sunt: donec tandem anno Domini 1583. nomine & mandato Serenissimæ Reginæ Angliæ, Elisabethæ, Gumfreius Gilbertus, etiam eques Anglus, hanc insulam occupauit. Ac eo tempore Angli, vt ad nauigationes, quas suscepturi essent, victus & annona ipsis suppeteret, hanc insulam crebro adierunt, & illius commoditate vsi sunt: Anno autem 1610. Iacobus, Angliæ rex, quibusdam nobilibus & mercatoribus, publico diplomate, potestatem dedit eò nauigandi, & insulam sedulò colendi: ex quo factum est, vt vnius anni spatio non exigua hominum multitudo eò se contulerit, & sedem ibi fixerit: sicut postea in sequentibus capitibus vlterius commemorabimus. Cæterùm ex multis obseruationibus & descriptionibus huius insulæ nulla mihi magis probatur, quàm ea, quæ à Richardo Waitborne, belli duce, qui anno 1618. cum multis eò nauigauit, & aliquot annis illic commoratus est, confecta & memoriæ tradita fuit. *Quando & à quo noua Anglia sit inuenta.*

Terra recéns inuenta, inquit, est insula, quæ quidem ad Americæ fines porrigitur, ab ea tamen freto quodam, sicut Anglia à Gallia, disjungitur: iacet sub 46. & 43. gradu: Hiberniam magnitudine æquat, & insulis versus Occidentem sitis obuertitur. Aërem habet benè temperatum & salubrem: nam maxima eius pars tribus gradibus Austro propior est, quàm aliquot Angliæ loca, nec cæli salubritate atque hyemis lenitate Angliæ cedit. Probè memini, anno Domini 1618. per totam æstatem ex aliquot hominum millibus nullum neque juvenem, neque senem, obiisse, aut graui aliquo morbo correptum fuisse. *Situs illius.*

Incolæ quales sint.

Hæc terra incolas habet paucos, eosque agrestes & barbaros, qui nec Deum nec homines reuerentur. Vestitu, moribus, vultu & genere vitæ Indos vicinos, qui in continenti habitant, & à quibus ortum, meo judicio, traxerunt, referunt. Plerique in locis ad Septentrionem & Occidentem sitis degunt, quæ Angli rarò adeunt. Quantum ex consuetudine exigua, quæ mihi cum illis fuit animaduertere potui, ingenio valent, & sunt tractabiles, modò amicè cum illis agatur. In opere faciendo sunt expediti, & laboris patientes. In hac insula multæ vbique amplæ ac commodæ stationes & portus inueniuntur: versus Ortum portus *Trinitatis & Conceptionis*, qui etiam ad Meridiem vsque se extendunt: versus Meridiem portus *Trepassey, S. Mary, Borcell & Plaisante*, qui etiam ad Septentrionem vsque pertingunt. Magnus portus *S. Petri* versus Meridiem patet, & ad Occidentem nonnihil progreditur. Hîc notandum, ingressus viasque horum portuum ferè omnes concurrere: ita vt si Angli ex vno tantum in alium proficiscantur, facillimè ac nullo labore totam insulam obire & perlustrare possint. Ad portus multæ fructiferæ insulæ reperiuntur: adeòque licèt totum terrarum orbem circumnauiges, nullibi commodiores ac tutiores portus, quàm in hac insula, inuenias.

Portuum frequentia.

Portus trinitatis.

Portus *Trinitatis* subest 49. gradui latitudinis Septentrionalis, tria habens ostia nauigabilia, quæ ex tribus magnis fluminibus proueniunt. Hunc portum ex omni parte ambit solum vernantibus pratis & pascuis amœnum: quod si excoleretur, fruges aliaque ad nauigationem necessaria suppeditaret. Hunc portum Angli tenent, in quo etiam magnam vim piscium in suos vsus capiunt. Non procul inde alia insula jacet, quam *Baiam Floriferam* nuncupant, à nullis piscatoribus, propter altas rupes, quæ nauigantibus periculosæ sunt, habitata: quam barbari magna ex parte tenent ac colunt. Nec minùs commodus est portus *Trepassey*, qui subest 46. gradui. Aër illic salubrior & jucundior est, quàm in locis jam memoratis. Tutus est & clausus, propter vada sabulosa: aliquanto magis quàm alij, ad Meridiem vergit, atque imprimis commodus est nauibus, quæ ad *Bumudas* in Virginiam aut alia Americæ loca tendunt. Necesse est enim, vt illæ omnes insulam Trepassey prætervehantur.

Baja florifera.

Portus Trepassey.

Fertilitas soli.

Solum huius insulæ montibus & vallibus lætis cinctum est, quod æstate multas optimas fabas ac lentes, sponte suâ, nullaque hominum culturâ nascentes, profert. Magnam quoque fœni copiam incolæ, æstate, paruo tempore & exiguo labore, colligere possunt. Hîc etiam multa sunt fruticeta, & magnus cerasorum, corylorum, pyrorumque prouentus. Nautas & alios noui, qui tam paruo tempore, vt vix credibile videatur, dolium ijs impleuerunt: nec quenquam audiui ex eorum esu in morbum incidisse. Hîc etiam omne genus herbarum hortensium, vt & rosæ suaueolentes, varij coloris, reperiuntur: nec desunt herbæ salutiferæ, ad medicinam aptæ. Etsi enim vires ac proprietates illarum non exactè nouerim: tamen vsu didici, ac comperi, ægros ex succu earum, quem vino aut cereuisiâ mixtum hauserunt, breui tempore conualuisse. Imò herbæ, quæ locis istis crescunt, non tantùm ad potiones salubriter adhibentur, sed etiam tumoribus & noxiis ac periculosis vulneribus medentur: prout ipsemet vidi, multos succu earum inunctos, sanitati fuisse restitutos. Atque has herbas aliasque plantas terra suis quasque temporibus, absque vllo labore aut satione incolarum, producit: ex quo iudicari potest, quàm fæcunda & rerum omnium abundans sit futura, si hominum manus & diligens cultura accederet. Satis vtique terræ huius fertilitas ex eo cognoscitur, quòd Angli, qui à paucis annis eam colere cæperunt, vberrimam inde variorum fructuum messem, magno cum lucro atque emolumento, reportant. Nihil dicam de raphano, oleribus aliisque similibus radicibus, quas copiosè gignit, vt & de præstanti tritico, cuius semen durum & feracissimum est.

Herbæ ad cibum, serta & medicinam aptæ.

Omne genus ferarũ.

In multis locis huius insulæ cerui, lepores, vulpes, sciuri, castores, lupi & vrsi, tam ad vtilitatem quam voluptatem, magno numero reperiuntur. Vnum meis oculis vsurpaui, quod notatu dignum est.

Cùm Angli aliquando pisces ad littus apparrarent, huiusmodi animalia, atque inprimis aliquot vrsi, magno cum clamore atque vlulatu ex monte descenderunt. Habebam tunc penes me Anglicum molossum, qui illis conspectis ea protinus vehementi cum latratu invasit. Illa verò caudam motantia ei blandiebantur, eoque inter se recepto tamdiu cum ipso colluserunt, donec eum in montem attraherent. Ille demùm post decimum diem illæsus ad nos rediit. Hoc modo noster molossus bis terue cum istis animalibus in siluam excurrit, & semper saluus atque integer ad nos reuersus est.

Variæ aues.

Fert etiam hæc terra falcones, perdices, turtures, & præterea ingentem auicularum multitudinem, quarum nomina mihi nunc non occurrunt, nec omnia mihi nota sunt: vt & lusciniæ aliæque volucres suauiter cantillantes: adhæc vultures, corui, aliæque aues rapaces, quibus hæc ora abundat. Quod attinet ad aues aquaticas, tot & tam excellentes hîc reperiuntur, vt non existimem, vllum in orbe locum esse, vbi similes inueniantur. Quid commemorem anseres, anates feras,

ras,columbas,aliasque aues,quarum hîc numerus est infinitus? Sunt præterea hîc aues,quas Angli *Pinguines* vocant,anseribus quidem non absimiles, sed propter alarum breuitatem, quæ palmâ non sunt longiores, volare nequeunt. Harum auium atque anserum tanta est copia in parua quadam insula,vt inde centenæ ad naues volitent,& in ijs capiantur.Insuper aliæ ibi aues reperiuntur, quas boues & vaccas appellant,ex quibus cibus pro nautis & piscatoribus paratur: quibus etiam pisces falluntur & capiuntur. *Pinguines.*

Nec est,quòd hîc fontes, lacus, flumina, & aquas dulces,quæ passim scaturiunt, desideres. Habent istæ aquæ non tantùm salubrem, sed etiam gratum & jucundum saporem. Ligna ad struendum focum satis superque suppetunt: egregiæ item atque vtiles arbores, præsertim piceæ, ex genere cedrorum & abietum,quæque ad malos,tabulata & plurimos alios vsus idoneæ sunt: quales in Norvvegia nascuntur. Ex his magnam resinæ copiam expressimus & congessimus. Ad summam,qui diligenter hanc terram explorabit & pervestigabit, non tantum has arbores, quarum jam mentio facta est,sed etiam multas alias, fructu atque vtilitate eximias,in ea inueniet. Æris & ferri fodinæ quærentibus largè se offerunt. *Aquæ & fontes dulces, nec non arborum vtilium copia.*

Flumina,riui & portus,optimos &grati saporis pisces suppeditant: quales sunt salmones,anguillæ,haleces,truttæ palato jucundæ,aliaque piscium genera,quæ nobis ignota sunt. Quibus adde limaces marinos,durissimis testis coopertos,& similia. Ad littus ova magno numero ponunt, quibus aues marinæ pascuntur & saginantur.In aquis etiam ceti, delphines atque alij pisces marini,qui sunt coloris sulphurei, natant. *Piscium copia.*

Maximum verò commodum, quod ab hac insula percipitur, ex aqua salsâ prouenit, cuius beneficio neque Hispania,neque Gallia, neque Batauia carere potest. Sunt qui credant & affirment, Batauos ex solo sale, quod hinc auehunt, quinquaginta millia librarum Anglicarum quotannis lucrari. Ex Cantabria & Gallia plurimæ naues ad hujus insulæ fines & in Canadam appellunt. Quidam numerant quadringentas naues,quæ eò quotannis,piscatus gratiâ,vela faciunt. Quòd si certus & constans ordo inter Anglos, qui ad illam insulam, quæ Regis Angliæ imperio paret, colendam mittuntur seruaretur, plus vtilitatis ad ipsos, cum aliarum gentium dispendio, rediret. *Aqua salsa.*

Vt autem de Anglorum nauibus tantummodò loquar,sciendum est, anno 1618. ducentas & quinquaginta naues illic in anchoris stetisse, quæ tantæ magnitudinis erant, vt singulæ sexaginta plus minus onera ferrent. Nam etsi quædam inter illas, minores erant: tamen earum defectum aliarum grandior moles supplebat. Itaque omnibus his nauibus centies quinquagies mille onera portabantur. Nauis autem,quæ sexaginta est onerum, pro ratione & consuetudine recepta, viginti nautis indiget. Secundùm hunc numerum in omnibus illis nauibus quinque millia Anglorum erant. Earum vnaquæque 120000. pisces & quinque cados olei,præter alia,vehebat. Iam si mille pisces quatuor libris Anglicanis, quod est vile admodùm pretium, æstimentur, summa omnium 480. libras Anglicanas conficiet. Vnde patet, quantum emolumenti ex hac insula capere liceat.

CAPVT SECVNDVM.

De supellectile incolarum, & de Sirenibus, quæ illic conspiciuntur.

INcolæ huius insulæ magnam habent copiam *Oakari*, quod est genus vernicis, quo corpora,arcus,sagittas atque etiam naues illinere & colorare solent. Naues eorum propemodùm similes sunt iis, quarum vsus est Londini in Tamesi: nisi quòd aliquanto sunt longiores. Fabricantur illæ artificiosè ex corticibus arborum, & compagines pice inducuntur. Ex quibusdam etiam corticibus vasa conficiunt,quæ ipsis sunt vice lebetum. In ijs coquunt suos cibos: prout Angli quidam anno 1618. viderunt & experti sunt. Nam cùm tres nautæ,qui suas anchoras in littus ejecerant, noctu à barbaris spoliati & vestibus suis exuti fuissent, postero die illi prædones istos persequuti sunt, quos in tribus tentoriis cum nauiculis commorantes inuenerunt. *Barbarorũ supellex.*

Hi audito scloppeti ictu, quamprimùm nudo corpore (caput solummodò pileo & pellibus confecto tectum erat) aufugerunt. Nautæ in tentoria ingressi tres hujusmodi lebetes ex corticibus factos, vt & alios quosdam ejusdem materiæ, sed angustiores atque altiores, nacti sunt. Ibidem multas ceruorum, castorum, delphinum, aliorumque piscium marinorum pelles, nec non diuersi generis carnes repererunt: quæ omnia cum arcubus sagittis,& magna copia *Oakari*, multisque aliis rebus,secum asportarunt,quia barbari sua ipsis eripuerant,& vnam ex nauiculis cum modò dictis arcubus,sagittis & multis pellibus mihi donarunt.

Monstra marina, seu Sirenes. Silentio præterire non possum monstrum marinum, quod anno 1610. vidi. Nam cùm aliquando summo mane ad littus prope portum S. Ioannis starē, Siren summa celereritate adnatauit. Erat illa admodū formosa, & virginem vultu, oculis, naso, aurib⁹, mento, ore, collo & fronte referebat. Crines habebat cærulei coloris, qui ab humeris dependebant. Vt mihi videbatur, veri erant crines: nam monstrū hoc ego & famulus meus, qui etiamnū viuit, diu multumque sumus contemplati. Cùm sarissæ vnius spatio à nobis abesset, adeò sum consternatus, vt illicò retrocederem.



Cùm nos conspiceret, in aquā se demisit, & mox iterum emersit, eumque locum petiuit, quò ad terram appuleram. Procul eam intuenti visa est ad vmbilicum vsque hominis imaginem gerere: inferiores partes piscis formam repræsentabant. A tergo illam non vidi, neque dicere possum qualis ab ea parte fuerit. Idem monstrū paullo pòst ad nauem accessit, in qua erat Gulielmus Hacobridge, tunc temporis meus famulus, nunc centurio in India Orientali. Cùm naui propinquasset, omnibus viribus conabatur in eam insilire. Qua re territi, qui in naui erant, illud fustibus abegerunt. Inde ad duas alias naues se conuertit: cuius conspectu nautæ perculsi, è naui in littus fugâ se proripuerunt. Quoniam igitur de monstris marinis & Sirenibus multa litteris tradita sunt, hæc, quorum ego cum multis aliis testis oculatus esse possum, hoc loco recensere volui. An verò hoc monstrum Siren aut aliquid aliud fuerit, aliis discutiendum relinquo.

CAPVT TERTIVM.

Alia quædam memorabilia de incolis huius insulæ narrantur, & quomodo Angli domicilium in ea fixerint.



Nno 1618. cùm Anglorum coloniæ quosdā ad hanc insulam vlteriùs explorandā misissent, illi non procul à portu S. Trinitatis (qui aliàs barbarorū portus appellatur) in casulas quas-

quasdam incolarum, quæ tamen omninò vacuæ erant, inciderunt. In vna tamen ahenum, togam pellitam, aliquot piscium marinorum, qui Latinis apuæ dicuntur, exuvias, cum vetere velo, invenerunt: quæ omnia suo loco reliquerunt, appositis quibusdam vilioribus mercibus, vt hoc pacto barbaros ad aliquam communicationem & mercium suarum cupiditatem allicerent. Casulæ illæ desuper assulis compactæ, & ceruorum pellibus contectæ sunt; formâ quadratâ, in quarum medio focus accenditur. Duplici vtuntur perticâ piscatoriâ: vna quatuor pedes longa est, ex abiete confecta: altera decem pedum longitudinem habet, ex duobus lignis abiegnis constans. Breuiore, loco pali, vtuntur: longior conti vsum in nauigando ipsis præbet. *Barbarorũ casæ.*

Inde emissarij Anglorum ad portum, qui *omnium Sanctorum* vocatur, venerunt: vbi duas celoces conspexerunt, quarum vna, in qua barbarus erat, candidum vexillum ex pelle lupi confectum manu tenens, ad ipsos admouit. Vexillifer iste magnum strepitum edidit, & vexillum suum vehementer agitauit: quod Angli pacis signum interpretati sunt: ideoque & ipsi candidum vexillum protulerunt, & illis cum naui sua obuiam iuerunt. Barbari, ab Anglis aduentantibus sibi metuentes, fugam arripuerunt: quamobrem Angli, jactis anchoris, substiterunt: quod barbari conspicati, rursus ad eos se conuerterunt. Quo facto, Anglus quidam scaphâ, seu ligno excauato, cum vexillo littus petijt: vicissim duo barbari cum sua celoce similiter ad littus nauigarunt: ex quibus vnus, qui vexillum manu gestabat, illud mirabiliter vibrauit, & habita ad Anglum prolixa oratione, vexillum suum ad ipsius pedes deposuit. Quo obseruato, Anglus idem fecit. Secundùm hæc barbari saltare, tripudiare & cantillare cæperunt, ex quibus vnus Anglo torquem coriaceum, ex quo conchæ marinæ artificiosè elaboratæ dependebant, cum cultro & penna, quam auré gerebat, donauit: alter ipsi sagittam, aculeo destitutam, dedit. Hunc Anglus cultro, alterum pileo & mantili remuneratus est. Tum omnes tres prehensis manibus canere & choreas agere cæperunt. Pòst alius accessit Anglus, cui vnus ex barbaris obuiam processit, & ipsi pariter torquem, vt priori, dono dedit, à quo cultrum & frustulum æris recepit. *Barbarorũ mores & gestus in congressibus.*



Quo omnes quatuor vehementer gauisi riserunt, & varia lætitiæ signa ediderunt. Præ gaudio barbari mox sibi, mox Anglis pectora palmis pulsarunt. Angli nutu ac certis signis petierunt, vt quatuor barbarorum se ad naues comitarentur, ex quibus ipsis cibum & potum præbituri essent: illi verò significarunt, sibi quoque cibum in suis celocibus non deesse. Nihilominus duo ex ipsis ad Anglorum naues vecti sunt, à quibus indusium & mantile, panem item nauticum, butyrum, vuas passas, cereuisiam, vinum igni eliquatum acceperunt. Vnus ex illis, cùm vinum ipsi propinatum exhausisset, in scyphum flauit, magno strepitu edito: mox omnes in cachinnos effusi sunt. Barbari quoque Anglis torques fictiles & similia munuscula obtulerunt. Vnus ex illis, qui postremus ad littus accesserat, contum manu tenebat, cum quo obambulabat. Is cæteris ciuilior erat, & imperium in reliquos obtinere videbatur: cui cum Angli aliquid suorum ciborum præbuissent, ille beneficium hoc sagittâ, quæ aculeo carebat, pensare voluit. Angli eum munere reciproco duodecim ligularum ornarunt. Postquàm barbari cibo potuque cum nostris se oblectassent, vnus ex ipsis ad suam celocem properauit, ex qua carnem ceruinam, Sole aut fumo induratam, attulit: tum cultrum, quem humero ferabat, eduxit, eoque carnem quæ gratissimi saporis erat, in plures particulas dissecuit, & inter omnes distribuit. Alius ad littus procurrit, & radicem è terra extraxit, quam Anglorum primario exhibuit: sed quia terrâ adhuc adhærente immunda erat, quidam eam ex manibus ipsius ereptam probè in littore abluit: quam postea in quatuor frusta diuisam inter Anglos partitus est. Tandem is, qui contum gerebat, candidum vexillum sustulit, quod Anglorum antesignano dedit, nutu innuens aduesperascere: quàm ob causam barbari discesserunt, & ad suas celoces reuersi sunt.

Eorundem statura & vestibus. In duabus celocibus octo homines erant, mediocris staturæ, & conuenientis proportionis. Plerunque nudo capite incedunt, comâ promissâ & crispâ, cirro oblongo, qui à vertice in tergum dependet, & pennis inuolutus atque ornatus est: in fronte cincinnos alunt, quibus itidem pennæ sunt insertæ. Insuper togam ex ferarum pellibus contextam, & ad genua vsque propendentem gestant: à cubito brachia habent nuda, vt & pedes ac tibias: vnum tantummodò vidimus, chirothecis & calceis indutum. Oculis sunt prominentibus, facie fusca: quidam nigros, alii candidos, nonnulli flauos crines gerunt: faciem habent latam, Oakaro tinctam & miniatam: vestes, quas gerebant, ejusdem erant coloris. Ipsi sunt pectorosi, erecto & valido corpore animo intrepido. Nauigia eorum supra descripsimus: quædam ex illis sunt grandiora, viginti circiter pedes longa, & quatuor cum semisse lata, sicut ipsi vidimus. Ab his barbaris Angli pelles diuersorum generum acceperunt, pro quibus ferrum, ligulas & alia quædam minuta ipsis dederunt.

Ex litteris Anglorum, anno 1622. scriptis. In hac insula Angli quatuor aut quinque ciuitates & magnas colonias nunc tenent, quæ compluribus nobilibus, mercatoribus atque aliorum ordinum hominibus ibidem sunt constitutæ. Illi anno 1622. & 1623. inde scripserunt, se tempore messis triticum, auenam, hordeum, & omnis generis fruges, item fabas, quæ sint prægrandes, colligere: imò scribunt, quæcunque ex Anglia eò vexerint, atque illic seuerint, feliciùs, quàm domi, crescere, & meliores fructus proferre. Quid dicam de lætis pascuis & pratis, de hortis amœnis, qui non minorem vtilitatem quàm delectationem afferunt? Sunt etiam illic tempestates anni mitiores & jucundiores, quàm in Anglia. Igitur bene sit illis, qui eò profecti sunt, & terram illam colunt.

CAPVT QVARTVM.

De religione ac ritibus eorum, qui in noua Anglia reperti sunt, atque etiamnum ibidem degunt.



NOua Anglia juxta angulum Canadæ sita est, prout patet ex tabulis Geographicis: quò Angli ab aliquot annis varias colonias deduxerunt. De incolis huius loci aliquid hoc loco commemorare volui, vt Lectorem oblectem, & commoditates, quibus illic frui licet, indicem. Cæterùm quæ hîc narro, ea ex quorundam scriptis, qui ante aliquot annos vixerunt, depromsi. Quod ad religionem incolarum attinet, in ea antehac erratum fuit. Quidam enim, qui exiguo saltem tempore cum illis sunt conuersati, existimarunt, eos nullum Deum colere, sed bestiarum

more

more absque vlla religione & numinis reuerentia viuere. Iam verò compertum est, quòd plures deos colant & adorent: vni autem maximū honorem deferant, quem *Kichtan* nominant, quemque reliquos omnes creasse, ipsum verò à nullo creatum autumant. Kichtan (inquiunt) cælum & terram, mare atque omnes creaturas, quæ illis continentur, ex nihilo condidit, simulque marem & fæminam, à quibus nos, & totum genus humanum originem trahimus. Quomodo autem per totum orbem terrarum tam dissitis locis dispersi fuerimus, ignorant. Principio (aiunt) nullus fuit rex seu *Sachim*, præter Kichtan, qui nutu omnia regebat. Hunc putant versus Occidentem habitasse: credunt etiam, probos post hanc vitam in regnum sui Kichtan transferri, cum amicis & familiaribus degant, atq; omnibus bonis affluant. De impiis ita se sentiunt, quando ad ostium sui Kichtan veniant, & illud pulsent, deum illum ipsis respondere: *Quachet*, hoc est, abite: nam nullus vobis locus in meo regno patet: proinde illos postea in perpetua egestate, labore ac miseria oberrare. Nemo (vt prohibent & credunt) deum ipsorum vnquam de facie ad faciem vidit: nihilominùs seniores multa de eo commemorant, & liberis suis præcipiunt, vt eum colant, ac nepotes & posteros suos in ipsius timore educent. Illum suum Kichtan habent pro bono ac beato Deo: quocirca quando aliquid, quod magni est momenti, consequi atque impetrare volunt, in publico cætu eum inuocant. Similiter quando terræ fertilitatem, victoriam contra hostes, aut aliquid simile contra hostes exoptant, in honorem sui Dei festum diem instituunt, in quo conueniunt, canunt & saltant, atq; ita gratias illi agunt: In eiusdem memoriam, lauream & alia eiusdem generis texunt.

De supremo deo Barbarorum, quē Kichtā vocant, & quid de eo credant.

Præterea aliud idolum, quod *Hobbanock* nuncupant, & ego Diabolum esse arbitror; venerantur atque inuocant. Huic supplicant, quando sunt saucij & graui aliquo vulnere debilitati. Si vulnus sanabile sit, respondet ille dæmon, se eos curaturum, & vulnus illud suâ caussâ ipsis inflictum fuisse, propterea quòd contra ipsum deliquerint: & tunc vulnus breui temporis spatio sanatur. Si vulnus sit lethale, respondet, hoc vulnus ab ipsorum deo irato Kichtan proficisci, ideoq; prorsus incurabile esse. Quæ caussa est, cur ægri & saucij hunc deum non inuocent. Cæterùm dæmon iste Hobbanock variis formis, modò hominis, modò cerui aut aquilæ, plerunque autem serpentis, ipsis apparere solet. Non tamen promiscuè omnibus, sed præcipuis tantum, atque inprimis doctis se conspiciendum præbet. Sunt autem trium generum homines, quos sua consuetudine dignatur. Quod sit nomen atque officium primorum, me sanè adhuc latet: attamen magno in honore habentur, vulgòque creditur, eos ab omni ictu immunes, nulloque telo penetrabiles esse. Alterum genus sacerdotum, *Povvah*: tertium, *Pninse* appellant.

Idolū Hobbanock, quod varbis in morbus, & quando vulnus acceperunt, inuocant.

Eius varia apparitiones.

Officium sacerdotum *Povvah* in eo versatur, vt Diabolum inuocent, & pro ægrorum ac sauciorum sanatione comprecentur. Peractis precibus, plebs eas confirmat, additâ solenni clausulâ, Amen. Interdum, sed rarò, cum sacerdotibus suaue melos inchoant. Hoc genus sacerdotum in sermone liberum est ac promptum, vultu seuero, ac precibus pro ægroto conceptis, mirabiles & tetricos gestus adhibet. Si æger ex vulnere laborat, operam dat, vt illud repurgetur, & sanies educatur: quapropter, si sit sanabile, serpens, aut *VVobsacuck*, hoc est, aquila, quæ humero ipsius insidet, illud lingit & exsugit. Sacerdos verò quemquam sibi tunc adesse non patitur, & sibi omnem medelam attribuit. Quòd si æger alio aliquo morbo conflictetur, certum & infallibile sanitatis signum esse censent, si subdolus iste dæmon decumbentem adeat, & quacunque forma se ipsi conspiciendum præbeat. Et sicut olim Apollo Delphis, & Diana Ephesi sua templa habebant: sic dæmon iste certis locis ab idololatris inuocatur. In precibus, quæ pro ægro ad illum funduntur, pelles, lebetes, secures, serta, cultri, aliaque multa huic dæmoni vouentur, si æger pristinam valetudinem recuperet: an verò postea vota exsoluantur, mihi non cōstat. Alias ipsorū cæremonias multoties vidi: ac licet eos sæpè melius informare atque erudire studuerim: tamen ab hac idololatria ac Diabolicis imposturis auocare non potui. Quidam ex ipsis promiserunt, se effecturos, vt Diabolus visibili formâ mihi appareret: ideoque aliquam apud eos moram feci: præsertim cùm sacerdos Povvah aduentare nunciaretur. Sed nihil vidi: & alij quidam, nostris præsentibus, asseruerunt, eum nunquam apparuisse. Quando mulieres parturiunt, sacerdotem Povvah aduocant: tametsi plæræq; mulieres tantis sint viribus, vt facillime pariant: adeoq; triduo post partum, etiam hyberno tempore, puerpera cum infante nauigio & aquis se committit. Diis suis crebra sacrificia offerunt, & in quibusdam casibus, suismet liberis non parcunt. Multis in locis, etsi finitima sint, magna cæremoniarum ac rituum sacrorum diuersitas cernitur, quidam etiam hodierno die idolo suo Kichtan non omninò fauent. Fuerunt, qui me audiente, conquererentur, deum suum Kichtan ante paucos annos in multò maiori pretio fuisse, quàm nunc sit. Incolæ, quos *Nanohigganfates* vocant, cæteros superstitione vincunt. Hi diis suis amplam & splendidam domū exstruxerunt, quam nemo nisi sacerdos, intrare audet, præterquàm semel in anno, & festo quodam solenni, quod omnibus notum est, & quo diis suis ex facultatibus

De sacerdotibus Povvah, & eorū officio.

Gestus, cæremoniæ & mos eorundem.

Facilis partus mulierum.

quas ha-

Barbarorũ donaria. quas habent, ea afferunt, quæ in re familiari maximi faciunt: qualia sunt lebetes, pelles, secures, serta, cultri, & quæ sunt huiusmodi. Tunc in media illa domo magnus ignis accenditur, in quem Sacerdos donaria coniicit, atq; in cineres redigit. Ad hoc sacrificium quilibet confert, quantum potest: atq; is reliquis præfertur, qui plura & meliora attulit. Hoc genus sacrificij vicinis incolis admodum placet: quo nomine optant, vt sui Sachini seu reges idem in suis regnis imperent. Nam quodam tempore cùm pestifera lues passim sæuiret, soli *Nanohigganſates* ab ea immunes fuerunt: quod huic religioni & sacrificio acceptum tulerunt.

De equitibus & fortitudine bellica excellẽtibus viris, qui Paniesen dicũtur. *Panieseri* sunt viri sapientiâ & fortitudine præstantes, quibus (vt fertur) fraudulentus ille Satan crebrò apparet, atq; vt verisimile est, fœdus cum ipsis paciscitur, ne à sagittis, cultris, securibus aliisq; armis lædantur: ideòq; sibi & aliis persuadent, ictum quemcunque nullam in se vim habere: & quamuis omnes in bello sua corpora eodem colore imbuant, ita vt ægrè dignosci possunt: tamen se inuicem optimè norunt. Mortem non reformidant, & prælium tam animosè ineunt, vt vnus eorum centum ex reliqua turba facilè in fugam agere possit. Apud vulgus & quoscunque alios magno sunt in precio: à regibus ad consilia & deliberationes adhibentur: nec ipsis inconsultis vllum bellum aut graue negotium suscipitur. In bello ad legionem prætoriam assumuntur, & nusquam reges eunt, nisi horum aliquot in suo comitatu habeant. Plerique sunt proceræ staturæ & magni roboris, inediæ, laborum, ac tempestatum patientes: ciuilitate, humanitate & ingenio reliquos incolas superant: cædes, mendacia aliaq; flagitia auersantur: honoris & existimationis suæ maiorem rationem habent, quàm Christiani. Et ne bello inclytus ipsorum ordo pereat,

Exercitatio iuuentutis, & cõseruatio ordinis Panieserorum. optimos ingeniosos & maximæ exspectationis pueros eligunt, quos à teneris ad laborem & operosas exercitationes assuefaciunt, iisq; varias viuendi regulas præscribunt, nullo ad otium & ignauiam tempore concesso, nec permittunt vt delicatis cibis vescantur, aut genio indulgeant. Quando ad senectutẽ peruenerunt, quo tempore Diabolus ipsis certâ formâ apparet, *Sentrionis* aut amarissimæ cuiusdam herbæ succum ipsis ingerunt, donec ille vomitum cieat: quem catino excipiunt, & iunioribus bis terue hauriendum præbent. Eo natura ipsorum ita debilitatur, vt tandem sanguinem mittant, viribus vsque adeò fractis & prostratis, vt neq; incedere, neq; stare aut cubare possint. Tum in locum vmbrosum auferuntur, periculo facto, an fortes ac patientes sint futuri. Quinetiam baculis tibias eorum percutiunt, & per ludimagistros eos cedunt, vt nudis pedibus per vepres ac sentes incedant, & cutem pungant ac lædant. Hoc modo indurati, ministerio præfecti sui, hoc est, Diaboli, se addicunt.

Barbarorũ reges & principes. Nomen *Sachum* non modò regibus, sed etiam aliis principibus tribuitur. Horum sunt multi, qui sub imperio & tutela regum viuunt, iisque tributum annuum pendunt. Non fas est ipsis absq; regis venia bellum mouere. Vnusquisque eorum sedulam & paternam viduarum atque orphanorum, qui pauperes & ab amicis derelicti sunt, curam gerunt. Nemo ducit vxorem conditione se inferiorem, ne genus suum per huiusmodi vxorem vilescat & contumeliâ afficiatur. Etsi verò multas vxores & concubinas alant: tamen omnes primæ ac supremæ parere & subesse coguntur: & illa, consentiente marito, reliquas concubinas dimittere atque abigere potest: sed maritus à prima vxore nunquam diuertit.

Quod ad regimen ipsorum attinet, illud non est electiuum, sed hæreditarium. Si verò rex decedat, & filium aut filiam minorennem relinquat, regnum per aliquem ex proceribus administratur, donec defuncti regis relictus hæres plenam ætatem assequatur. Principes ac dynastæ suarum ditionum qualitatem probè cognitam & perspectam habent. Si quis animum ad agriculturam applicare velit, certa agrorum portio ipsi à domino assignatur. Quando aliquis subditus in sui domini territorio feram aut aliud animal capit, quartam partem illi tradere tenetur: si quid in aquis & mari piscetur pellis domino debetur. Sachini plerunque terminos & magnitudinem suæ ditionis ignorant. Omnes viatores & peregrini sub tectum Sachini recipiuntur. Quando adueniunt, cuidam ad hanc rem ordinato declarent oportet, quamdiu illic commorari, & quónam postea proficisci velint. Tunc omnes admittuntur, & singuli pro sua conditione tractantur. Quicunque sint, tantum illis subministratur, quantum sufficit.

Vectigal & tributum quod à subditis penditur. *Panieseri* plebem quotannis semel admonent, vt regi certam frumẽti mensuram afferant: quo mandato publicato, subditi in agro prope Regis aulam magnos frumenti aceruos comportant, adstantibus *Panieseris*, qui regis nomine omnibus debitum vectigal vltrò ac liberaliter pendentibus gratias agunt. Tandem rex ipse prodit, qui non tantùm obsequium subditorum morigerorum laudat, sed eos etiam magnis præmiis afficit.

Visitatio & cura ægrotorum. Ægrotos amici quotidie inuisunt: propinqui autem & consanguinei ipsis inseruiunt, nec ab iis discedunt, antequàm vel conualescant, vel moriantur. Mortuos aliquandiu lugent, idque singulis diebus, manè & vesperi: imò amicorum obitum tam lugubri carmine deplorant, vt peregrini, qui illud audiunt, lachrymas continere non possint. Sin autem ægroti sanitati restituantur, amici frumen-

frumentum & alia dona afferunt, quibus sumtus in morbo factos sarciunt. Festum quoque peculiare eam ob caussam instituunt, in quo se cibo potuque & cantu recreant: quod festum *Commoco* appellant. *Gratitudo pro recuperata valetudine.*

Mortuum storeæ inuoluunt, postea que sepeliunt. Si sit rex, sepulchrum palis circumdant, & omnes res ipsius pretiosas in illud coniiciunt. Si sit puer, omnem ipsius ornatum pater vnà cũ eo terræ mandat, & in testimoniũ luctus caput obnubit. Si maritus aut vxor è viuis excedat, tegmẽ, quo domus cooperta est, amouent, & illud mortui sepulchro imponunt, & larem cum supellectile aliò transferunt *Sepultura & luctus barbarorũ.*

Viri operam dant venationi, & iaculando se exercent: interdum etiam piscibus capiendis intenti sunt. Fæminarum officium est, vt rem domesticam curent, neq; ea solum peragant: quæ ad familiæ administrationem pertinent, sed etiam alia munia obeant. Tempore messis prouident, vt frumentum omne ex agro, quem possident colligatur, & domus annonâ instruatur: alia præterea officia viliora, quæ seruorum & ancillarum propria sunt, ipsis incumbunt. Iuniores ætate prouectos summo honore prosequuntur, & in eorum conspectu suis defunguntur laboribus. Iuuenes & virgines comam aliter componunt, quàm viri aut mulieres, ex eoq; iuniores à senioribus, cælibes à maritis, virgines ab vxoribus discernere promptum est. Nemo pro viro habetur, nisi aliquid præclari agressus sit, & præstiterit. Viri Nicotianæ fumũ affatim hauriunt: quod pueris & iuuenibus vitio vertitur. Nomina eorum sunt diuersa, & singula aliquid peculiare significant. Quando virilem ætatem attigerunt, ea mutant, & noua sibi nomina, ex re aliqua fortiter gesta, imponunt. *Officia virorum ac mulierum.* *Reuerentia iuniorum erga seniores.* *Discrimen inter maritos & calibes.* *Mutatio nominum.*

Quando virgo nuptias celebrat, capillos resecat, & interea redimiculum gestat, donec illi iterum crescant. Mulieres sunt ingenio & moribus planè diuersis. Quædam adeò sunt modestæ, & verecundæ, vt adstantibus viris non loquantur: quæ est nota pudicitiæ & castitatis: aliæ sunt animosæ, audaces & plerunque meretrices. Si qua mulier durum & austerum maritum habet, quem nulla ratione inflectere & sibi conciliare potest, ad hostes profugit, à quibus benignè & humaniter excipitur. Nam vbi mulierum est frequentia, ibi maior quoque est rerum copia, & penus locupletior. Quando mulier in menstruis est, secedit in locum quendam solitarium: illis liberata, abluit se cum omnibus, quæ attigit, & domum reuertitur. Maritus vxorem propter adulterium percutere, & cum ea diuortium facere potest. Sunt inter eos scorta illustria, quæ aut viduæ sunt, aut thori expertes puellæ, aut fæminæ propter adulterium exactæ. Nam vir quamuis infimæ sortis, non patitur vxorem scortari aut adulterium committere. *Virginum & mulierũ ingenia ac mores.*

Quæ ad politica attinet, *Sachnius* ipse partes contendentes audit & examinat: quo facto sententiam pronunciat. Grassatores prima vice publicè puniuntur.: deinde fustibus à Sachino cæduntur: tertiò nasus ipsis cultro finditur, vt tanto melius ab omnibus noscantur, spernantur ac repellantur. Homicida capitis supplicio afficitur. Sachnius seu rex non modò sententiam fert contra reum, sed eandem ipse exequitur, si præsens sit: si absit, carnifici cultrum tradit. Si reus fuste solummodò ac verberibus coercendus est, solus Sachnius hanc de ipso pænam sumit. Tunc reus in genua procumbit, & nudo corpore verberibus malè multatur: dum cæditur, nullum signum doloris edit. Turpis enim existimant, huiusmodi pænam absque gemitu & lamentis non sustinere, quam scelus aliquod perpetrare. *Pœna maleficorum furum & homicidarum.*

Vestitus ipsorum huiusmodi est. Tibialia & caligas ex pellibus ceruinis confecta gestãt. Calceis ex eodem corio vtuntur. Loco pallij pellem ceruinam superinduunt, in quam se quodammodo inuoluunt. Hoc habitu peregrinantur & iter faciunt. Domum redeuntes, tibialia & caligas exuunt, & aquam ex iis exprimunt, si fortè pluuiâ fuerint madefacta. Eadem postea perfricando molliunt, & vsui rursus apta reddunt. Vestibus exuti, linteolum corpori appendunt, vt pudenda tegant. Hyeme pellem vulpinam dextro brachio iniiciunt. Fæminæ genua funiculis cingunt. *Habitus & vestitus incolarum.*

Incolæ huius regionis admodùm sunt ingeniosi & chronologiæ periti. Lunam secundùm phasmata ipsius discernunt, & annum in hyemem & æstatem diuidunt. Stellas quoque destinguunt, & nomina earum tenent. Boream vocant *Maske*, hoc est, vrsum, & ventis varia nomina imponunt. Tempestates & serenitates ex cæli aspectu prædicere solent, & rarò fallunt. Fatentur etiam, quosdam inter ipsos esse, qui tempestates ciere norint: qua arte vtuntur, quando cum hostibus dimicare volunt. Hostes in ædibus ipsorum obsident: & quando inimicitias cum quibusdam exercent, diligenter vigilant ac sibi cauent. *Astrologia & magia gnari sunt.*

Idioma habent copiosum, luxurians & perdifficile: ita vt Angli, qui multis iam annis *Idioma barbarorum.*

annis illic diuersantur, id nondum calleant: tametsi barbaros loquentes probè intelligant, & ope quorundam, qui apud ipsos commorantur, tantum didicerint, vt sermonem cum ijs conferre, & sensa animi exprimere possint. Habet hoc idioma istud singulare, vt licèt barbari se mutuo facilè intelligant, mille tamen apud ipsos sint genera loquendi, quibus vnam eandemque rem diuersimodè efferunt.

Modus historiæ obseruandæ, & ad posteros transmittendæ.

Loco historiæ & notationis temporum hæc monumenta erigunt. Vbi magnum aliquod prælium commissum fuit, aut aliud aliquid memorabile accidit, illic profundam foueam fodiunt: & quando viatores prætereuntes interrogant, quid illa sibi velit, narratur ipsis, quid eo loco gestum sit, & idipsum ad posteros transmittitur. Si contingat, vt fouea illa rursus impleatur, aut spontè corruat, omnes, qui istud vident, aut illac transeunt, quamprimùm operam nauant, vt ea rursus euacuetur & expurgetur: tam studiosi sunt memoriæ prætoritorum, quæ alicuius momenti sunt, conseruandæ, & ad posteros propagandæ. Ex eo fit, vt res antiquas & memorabiles in recenti habeant memoria, & illæ vulgò quoque innotescant: ad hæc inter eundum, monumentorum hujusmodi consideratio tædium itineris discutit.

Situs & conditio huius regni ac regionis.

Hanc regionem, quam Angli nunc ab aliquot annis nouam Angliam nuncupant, quidam partem Virginiæ esse arbitrati sunt: qui tamen ab Indis meliùs edocti sententiam mutarunt, & eam peculiarem esse insulam statuunt. Nam Indi asseuerant, quasdam naues Batauorum & Gallorum per mare inter hanc insulam & Virginiam transvectas esse. Ac licèt Virginia 150. tantùm milliaribus inde distet: tamen de *Povvhatan* seu magno rege nihil prorsus inaudiuerunt, nesciunt, Anglos in illam insulam colonias deduxisse. Quapropter omninò credunt, hanc peculiarem esse insulam, mari vndique cinctam, ad quam nauibus suis peruenire nequeant.

Qui hanc regionem vtcunque explorarunt, censent, aërem hîc æquè salubrem esse, atque in veteri Anglia: & non minùs hîc, quàm illic, ningit, pluit, ventorumque, æstus & frigoris eadem est vtrobique vicissitudo. Ipsimet Angli perhibent, nullum in orbe terrarum locum hoc sibi meliùs conuenire. Quamuis etiam initio & primis annis arcta ipsis esset annona: tamen sani & incolumes permanserunt. Breuissimus dies tempore Brumæ duabus horis longior est, quàm in Anglia: contraque longissimus in æstate tanto est breuior.

Soli vbertas.

Solum dissimile est: in quibusdam locis arenosum, siccum, alibi pingue. Incolæ genus frumenti habent, quod *Ginny*, hoc est, triticum, vocant: & illud magno labore serunt. Angli verò exiguo & non molesto labore triticum, hordeum, fabas & avenam seminant, ex quibus suo tempore messem colligunt vberrimam. Vbi solum est macrum, illud stercorant, & piscibus superinjectis pinguefaciunt, quos per quatuordecim dies noctu atque interdiu custodiunt, ne lupi eos deuorent, priusquàm computruerint. Abundat hæc regio amænis pascuis & pratis, & magnâ omnis generis fructuum, florum, herbarumque copia, ex quibus incolæ parem cum vtilitate voluptatem capiunt.

Quinque jam sunt illic Anglorum coloniæ, quas quotannis renouant atque augent. Multas ibidem munitiones, ædes & aliquot pagos exstruxerunt. Dici non potest, quantum lucrum quotannis ex piscibus & pellibus ferinis non modò barbari atque incolæ, sed etiam Galli & Batavi, qui eò nauigant, faciant. Etsi verò Angli nunc imperio huius regionis potiantur: tamen varia ipsis bella & certamina cum barbaris, aliaque incommoda, ab vltimo eorum aduentu, exantlanda fuerunt: quæ omnia hoc loco commemorare, nimis prolixum ac tædiosum foret.

Qui verò de iis aliquid cognoscere cupit, is librum à strenuo & verace harum rerum exploratore, Dn. Samuele Purchasio, Anglo, conscriptum, part. 4. lib. 10. cap. 6. euoluat: vbi horum barbarorum ingenia, mores, insidias, necnon rationem, quam Angli in occupanda hac regione sequuti sunt, accuratè & fusè describit: vbi etiam animalia, fructus & genium loci graphicè depingit.

Monstrum Mosse.


Non possum, quin hoc loco monstri cuiusdam, quod incolæ *Mosse* vocant, mentionem faciam. Frequens est illud in vicina insula, quæ *Mount-Mansell* dicitur. Magnitudine boui non cedit: caput habet ceruino simile, cornua lata, quæ quotannis abjicit, collum gracile, & villos oblongos, quibus dorsum ad caudam vsque obtegit. Toto etiam corpore pili sunt fruticantes, qui ephippiariis vsui esse possent. Guttur ei est amplum & rotundum: pedes sunt longi & bouillis similes: caudam habet paullò longiorem, quàm cerui. Coloris est fusci: ex pelle ipsius firmæ & durabiles vestes conficiuntur: caro est edulis, & grati saporis. Hoc etiam animal non ineptum esse reor ad onera portanda. Barbari nostri hanc insulam semel quotannis adeunt: & quando hoc monstrum capere volunt, rogum vndique struunt, vt insula tota igne, velut muro, cincta videatur: tunc animal istud in mare agunt, & jaculis alijsque telis conficiunt.

Varias



Varias atque inprimis triplices habent vuas, quarum nonnullæ dulcis & jucundi sunt saporis. Hîc etiam crescit linum, sericum diuersi generis, olus, pix, resina, pinus, cedrus, quercus, castanea, vlmus, prunus, & aliæ arbores magno numero. Cerui, qui hîc reperiuntur, diuersi sunt generis. Quidam binos, alij ternos, alij quaternos fœtus edunt. Mare omnis generis piscibus abundat: terra multas aves, & inter eas perdices, cygnos, anseres, columbas, gallinas variegatis pennis procreat. Insuper regio hæc alijs fertilissimis insulis cingitur, & multos habet commodos portus. Sed de his satis. *Vua varia.* *Cerui diuersorum generum.*

De noua Scotia nihil certi accepimus, nisi quod sit regio fœcunda. Adjacet hæc Scotia nouę Angliæ, & anno 1622. inuenta fuit: quæ vt tanto meliùs & citiùs excoleretur, Serenissimus rex Angliæ diplomata in eam rem impertiuit. Sequenti anno nouæ Scotiæ nomen ei indidit, sanxitque, vt regno & jurisdictioni Scotiæ subesset: quocirca etiam ijsdem, quibus Scotia, legibus regitur. De ea referunt, qui inde redierunt, cultui & sationi aptam esse. Quocirca Angli aliquot nauigationes eò instituerunt. *Noua Scotia.*



SECVNDA SECTIO,

Quæ continet ampliorem deſcriptionem Virginiæ.

In prima parte huius hiſtoriæ Virginiam à primo eius ortu & incunabulis deſcripſimus. Quemadmodum igitur infans, quo magis ætate progreditur, eo maiores ingenij & corporis vires acquirit: & ſicut experientia nuda ſpeculationi & meditationi præferenda eſt: ita vt hæc hiſtoria fiat plenior & perfectior, aliquid, quod nos dies & vſus docuit, ſuperioribus attexemus.

PRIMVM CAPVT.

De natura & conditione huius regionis, de fluminibus & incolis eiuſdem, atque horum diſcrimine.



Irginia maxima & ampliſſima eſt inter regiones Americæ, iacetq; ſub 34. & 44. grad. latitudinis Septentrionalis. Verſus Ortum habet Oceanum, qui totam terram ambit: verſus Meridiem, Floridam: verſus Septentrionem, Nouam Franciam: verſus Occidentem limites etiamnum ſunt incogniti. Non eſt animus hac vice totam regionem & eius conditionem deſcribere: ſed tantùm eam partem, quam Angli ab anno 1606. magno labore & ſtudio explorarunt. Aër hoc loco temperatus eſt, ſicut in Anglia. Quãuis enim ij, qui eò ſunt profecti, omnia initio confuſa inuenerint: tamen præter opinionem proſperâ fortunâ & valetudine vſi ſunt.

Natura huius regionis. Hyems acris & vehemens eſt; ſicut in Anglia & Gallia: æſtas ferè talis eſt, qualis in Hiſpania. Menſibus Iunio, Iulio, Auguſto, maximus eſt æſtus, quem tamen Zephyrus nonnihil mitigat. A medio Decembri vſque ad medium Martium hyems maximè ſæuit. Tunc frigus eſt aſperum: ſed non diu durat. Nam quod nimis eſt intenſum, durabile non eſt. Intolerabile gelu, quod anno 1607. in Europa ſenſimus, tùnc etiam in Virginia vires ſuas exeruit. Aliis annis frigus & calor vnoquoque octiduo alternant. Venti ſunt inſtabiles & incerti: nec tale tonitru tantumque fragorem in Europa, ſicut in his oris, vnquam audiui. Ventus ab Occidente, quem Caurum vocant, eſt frigidus, & ſerenitatem affert: qui flat à Septentrione, penetrabile frigus ſpirat: Ventus ab Oriente, quem Vulturnum appellant, pluuias & nubes ſecum vehit: interdum nulla, interdum copioſa hic eſt pluuia: nimia tamen ſiccitas aut humiditas non conducit. Solum, ſi diligenter & tempore opportuno colatur, per ſe ſatis eſt ferax.

Vnicus ad eam acceſſus. Ad hoc magnum & amplum regnum vnus tantum acceſſus patet, nempe per mare, per quod naues in latiſſimum portum inuehuntur. Nam latitudine viginti milliaria complectitur, duo habens ab vtroque latere magna promontoria, quæ à duobus regibus Angliæ nomen ſortita ſunt. Vnum Henrici, alterum Caroli promontorium vocatur. In & ante hoc oſtium aliquot inſulæ iacent, quæ à forti & præſtanti duce, Iohanne Schmid, qui Virginiam vltro citroque peragrauit, & à quo res maximè memorabiles accepimus, *Schmidii inſulæ* appellantur. Si in hanc regionem, Lector, venires, verum terræ paradyſum videres. Illæ enim omnes Europæ atq; Americæ regiones, amænis & nauigabilibus fluuiis ſuperat. Præterea montibus egregiis & excelſis, vallibuſq; depreſſis, quæ limpidis aquis irrigantur, commendabilis eſt: omnia autem in ea tam pulchra & eximia ſunt, vt non iniuria quiſpiam dixerit, Deum hominibus in hac regione velut artificioſam quandam totius mundi epitomen ob oculos ponere voluiſſe. Ad hunc portum multæ ſunt paruæ inſulæ non habitatæ, & arboribus plenæ, ita vt ſpeciem ſiluulæ cuiuſdam præ ſe ferant. Hic portus à Septentrione verſus Meridiem porrigitur, ibiq; fluxus maris ad ducenta vſq; milliaria aſcendit, & ſinum efficit, qui vt minimùm duodecim milliaria in latitudine patet. A principio ſeu fonte huius portus verſus Septentrionem ardui montes exſurgunt, ex quibus multi amnes, & inter eos quinque nauigabiles fluuij promanant.

Montes

Montes sunt diuersi generis & naturæ: quidam marmore & crystallo abundant. In hyeme multa niue sunt cooperti: solum fert omnis generis plantas: item bolum Armeniacum & Terram sigillatam: auro & aurifodinis non destituitur. Quamuis autem incultum sit: tamen feracissimum esse, ex proceris arboribus, & herbis spontè nascentibus apparet. Præter montes iam dictos, amænas & frugiferas valles habet, inter quas puræ aquæ rivi decurrunt, non sine magna spectantium voluptate: nihilq; aliud huic regioni, quàm diligens cultura, deest. Planities nullæ sunt, præter eas, quas barbari tenent & incolunt. **Montes & valles.**

Ad latus Occidentale quinq; amnes labuntur, in quorum ripa multi incolæ huius regni habitant. Amnes isti omnes intra quindecim milliaria in portum influunt. Primus amnis, qui prope principium portus in eum se exonerat, ab accolis illius tractus *Povvhatan* appellatur, & centum ac quinquaginta milliaribus nauigabilis est: vlteriùs propter altas rupes & profundas vorагines progredi non licet. Ab occidente inter præruptas rupes exoritur, vbi quidam populi, *Moracau* dicti, consident. Inde procurrens, multos alios amnes excipit, à quibus in immensum augetur. À Meridie fluuius *Amatuck*, ab Oriente, *Zuiyougkcohanoche*, cum aliis fluuiis, à Septentrione *Chickahamania*, ad quem vrbs *Iacobus*, quam Angli condiderunt, sita est, in eum illabuntur. Sunt alij præterea multi amnes, vtilitate insignes, qui, sicut venæ per corpus, ita per regionem illam se diffundunt, & eam irrigant: quo fit, vt multa illic prata, pascua & agri frugiferi inueniantur. Ad horum amnium ripas diuersi plerunque populi habitant. Præcipuo autem loco rex & dominus ipsorum, quem *VVerovvances* vocant, domicilium habet. Locus, quem Angli sibi delegerunt ad vrbem, quam dixi, ædificandam, in peninsula situs est, in qua aliquot VVerovvances commorantur. **Fluuius Povvhatan.**

Magni istius fluuij, quem dixi, ripæ ab hominibus vbique insessæ sunt. Qui ad ostium illius habitant, *Cecougktani*, appellantur, & præter vxores ac liberos, viginti tantùm milites habent. *Paspages*, vbi Anglorum colonia est, quadraginta ab ostio milliaribus absunt, & totidem milites alunt. Ab eodem ostio fluuius *Chickahamania* ducentis, *VVenecki* centum, *Arovvbatocki* triginta, *Povvhatan* quadraginta milliaribus distat. Versus Meridiem huius fluuij plagam *Appamatucki*; multiq; alij colunt, quorum nomina referre nihil attinet. Omnibus istis locis rex aut primarius aliquis ex nobilitate imperat: exceptis Chickhamanianeris, in quos sacerdotes aut seniores *Cavv Cavvassoughes* imperium exercent. Hic fluuius æstate plenus est acipenseribus: hyeme, aliis auibus. Vno piscatu aliquando sexaginta octo acipenseres: aliquando quinquaginta duo capti fuerunt. A mense Maio vsque ad Iunium sunt minores nempe bipedales. In his omnibus fluuiis, de quibus tributum penditur, minores pisces diuersorum generum toto anno, quantum satis est, capi possunt. **Incolæ iuxtà fluuios.**

Quatuordecim milliaribus à Povvhatan, secundus fluuius, *Pamaukes*, labitur, in quo per sexaginta milliaria maioribus, per viginti autem minoribus nauigiis & lembis nauigare licet. Ab vtraq; huius fluuij ripa diuersi reges & populi habitant. Tertij fluuij nomen est *Toppahanock*, qui per centum & triginta milliaria nauigabilis est. Vtramq; ripam quatuor diuersi populi incolunt. Piscium & volucrum magna hîc est copia. Quartus, *Patavvomeke*, apud ostium septies mille passuum latitudinem habet, centum & quadraginta milliaribus naues ferens. Quintus, cui *Pavvtuxunt* nomen est, omnium minimus est, attamen valde profundus. In eo multæ conchæ, & plures, quàm in aliis, reperiuntur. Huius fluuij ripam tenent populi *Acuintanachsuach, Pavvtuxunt & Mataponient*: quorum etsi non vsque adeo magnus sit numerus, tamen perstat inter eos concordia: & sunt illi in victu, potu & recipiendis peregrinis multo, quam cæteri, ciuiliores. **Secundus fluuius Pamaukes. 3. Toppahanock. 4. Patavvomeke. 5. Pavvtuxunt.**

Circiter triginta milliaribus versus Septentrionem alius fluuius labitur, quem Angli à rubra terra, quæ bolum Armeniacum producit, *Bolum* appellarunt. Hic fluuius rates vehit, & prope ostium latitudine est septies mille passuum: cæterùm incolis caret. In eum quatuor amnes, qui sunt vectigales, se exonerant: eorum tres ex vicinis montibus oriuntur: quartus à Septentrione emergit, & tridui itinere in Bolum influit, è montibus & rupibus prosiliens. Ripam eius occupant *Sasquesahanches*, quorum metropolis mille circiter passibus inde distat. Ad explorandos hos populos duodecim viri, inter quos tres nautæ, reliqui nobiles erant, nauim, duorum onerum capacem conscenderunt. Ac licet aër tunc nubilus ac niuosus esset: tamen iter ingressi sunt, commeatu farinæ & aquæ secum assumto, ex quo aliquandiu, sicut etiam ex piscibus, quos ceperunt, victitarunt, & sex ipsos menses in hoc tractu eiusque incolis explorandis consumserunt: de quibus post reditum hæc, quæ sequuntur, retulerunt. **Bolus fluuius.**

Exscensione in terram factâ, cùm incolas compellassent, *Sasquesahanocki* ipsis pelles, arcus, sagittas, scuta, serta, enses, & tubulos fumificos donarunt, parumq; abfuit, quin eos adorarent. Narrant exploratores, se nunquam homines tantæ magnitudinis, membris omnibus aptâ proportione cohærentibus, vidisse. Nam ad Anglos comparati, speciem habebant gigantum. Vox ipsorum, quasi **Descriptio gigantum.**

rum, quasi è profunda specu emissa, & echo instar, resonabat. Vestitus ex vrsorum & luporum pellibus constabat. Quidam togas, è luporum pellibus factas, corpori ita aptauerant, vt collum suum pellis collo insererent, geminæ autem aures pelliceæ ab vtroque humero, nasus à pectore dependerent. Extremo naso pedem vrsi alligant: manicas vsque ad cubitum gestant, & brachium per os pellis lupinæ transmittunt, cui rursus pedem vrsi annectunt. Vnus ex ipsis, qui torquatus erat, pro monili caput vrsi gerebat, & tubulum fumificum, dimidiæ vlnæ longitudine, manu tenebat. Supra tubulum auis, ceruus & vrsus sculpti erant. Ipse arcu, sagittis & claua, quâ hominem obtruncare potuisset, armatus incedebat. Eius effigiem in tabula chorographica exhibuimus. Suras quadrantem vlnæ crassas habebat, reliquis membris proportione respondentibus. Crines ab vno latere tam promissi erant, vt supra humeros propenderent: ab altero caput erat rasum: à fronte vsque ad sinciput crines angusti pectinis formam repræsentabant. Sagittas quarum aculei ad similitudinem cordis effigiati erant, longitudine vlnam cum quadrante æquabant, pelle lupina, quæ ipsi pharetræ loco erat, inuolutas, dorso ferebat: dextrâ arcum, sinistrâ clauam tenebat. Quingentos circiter milites alunt, & pagos suos aggeribus contra irrequietos suos hostes, quos *Massavvomekes* vocant, & cum quibus antiqua bella gerunt, muniunt. Homines isti fluminis *Povvhatam* accolis prorsus sunt incogniti. Quinq; ipsorum antesignani, quos *VVerovvances* appellant, ad Anglorum naues accesserunt, eosque non vsitatâ inter barbaros istos ciuilitate exceperunt.

Fluuius Tochvvoch. Iuxta eam partem portus, quæ versus Ortum porrigitur, ad fluuium *Tochvvoch*, diuersi populi habitant. Hi sua castella palis & corticibus arborum muniunt. Paruæ sunt staturæ, crudi ingenij, omnesque vni regi, qui *Accemachi* aulam suam habet, parent. Alias prætereà regiones & prouincias Angli magno labore explorarunt: vbi notandum est, eos idiomate differre, nec se mutuò absque interpretis operâ intelligere posse. Sedes & regna ipsorum diuersa, item montes, flumina, riui, & horum admirabilis cursus, tum oppida, lacus, insulæ, aliaque notatu digna in tabulis chorographicis conspiciuntur. Hoc denique Lector obseruet, paruas cruces, quæ hinc inde apud montes & fluuios pictæ cernuntur, significare, regionem eò vsque exploratam & frequentatam fuisse. Cætera, quæ tabulis illis addita fuerunt, nostri ab incolarum narrationibus acceperunt.

CAPVT SECVNDVM.

De omnis generis arboribus, fructibus, radicibus, & animantibus tam aëriis, quàm terrestribus & aquaticis.



Irginia multa & mirabilia animantia producit, sed non multũ graminis, idque in locis palustribus. In caussa sunt arbores, quibus hæc regio abundat. Nam propter rorem & guttas aquarum, quæ de illis decidunt, nihil potest herbascere: quod tamen vitium, meo iudicio, diligenti culturâ corrigi & sarciri posset. *Arbores & earum fructus.* Quercuum & iuglandium præ cæteris magna copia est. Multæ quercus tam crassæ & proceræ sunt, vt asseres inde conficiantur, qui sunt pedem cum semisse lati, & viginti pedes longi. Quercuum duo aut tria diuersa sunt genera: glandes tamen vnius sunt generis, habentque putamina albida, & dulcem saporem. Has sex circiter horis in diuersis aquis coquunt, & inde oleum suauis odoris eliciunt, quo caput, vertebras & alia membra quotannis crebrò inungunt. *Panis ex glandibus confectus.* Ex glandibus etiam panem conficiunt, quo vescuntur. *Vlmi & fraxini.* Insuper aliquot vlmi, nigræ iuglandes & fraxini hîc inueniuntur, ex quibus cinerem & carbones parant. *Tria nucũ genera.* Nuces quoque sunt trium generum. *Cupress.* Est & quoddam arboris genus, quod propter folia, lignum & fructum, cupressum appellamus. Huius generis quædam arbores trium brachiorum crassitiem æquant, & quinquaginta, sexaginta, atq; etiam octoginta pedes altæ sunt, absque ramis. Earum multæ iuxta barbarorum ædes sponte crescunt.

Castaneæ & pruni. Quibusdam locis castaneæ nascuntur, quarum fructus siluestres meliores sunt iis, quos Gallia, Hispania, Italia aliæque regiones proferunt. Pruni triplices sunt: quarum quædam rubros, quædam albos fructus, nostris siluestribus non absimiles, ferunt. *Patachmi* autem (quod est tertium apud ipsos prunorum genus) palmis altitudine pares sunt, & fructum ferunt vrticæ similem, qui primo viridem, postea flauum, tandem, vbi prorsus maturuit, rubrum colorem habet. Immaturus ingrati & acerbi saporis est: sed maturus, bonum habet saporem, qui ad saporem mali Armeniaci accedit.

Cerasa sunt similia prunis Damascenis: sed quia colore & sapore cerasa referunt, cerasorum no-

torum nomen eis dedimus. Alibi quoque siluestria poma inuenimus, quæ erant parua & acerba. Multæ ibidem vites nascuntur, tanta altitudine, vt magnarum arborum cacumina attingant: sed non multum fructus ferunt. Aliæ autem, quæ secundùm aquas & ad barbarorum ædes crescunt, quamuis incultæ sint, fructu abundant: cuius rei caussa est, quòd hæ Soli sint expositæ: illas autem multitudo arborum inumbret. Ex vuis vinum expressimus, quo aliquot dolia impleuimus. Aliud quoque hic est vuarum genus, quæ magnitudine cerasis pares sunt, & ab incolis *Messaminnes* vocantur: succum dant spissum, saporis ingrati. Habent etiam paruum fruticem, cuius fructus folliculo, instar castaneæ, tegitur: quo nudatus, glandem refert. Hunc incolæ magni faciunt, & *Chechinquamins* nominant. Alios etiam acinos & baccas habent, de quibus dicere supersedeo. *Vinea & vites.*

His & similibus fructibus dimidia parte anni vescuntur & sesustentant. Castaneas, glandes & Chechinquamins primùm exsiccant: deinde quando iis vesci volunt; inter duos lapides frangunt & conterunt. Si quid ex nucleo putaminibus adhæreat, illud super igne torrefaciunt: deinde sub stragula tundunt, & in frustula comminutum lebeti, aquâ pleno, iniiciunt: tunc nuclei supernatant, & putamina in fundum cadunt. Hanc aquam, quam *Pavvcohiscoram* nuncupant, & quæ lacti similis est, vnà cum fructibus contritis asseruant. Ex castaneis & Chechinquaminis iusculum & panem parant pro primatibus inter ipsos; eoque tantùm in lautis & magnificis conuiuiis vtuntur. Præter iam memoratas arbores, quædam populei generis, quæ sunt albi coloris, reperiuntur, quæ lucidum & fragrans gummi, resinæ terebinthinæ simile, quod Angli quidam balsamum vocant, fundunt. Sunt etiam illic cedri & aliæ arbores, quæ plus gummi suâ naturâ suppeditant, quàm arte exprimi atque extrahi posset. In locis paludosis baccarum genus inuenitur, quas *Ocoughtanamnis* nominant. Sunt illæ capparibus similes; & ab incolis in Sole durantur. Quando iis in cibo vti volunt, sex horarum spatio eas coquunt & apparant: alioqui sunt venenatæ & noxiæ. In locis siccis & aridis frumentum *Mattoume* crescit, atro tritico simile. Ex hoc panem, qui ipsis optimè sapit, conficiunt: cui postea cerui adipem illinunt; eoque in conuiuiis vtuntur. *Vsus horum fructuum in cibo.* *Gummi fragrans.* *Baccæ Ocoughtanamnis.* *Frumentũ Mattoume.*

Mense Aprili varij generis baccas, in Iunio autem mora colligunt. Habent & alias baccas, quarum nomina nunc non occurunt. Earum alias post alias tota æstate decerpunt. Est etiam ipsis quoddam baccæ genus, *Maracoks* dictum, dulcis & grati saporis, quod esu saluberrimum est, & iterum malum refert. Vere omnis generis herbæ esculentæ, etiam in siluis, vt & radices, violæ, aliaque nobis in Europa incognita, inueniuntur. *Baccæ & herbæ varij generis.*

Inter alia quamplurima multus est ipsis vsus radicis cuiusdam, quam *Tockavvhougke* vocitant. Plerunque in locis paludosis inuenitur, cuius tanta copia vno die colligi potest, vt alendæ familiæ per totam hebdomadem sufficiat. Hæc radix magnitudine & sapore non differt à *Potatoim.* Quando huius radicis magnum cumulum congesserunt, foliis quernis & cespitibus eum contegunt, sicut carbones in carbonariis tegi solent. Tum ignem circùm accendunt, quem viginti quatuor horis ardere oportet, priusquàm illâ radice vescantur, vt virus excoquatur: quod nisi fiat, esus illius est perniciosus. Imò quamuis hæc radix tosta sit, tamen ea vesci non audent, nisi priùs mollescat, & calor internus per ignem educatur: aliâs pungit collũ, & gustu acerba est. Æstate maximam partem hac radice loco panis vtuntur. *Radix Tockavvhougke.*

Porrò alia ipsis radix suppetit, quæ *VVichsasan* ab illis indigetatur, & ad sanitatem atque alimentum corporis, nec non ad morbos curandos plurimùm conducit. Hæc radix parua est, & quando ad sananda vulnera adhibetur, priùs minutim conterenda est. Aliam adhuc radicem habent, quæ si siccetur, & in puluerem redigatur, rubicundum colorem assumit, eaque corpora & vestes pingunt. Eandem ad tumorem, qui articulos & membra inuasit, arcendum adhibent. Hanc radicem magno æstimant, & hinc inde in montibus laboriosè conquirunt. *Musquaspenne* rubi species est, digiti longitudine. Fructus, quando siccatur, contrahitur, & perexiguus redditur. Eo ceu cinnabare, sua stragula, scuta aliaque inficiunt. Hîc quoque Hispanicum pellitorium, sasafragium & aliæ herbæ medicinales reperiuntur. In locis paludosis non rarò integra jugera cæpis consita occurrunt: sed bulbi sunt exiles, & pollicis crassitiem non excedunt. *Aliæ radices.*

Inter quadrupedes ceruorum magna est copia, qui nostris prorsus sunt similes. In solitudinibus & juxta fontes plerunque oberrant, rarò prope flumina. Producit etiam hæc regio mirabile quoddam animal, *Aroughcun* dictum, quod capreæ simile est, & nihilominus arboribus insidet, atque ab vna arbore ad aliam, sciuri instar, transilit. Sciuri, quorum etiam hoc loco copia est, cuniculorum nostratium formam habent. Quidam sunt fusci, alij candidi, nonnulli atri, quidam mixti coloris, plerique tamen cinerei. *Assapanich* animal est, quod sciurum volantem appellamus, quia crura distendit, se in altum extollit, & aliquousque prouolat. *Opassum* animal est, quod caput habet aprugno simile, caudam instar gliris montani: felem magnitudine æquat. Sub aluo naturalis quidam saccus dependet, in quo fœtum concipit, fert & alit, donec pariat. *Quadrupedes.* *Aroughcun, mirabile animal.* *Sciuri.* *Sciuri volantes.*

Vrsi

Vrſi multo minores ſunt ijs, qui in Moſcouia & Tartaria reperiuntur. Caſtor eiuſdem magnitudinis eſt, cuius canis aliquis domeſticus: breuiora tamen crura habet. Priores pedes caninis, poſteriores cygneis ſimiles ſunt. Incolæ pellem ei detrahunt, eoque mactato non ſecus ac cibo aliquo delicato veſcuntur. Cæterùm caſtorem, vt & lutram, quæ hîc frequens admodum eſt, funibus artificioſè & mirabiliter capiunt. Caſtoris & lutræ carnes comedunt: ex pellibus pretioſas veſtes conficiunt. Aliud apud ipſos animal eſt, quod felem ſilueſtrem refert, & ab illis *Vethbunqueyes* appellatur. Vulpes eorum noſtris cuniculis ſimiles ſunt: Hirci non ita fætent, vt noſtri: Canes non latrant, ſed luporum inſtar vlulant: Lupi vulpibus noſtratibus magnitudine pares ſunt. Sunt & aliæ quamplurimæ apud ipſos quadrupedes feræ & rapaces: quas equidem non vidi, pelles tamen earum magno numero mihi monſtratæ fuerunt. Illud hoc loco notandum eſt, quòd huiuſmodi animalia gallinis noſtris, earumque ouis & pullis nunquam inſidiata ſint aut nocuerint. Muſcæ non ſunt tam moleſtæ, nec ſerpentes tam noxij, quemadmodum apud nos: tametſi hæc animalia in Meridionalibus Americæ oris homines non modò lædant, ſed etiam interimant.

Caſtoris & lutræ vſus in cibis. Feles ſilueſtres, vulpes, lupi, canes non latrantes, & ſimilia.

Aves.

Inter aues aquila voraciſſima & rapaciſſima eſt. Accipitres ſunt varii generis: falconum, buteonum, columbarum ſilueſtrium, aliarumque auium rapacium, quarum nonnullæ piſces deuorant, magna hîc copia. Perdices noſtratibus aliquanto ſunt minores: Merulæ, quarum plurimæ hîc inueniuntur, ſunt nigri coloris: pectus tamen & aliquot pennæ rubent. Turdi, turtures, aliæque ſimiles aues, variorum colorum, magno numero præſertim hyeme hîc capiuntur. Eodem tempore multi cygni, ardeæ candidæ cum aliquot nigris pennis, anſeres, anates, pſittaci, & aliæ diuerſorum generum aues, in Europa nunquam à nobis viſæ, magnis agminibus conſpiciuntur: æſtate autem ſunt rariores.

Piſces.

Fluuij piſcibus affluunt, quales ſunt acipenſeres, grampæ, porpæ, ſtringreæ, quarum caudæ ſunt venenatæ, ſalmones, truttæ, ſoleæ, haleces, anguillæ, oſtreæ, muſculi, lampetræ, percæ, multique alij piſces, quorum mihi nomina exciderunt, ex quibus non pauci in Europa prorſus ignoti ſunt. Eſt & hîc genus quoddam piſcis, magnitudine pugni, quod vbi in aërem euolat, intumeſcit.

Metallorum fodinæ.

De fodinis metallorum nihil dum certi compertum eſt, quid & quantum inde ſperari poſſit. Nihilominùs ex multarum rupium ac quorundam locorum coloribus aliiſque indiciis coniicere licet, quòd quemadmodum America diuerſis locis metallorum ferax eſt, ita hîc auri atque argenti fodinæ non defuturæ ſint. Qua de re metallorum peritos artifices priùs experimentum capere neceſſe eſt: in quem finem Angli aliquot maſſas Londinum miſerunt. Etſi verò res ex voto nondum ſucceſſit: tamen à labore non deſiſtunt, & jam exploratum habent, ferri & chalybis, quantum ſatis eſt, hinc erui.

CAPVT TERTIVM.

De incolarum agricultura.

Diuiſio anni in quinque partes.



ANnus ab incolis in quinque partes diuiditur: prima eſt hyems, quæ ipſis dicitur *Papanovv*: ſecunda, Ver, quod *Catapeuck* nominant: tertia, tempus, quo ſpicæ creſcunt, quod *Nepinough* appellant: quarta meſſis, quam *Taquitocke* vocant: quinta, tempus, quo folia arboribus decidunt. A menſe Septembri vſq; ad medium Nouembrem præcipua feſta celebrant, & ſacrificia ſua peragunt. Nam tunc penum fructibus ſponte naſcentibus, piſcibus, auibus & feris ſaginatis largè inſtructum habent.

Satio frumenti laborioſa. Largus eiuſdem prouentus.

Frumentum magno & moleſto labore ſerunt. Iſtius laboris cauſſa eſt multitudo arborum, quibus terra quodammodo obtecta eſt. Quod menſe Aprili ſerunt, Auguſto metunt. Plantę, quas menſe Iulio pangunt, ante Octobrem non matureſcunt. Culmus frumenti plerunque duas, interdum tres, rarò quatuor fert ſpicas: nonnunquam etiam vnicam, aut prorſus nullam: ſicut ipſe vidi. Vnaquæque ſpica ducenta & quinquaginta grana continet. Quando culmus adhuc viridis eſt, dulcem ſuccum præbet, quo meſſores eo tempore victitant. Id domino magnum emolumentum affert, præſertim quia grana, quando meſſis tempeſtiuè colligitur, meliora ſunt, quàm ſi nimiùm matureſcant. Piſa quæ *Aſſentamons* nominant, ſimilia ſunt ijs, quæ ab Italis *Fabioli* dicuntur. Fabæ, quas illi magnatibus cibi loco apponunt, cum Turcicis *Garnanſibus* ſimilitudinem habent. Hîc breuiter indicandum videtur, quomodo agros colant, vt eos fæcundos reddant. Regio, vt dixi, arboribus cumulata eſt. Quocirca cortices arborum baculis & fuſtibus contundunt: poſtea radices exurunt, ne rurſus germinent. Sequenti anno reliquas radices curuo ſcipione detegunt, & ex terra eruunt. Illic poſtea fruges ſerunt, in hunc modum: bacillo ſcrobem in terra fodiunt, in quam

Modus ſerēdi frumentū

quatuor

quatuor grana tritici cum duabus fabis iniiciunt. Vnaquæque scrobum ab altera quatuor pedibus distat. Atque illud opus à mulieribus & pueris perficitur.

Vsus frumenti in cibo.

Frumentum aliquandiu in spica relinquunt, vt indurescat, illudq; postea in mortario contundunt: quo facto, illud foliis quibusdam inuoluunt, & inter exquisita cibaria habent. Frumentum autem, quod serò satum ad maturitatem peruenire nequit, sub calidis cineribus condunt: eoq; satis siccato perinde vtuntur, vt priori. Hoc postremum etiam hyeme cum fabis coquunt & inde lautum cibum parant. Vetus triticum vnam noctem aquâ macerant: postridie illud in mortario conterunt. Instrumentum habent iunceum, quo melius & purius frumentum à viliori separant. Ex farina postea cum aqua mixta panem sub cineribus coquunt, aut iusculum inde conficiunt. Alij qui parciores sunt, calamum frumenti accipiunt: quo combusto, ex cineribus panem aut offam coquunt. Pisces & carnes parùm elixant, aut craticulæ ligneæ imponunt, & ad ignem assant, aut verù infigunt, ac torrent, more Hispanorum, latere vno post alterum igni apposito. Huiusmodi cibos aliquot menses asseruare possunt. Iusculo non minùs delectantur, quàm ipsis piscibus aut carnibus.

Modus coquendi & asseruandi carnes & pisces.

Mense Maio inter frumentum melones serunt, & peponum quoddam genus, quod ab ipsis *Macobs* appellatur. Hi fructus facilè proueniunt, & ab initio Iulij vsque ad Septembrem durant. Eodem modo & tempore semen serunt, cuius fructus *Maracoks* dicitur, & malo Medico simile est: breui tempore succrescit, & à Septembri ad Octobrem maturescit. In serendis his fructibus parùm se fatigant, & opus hoc mulieribus ac liberis suis commendant, Verùm hi fructus ad eos alendos non sufficiunt: ideo agros quotannis ter conserunt, & ex frugibus se sustentant: cæterùm de crastino securi sunt, quid sint esuri aut bibituri.

Melones inter frumentum sati.

Agri quotannis ter conseruntur.

Aër huius loci est saluberrimus, solum fæcundum, fluuij commodi & delectabiles, nec puto regionem sub Sole esse, quæ homini sit accommodatior & iucundior. In hoc tractu (sicut Angli experti sunt) equi, capreæ, oues, asini, gallinæ, &c. pabulum inueniunt, quale expetere possent. Flumina & insulæ commodos & tutos habent portus, non solùm pro actuariis & bellicis nauibus, sed etiam pro quibusuis aliis, quibus aliquid importatur & exportatur. Amnes piscibus, qui in Europa magni fiunt, abundant. Hìc quoque sal & ferrum largè suppetit, nec quicquam ad naues instruendas deest. Vt rem in pauca contraham: quæ singula ex aliis regionibus aduehuntur, vt resina, pix, acipenseres ex Moscouia & Polonia: vinum & sal ex Gallia: ferrum, chalybs, ficus, vinum ex Hispania: sericum & holosericum ex Italia: pisces ex Batauia: hæc vniuersa sola Virginia suppeditare potest: ex quo de ipsius vtilitate & opibus coniecturam capere licet.

Pisces amnes.

CAPVT QVARTVM.

De indigenis Virginiæ & eorum moribus.

HÆc regio non est populosa, propter virorum paucitatem. Nam (quod mirum videatur) maior in ea est mulierum ac puerorum, quàm virorum numerus. Intra spatium sexaginta milliarium ab vrbe Iacobi (quam Angli tenent) septem circiter millia incolarum reperiuntur: inter quos vix duo millia virorum numeres. Nam quia agriculturæ ignari sunt, nec soli vbertatem in vsum suum transferre norunt, non magnus est ipsis ad se alendum comeatus. Quodam tempore octoginta incolæ concurrebant, vt Schmidium militiæ ducem, caperent: verùm à quindecim Anglis repulsi fuerunt. Nunquam aliàs tot conuenerunt. Quanquam tractus, quem Angli explorarunt, angustis finibus continetur: tamen in eo homines diuersæ staturæ & linguæ inuenerunt. Quidam enim sunt proceri instar gigantum, vt *Sosqnesahonoughks*: quidam parui, instar pumilorum, vt *VVichcocomes*: pleriq; tamen sunt longæ staturæ, corpore erecto & fusco, quando virilem ætatem attigerunt: pueri enim sunt candidissimi. Crine sunt nigri: vix autem aliquem videas qui sit barbatus. Viri ab vna parte caput habẽt rasum: ab altera promissam cæsariem gerunt. Mulieres viris tonsorũ officium præstant, & crines ipsis duabus piscium testis solerter & celeriter detondẽt. Ipsæ quoq; sibi capillos diuersimodè, pro ratione ætatis, abscindũt: semper tamen longum cirrum sibi relinquunt. Incolæ sunt robusti, & ad quæuis perferenda assueti. Nam hyeme in siluis, æstate sub dio cubant, vt stratagemata sua contra hostes exequantur. Ancipiti animo sunt, nisi metu ad aliquid patrandum adigantur: adhæc callidi, timidi, ingeniosi: quidam sunt verecundi, alij contrà impudentes: cauti admodum sunt & feri. Æs, serta & exigui pretij merces auidissimè appetunt: proni sunt ad iram, & iniuriæ ac contumeliæ sibi illatæ non facilè obliuiscuntur. Alter alterum rarò trucidat: verentur enim ne à magis prodantur, & ad supplicium trahantur. An verò magis notum & perspectum sit, cædem aliquam esse perpetratam, me quidem fugit: istud tamen certũ est, omnes ab illis sibi metuere.

Pauci sunt incolæ, plures mulieres & pueri, quàm viri.

Descriptio variarum incolarum.

Mulieres virorum tonstrices.

Metus à magis.

Mulieres castitatem & honorem suum constantissimè seruant, nisi mariti ipsis permittant, vt se prostituant. Vnaquæq; familia & progenies suos habet agros & hortos, suarum manuum labore se sustentans. Ferarum pellibus se vestiunt, pilis hyberno tempore intrinsecus versus corpus conuersis: æstate autem pelles inuertunt. Qui alicuius sunt notæ inter ipsos, Hybernorum more pallia gestant, ex pellibus ceruinis confecta, & floribus, sertis, variisq; coloribus ornata ac picta: vulgus nihil habet præter folia & similia quædam parua velamina, quibus pudenda tegat. Vidi quædam pallia ex auium pennis tam artificiosè contexta, vt præter pennas nihil appareret. Hæc sunt admodum calida & rutilantia. Fæminæ pelle ab vmbilico vsq; ad genua semper sunt obtectæ: & eam deponere verecundantur. Sertis, picturis & coloribus se comunt atq; ornant. Quædam ma-

Vestitus incolarum.

Pallia ex auium pennis contexta.



nus, faciem, vbera & crura variorum animalium imaginibus sibi pingi curant. In vtraq; aure tria plerunq; foramina habent, à quibus catenulæ, serta & æris frustula pendent. Quidam viri aures sibi similiter perforant, quibus viridem aut luteum serpentem, dimidiâ vlnâ longum gestant. Serpens iste circum collum eorum voluitur, & labra ac faciem blandè lambit. Alii mortuum murem caudâ ad aurem suspendunt: alij falconis alas & maiores pennas, aut alias ineptias. Alij falconis aut alterius pulchræ auis pellem cum pennis capiti imponunt: alij latum frustum æris: alij manum exsiccatam, quam hosti absciderunt. Caput & humeros puluere radicis *Pocone*, cui oleum admiscet, illinunt, & rubro colore inficiunt. Aliis etiam modis sua membra colorant & pingunt: isque sibi elegantissimus videtur, qui maximè horribilem formam gerit.

Incolæ catenulas, serta, serpentes ac mures auribus gestant.

Coloribus se pingunt.

Ædes suas extruunt ad flumina, & ad dulces ac limpidos fontes: ita vt illæ hortis Alcinoi cōparari possint. Nam ex mollibus virgultis & salicibus, in superiori parte coniunctis, eas contexunt: deinde storeis & corticibus tanto artificio & industria cooperiunt, vt licet ventus summâ vi incūbat, aut valde pluat, huiusmodi ipsorum domicilia æquè calida sint atq; hypocausta nostra. Illud tamen est incommodum, quòd fumus eos infestet: etsi supremæ ædes spiramentum habeant, per quod ille exhalet. Circū rogum transuersis corporibus super scirpeas stragulas nonnihil à terra eleuatas, cubant & dormiunt. Quidam verò storeas aut pelles animalium substratas habent: sunt & quinu-

Ædes ipsorum.

qui nudo corpore ſomnum capiant. Vt minimum ſex, interdum centum vna cubant. Ædes plerunq; in medio campo aut horto ſitæ ſunt. Raró vna domus ſola reperitur: vt plurimum duæ, ſæpè etiam centum coniunctæ cernuntur. Circum ædes tot arbores & tantam lignorum ſtruem habent, quantâ ad rogum ſtruendum ipſis opus eſt. *Modus quo incolæ ſomnum capiunt.*

Viri, mulieres ac liberi diuerſa nomina accipiunt, pro arbitrio patrisfamiliâs. Mulieres liberos ſuos ſumo amore proſequuntur, quamuis facile & ſine magno labore ac dolore pariant. Hyeme & frigido cælo infantes in fluminibus abluunt, vt hoc pacto indureſcant, & quæuis incomoda tolerent. Cuti eorum vngendo, illinendo & pingendo eiuſmodi callum obducunt, vt bimuli pluuias & tempeſtates ferre poſſint. Viri, plerunq; piſcando, venando & militando ſe exercent: negotiis domeſticis & laboribus ſeruilibus manum non admouent: quæ cauſſa eſt, cur mulieres ferè ſemper operentur, ipſi verò otientur. Nam mulieres cum liberis opera & negotia domeſtica obeunt: ſtoreas, lagenas, pocula, mortaria & ſimilia conficiunt: adhæc ſerunt, metunt, plantant, & alimentum procurant: terrâ naſcentia ad cibum accomodant, & omnibus domeſticis muneribus funguntur. Ignem hoc pacto eliciunt: baculum acutum & aridum foramini trunci indunt, quem tamdiu terunt, donec ſcintillam inde excudant; quam ſtramine & ſiccis foliis excipiunt. Menſe Martio & Aprili piſcibus, gallinis & ſciuris victitant: Maio & Iunio terram colunt, & glandibus, nucibus ac piſcibus veſcuntur. Quidam autem his menſibus confertim in montes & ſolitudines abeunt, vbi omnis generis fructus, baccas & feras veſtigant. Menſibus Iunio, Iulio & Auguſto ex radice & baccis, *Tocknough*, piſcibus, & viridi tritico victitant. Mirum eſt, quo pacto corpora ipſorum, pro diuerſis annorum temporibus ac ciborum generibus modò emacientur, modò pingueſcant. Nã aliquando eos macilentos & graciles videas, aliquando craſſos & obeſos. Magnus ipſorum rex *Povvhatan* cum aliis regibus & dynaſtis piſces & carnes (vt ſupra dictum eſt) indurare, aſſeruare, poſteaq; deficiente annona, erogare ſolet. *Quomodo liberos ſuos educent.* *Modus ignis eliciendi.* *Rex ipſorũ Povvhatan bonus œconomus.*

In piſcatu, venatione & bello arcubus & ſagittis vtuntur. Arcus ex piſcium teſtis confecti ſunt: ſagittæ ex baculo oblongo, cui aculeum oſſeum, duorũ circiter digitorum longitudine, præfigunt. His ſciuros petunt ac necant. Habent præterea aliud ſagittarum genus ex arundine, cum aculeo, qui ex cryſtallo, aut lapide acuto, aut galli gallinacei calcaribus, aut aliarum auium roſtro factus eſt. Loco cultri arundine vtuntur, quâ pennas ſcalpunt, ceruum & alia animalia diſſecant: quâ etiam calceos, tibialia, & alia id genus conficiunt. Aculeos formant ad ſimilitudinem cordis, quos, ſicut & pennas, ſagittis agglutinant. Gluten ex caſtoribus & extremis ceruorum cornibus quæ priùs diu coquunt & præparant, conficiunt. Illud tam firmum & validum eſt, vt quod eo coagmentatur, nullâ pluuiâ diſſolui poſſit.

In bello ſcutis & rotundo arboris cortice confectis, & enſe ligneo, quem dorſo geſtant, vtuntur. Pro enſe interdum cornu ceruinum vſurpant, quod vnci inſtar formant, & ligneo manubrio alligant. Quidam longum lapidem ſumunt, quem ab vtraq; parte exacuunt. Huiuſmodi lapidibus antehac loco ſecuris vtebantur: poſteaquàm verò cùm Anglis conuerſari & negotiari cæperunt, ab iis ſecures ferreas acceperunt. Hæc omnia ſunt ipſorum arma atq; tela. *Arma bellica.*

Ad piſcatum vtuntur celocibus, ex arbore excauata factis. Quædam earum vnius vlnæ altitudinem, & quadraginta pedum longitudinem habent. Plerunq; tamen ſunt minores, & viginti aut triginta homines capiunt. Eas contis tam celeriter, ac noſtri nautæ ſuas naues, agunt & gubernant. Mulieres filia ex arborum corticibus & ceruorum fibris inter manus ac pedes deducunt: quibus non tantùm domi ad varia opera, ſed etiam ad retia, quæ noſtris artificio & firmitate non cedunt, contexenda vtuntur. Hamos habent noſtris ſimiles ex oſſe factos, & ligno annexos, quos eſcâ obtegunt, atq; ita piſces capiunt. Habent etiam longas ſagittas, quibus retia appendunt: atq; iis piſces necant. Præterea baculis prælongis vtuntur, ſagittarum inſtar acuminatis, quibus piſces iaculantur & interimunt, quando eos in fluminibus aut mari natantes conſpiciunt. Deniq; ſulcis aquariis magnam vim piſcium capiunt & attrahunt. *Piſcatus.*

Piſcatui & venationi cumprimis ſunt dediti: & quia à iuuentute ad vtrumq; ſunt aſſuefacti & exerciti, labor omnis ipſis ludus videtur. Artem piſcandi magni faciunt: vſu autem quotidiano, dũ quæuis loca peruagãtur, hoc aſſequuti ſunt, vt quibus locis cerui, aliæq; feræ, itẽ piſces, aues, radices & baccæ ad cibum & alimentum inueniantur, optimè norint. Quando tẽpus venationis appetit, relictis ædibus, cum ſua familia, more Tartarorum, in extremas ſolitudines & ad fluminum ſcaturigines ſe conferunt, vbi feras magno numero capiunt. Sequuntur ipſos mulieres, quæ caſulas cum omni ſupellectile, frumento, glandibus & mortariis ſecum apportant. Vbi eò ventum eſt, ſinguli artis ſuæ periculum faciunt. Atq; hoc exercitio fœminas ſibi conciliant, & exoptatum matrimonium contrahunt. Etſi procul à meta abſint, iaculando non facilè, aut non multum, aberrant. In huiuſmodi venationibus ducenti aut trecenti vnà circumuagantur. Si ceruus ipſis *Venatio.*

occurrat, continuò magnum ignem circumquaq; excitant: ipsi ad ignem stant, arcubus & sagittis instructi, atq; in prædam intenti. Ceruus igne & venatoribus cinctus, manus ipsorum euadere non potest. Hoc modo nonnunquam sex, interdum plures aut pauciores ceruos capiunt. Nonnunquam ceruos in peninsulas agunt, & tamdiu persequuntur, donec in aquam insiliant: tunc nauibus eos consectantur, donec iis potiantur. Quando ceruum sagittâ percusserunt, ex cruoris indicio vestigiis ipsius insistunt, atq; ita tandem eum in sua retia pertrahunt. Si incidant in lepores, perdices, aut alias volucres, eas secum asportant, & cum ouis comedunt, siue sint macræ, siue pingues. In huiusmodi venatione Schmidiũ, Anglorum ducẽ, qui cum duobus famulis regionem exploratũ iuerat, cæperunt, & vtrũq; famulũ trucidarunt. Ipse tunc ea vidit & expert⁹ est, quæ modo retulimus.

Venatio singularis. Si quis inter ipsos solus venetur, hoc stratagemate vtitur. Ab vna parte pellem ceruinam findit, & brachium inserit, ita vt manu os pellis attingat: caput autem & reliquas partes pellis iis, quæ in promptu sunt adimplet: quo facto, in vmbra paullatim ad ceruum progreditur: cùm putat, se ab eo conspici, caput cerui sibi imponit: dumq; ita ipsi adstat, manu collum & corpus eius palpat, ac tandem sagittâ eum ferit & capit.

Bellum ex consilio sacerdotum, magorum & propinquorum suscipiunt. Hostium multitudo. Quando bellum gerere volunt, *VVerovvances*, sacerdotes, magos, propinquos & necessarios consulunt: quanquam sacerdotes plerunq; in hoc casu sententiam ferunt. Pro ditione sua rarò arma capiunt, plerunq; autem pro vxoribus & liberis, & vt acceptas ab hostibus iniurias vlciscantur. Ducem belli eligunt, multosq; habent hostes, nempe eos, qui versus Occidentem in montibus & iuxta flumina colunt. Ad fines *Povvhatan*, habitant *Monacani*, quibus populi *Mouhemenchuces*, *Massennachachi* & *Monachasranuggi* subiecti sunt & vectigales. Ad fontem fluuij *Toppahanocke Mannahoackeni* comorantur, quibus octo alij populi vectigal soluunt, tametsi linguis multum differant: homines sunt feri & crudi, ac maximam partem ex feris & fructibus terræ victitant. Trans montes, vbi fluuius *Patavvomeke* oritur, *Massavvomekes* habitare dicuntur, qui ipsis valde sunt infesti. Sedes illi habent ad lacum *Commada*, qui amplus & salsus est, & per quem transitus patet ad mare Meridionale. Hæc gens, vt ipsi perhibent, magna est & populosa, adhæc crudelis & immitis. Propter eius excursiones, ægrè ad fontes suorum fluminum accedere possunt. Quapropter Schmidium obtestati sunt, vt suorum auxilio se ab huius gentis tyrannide liberaret, obsequium, annonam, & subsidium polliciti. Quam ob caussam ipsis opem ferre volebat: verùm Senatus Anglorum, penes quem tunc rerum sũma erat, hoc consilium propter eorum paucitatem impediuit: quãuis Schmidius iam ante, cum loca illa exploraret, cum duodecim ex suis septem naues Massavvomeckenorũ obuias habuisset, easq; profligasset: quibus aliquot arma, scuta, enses, tubulos fumiferos, patinas, arcus & sagittas, nostris maiores, ademit. Tunc etiam potitus est nauigio quod ex corticibus arborum affabrè factum, & optimo gummi illitum erat: vnde apparet magna illic flumina esse.

Modus pugnandi. Contra huiusmodi hostes *Povvhataneris* pugnandum est. Vt autem superiores euadant, stratagematibus, insidiis & improuisis irruptionibus opus est. *VVerovvancenorum* vxores & liberos non trucidant, sed captiuos abducunt. Modum pugnandi centurioni cuidam Anglo ostenderunt. Terribili formâ depicti & laruati, in duo agmina se diuidunt, quorum vnum *Monacanerorum*, alterum *Povvhatanerorum* appellant. Vnumquodq; agmen suum ducem habet, & alterum ab altero sclopeti iactu disiungitur. A latere, quindecim collocant, quorum postremus non minùs quàm priores sagittam absq; impedimento emittere potest. Acie hoc modo instructa, per tabellarium hanc legẽ sibi mutuo indicunt, vt victi & capti, si se submittant, & vectigal pendant, dimittantur: vxores autem & liberi, prædæ loco, victoribus cedant. Quibus pactis, vtrumq; agmen congreditur: & ordinibus diligenter seruatis, more solenni, saltant & canunt. Sagittis neruo impulsis, tam horribilẽ clamorem tollunt, quasi dæmones essent infernales. Pharetris euacuatis, cominùs rem gerunt, & captato compendio sibi mutuo in crines inuolant, & alter alterum humi sternit, & ligneâ machærâ obtruncat.

Musica ipsorum. Tympanum ex catino, pelle obducto. Ad Musicam adhibent tibiam arundineam, quâ carmina sua modulantur. In bello profundũ catinum ligneum sumunt, quem pelle obducunt & adstringunt. Eo, tympani loco, vtuntur. Huic tintinnabula quædam puerilia addunt, ex testa peponis ita confecta & distincta, vt diuersos modulos suaui concentu reddant. Quando autem raucam suam vocem & Corybanticum adulatum admiscent, sonum horrendum & inconditum edunt.

Modus inuisendi amicos, præcipue magnates. Quando *VVerovvances* seu Princeps alterum inuisit, in domo eius, qui inuisitur, storea sternitur, & is, qui amicum salutandi gratiâ accessit, rogatur, vt consideat. Postea domestici quoq; stoream accipiunt, & ei insident: mox cantum ordiuntur, atq; ita significant, aduentũ amici, sibi gratum esse. Tum duo aut plures ex iis, qui assident, prolixa oratione amicitiam & beneuolentiam suã testatam faciunt. Hanc autem orationem habẽt cum eiusmodi gestu & tam vehementi motu corporis, vt sudor ex eo erumpat, & vapor ex ore exhalet, adeoq; vox ipsos deficiat, & non tam verba facere, quàm expostulare & furere videantur. Finita oratione cibum & potum hospiti apponunt, & quando tempus est cubitum eundi, concubinam, oleo & coloribus, pro more gentis, ornatam ac delibutam, ei adiungunt.

In

In emendo hunc morem obseruant, vt pro ære, sertis & similibus rebus, pelles, aues, pisces, carnes fruges & similia retribuant. Nam opes ipsorum in cibis consistunt. *Ratio emendi.*

Quotannis tempore verno succum cuiusdã herbæ, quam *VVichsacan* nominant, cũ multa aqua sumunt. Eo tam vehementer purgantur, vt triduo corpora eorum quodamodo renouentur, & integram valetudinem consequantur. Interdum quidam hydrope, tumore aut alio morbo laborant: ad quem curandum conclaue storeis, & teneris virgultis, prunisq; candentibus ita calefaciunt, vt largus sudor toto corpore manet. Ad tumorẽ minuendũ, lignũ adhibent, quod nostris caryophyllis non absimile est: eo tumorẽ perfodiunt, illudq; postea super carnẽ comburunt: quo facto, vitiosam materiam ore suo exsugunt. Radice illa *VVichsacan*, cuius modò mentionem fecimus, vulnera recentia sanant. Quando autem vlcus aperire volunt, frustulis lapidum ad id aptis & præparatis vtuntur. Vetera & putrida vulnera parui, imò nihili faciunt. Quosdam habent medicos, qui nescio quibus nugis, nec sine arte magica, morbos curare, & per vmbilicum aut alias corporis partes educere satagunt. Anglorum verò chirurgos tanti faciunt, vt ipsorum cataplasmatis quoduis vulnus & vlcus sanari posse existiment. *Quotannis corpus purgant, conseruandæ valetudinis gratiâ.*

CAPVT QVINTVM.

De religione incolarum.

NVlla est gens in Virginia tam fera & barbara, quæ non suam religionẽ habeat, & arcum ac sagittas tractare norit. Quidquid ipsis nocere potest, etiamsi illud prohibere queant, id adorant: exempli gratiâ, ignem, aquam, tonitru, grandinem, Anglorum tormenta bellica, equos, & similia. Diabolũ, quem *Oke* nominant, metu potiùs quàm amore colunt. Cum eo, vt perhibent, crebrò conuersantur, & horrendam ipsius formam picturis, quoad possunt, imitantur. Eiusdem imaginem in templis suis, rudi Minerua sculptam, & oleo atq; coloribus illitam habent. Idolum hoc catenis, ære, sertis & pellibus ita oneratum & formatum est, vt deformitas ipsius satis declaret, quàm fœdam & horrendã ipsius dæmonis speciẽ esse oporteat. Iuxta illud reges hoc modo sepeliuntur. Primum cadauera ipsorum storeæ imponuntur, & in iis siccantur: tum collo & aliis membris torques, armillæ, ex ære, margaritis & aliis rebus confectæ, aliaq;, quæ in sua vita gestarunt, appenduntur: præterea exenteratum cadauer sertis implent, & pelle contegunt. Postquàm autem candida veste, quæ pellibus farta est, omnia velarunt, & storeæ inuoluerunt, cadauer in sepulchro condunt: ornatum verò & res pretiosas pedibus apponunt. Cæterùm templa cum sepulturis, sacerdotum fidei commissa sunt, & ab iis custodiuntur. *Multa habent idola: creaturas, tormenta bellica, adeoq, Diabolum ipsum adorant.* *Sepultura regum.*

Quod ad vilis conditionis & plebeiæ sortis homines attinet, quando cadauera eorum terræ mandanda sunt, profunda fossa foditur, in quam illa cum rebus, quas habuerunt, pretiosis demittuntur: mox terra rursus aggeritur: post sepulturam vxores faciem carbonibus & oleo fœdant, & viginti quatuor horarum spatio in suis ædibus miserabiliter eiulant. Sic mortuos suos lugent. *Plebeiorum sepultura.*

In vnaquaq; prouincia seu *VVerowanze* templum, cũ vno, duobus, tribus & pluribus sacerdotibus reperitur. Primariũ templũ, in quo maximè conueniunt, situm est prope *Pamauke*, vbi etiam *Powhatan* suũ palatium habet. In quibusdam arenosis & inter siluas iacentibus montibus tria illustria delubra habent, idolis & sepulchris regum referta. Sunt illa sexaginta circiter pedes longa, & arbores in horto repræsentant. Hæc loca tanta religione venerantur, vt nemo præter sacerdotes & regem eò audeat accedere. Ipsis barbaris fas non est, nauibus illuc se conferre, nisi aliquot frusta æris, aut candida serta vel *Pocone* secum afferant, iisq; oblatis dæmonem *Oke* placent, ne vindictam in eos exerceat. Illic septem sacerdotes plerunq; commorantur. *Templa & sacerdotes.*

Sumus Pontifex ab aliis sacerdotibus vestitu tantum dignoscitur: cæteros sacerdotes à vulgo aures discernunt, quæ non ita sunt perforatæ, vt aliorum, & à quibus gemmæ dependent. Sumi Pontificis ornatus, quem capiti imponat, hic est: Duodecim, sedecim pluriumue aut paucioru anguiũ exuuias sumit, quas rebus vilibus implet. Has postea sciurorum aliorumq; animalium pellibus colligatas, coronæ instar, capiti imponit, caudis super faciem, aures atq; humeros dependentibus: tũ aliam coronam ex pennis priori superimponit: atq; hoc modo ornatus & coronatus idolo ipsorum nempe Diabolo, similis est: quod ipsis perplacet. Nam quo horribilior est aspectu, eò ipsis gratior est. Manibꝰ quoq; crepitacula, puerorũ more, tenet. Preces cantu peragunt sacerdotes: quas vbi summus Põtifex exorsus est, illi succinũt. Interdũ summus Pontifex in precibus miros & scurriles gestꝰ adhibet. Eo autẽ tacẽte, reliqui sacerdotes ad vnãquãq; pausam suspiriũ ab imo pectore ducunt. *Sacerdotum ornatus vestis.* *Modus orandi.*

Quantum ad festa annua, nulla certa obseruant. Sed si communis aliqua calamitas incidat, aut si ab hostibus grauiter affligantur, aut victoriam de ipsis reportarint, aut deniq; si *Festa annua.*

plenam & copiosam messem expetant: tunc viri, mulieres, pueri ac puellæ magno numero in templo religiose conueniunt. Ibi in media domo, aut in campo, magnum ignem excitant, circum quē quatuor aut quinque horarum spatio saltitant & cantillant, magnumque strepitum suis crepitaculis & clamoribus edunt. Interdum hominem ex suo numero in medio statuunt, circum quem eodem ritu vitulabundi saltant. Ille verò manibus plaudit, atque ita modum canendi & saltandi ipsis præmonstrat. Deinde cibo & potu sumpto se exhilarant.

Altaria sunt ipsorum annales.

Arte circulatoria & magica delectantur: cujus rei exemplum in historia de captiuitate ducis Schmidij infra c. 7. retulimus. Altaria ipsorum, quæ *Pawwrocances* vocant, à templis sunt separata, eaque modò apud ædes suas, modò in siluis & solitudinibus eo fine erigunt, vt eorum intuitu victoriæ, quam obtinuerunt, aut memorabilis cuiusdam historiæ recordentur. Cùm illac prætereunt, liberis suis omnia narrant, quæ vno atque altero loco euenerunt, vt eorum memoria ad posteros transmittatur. Super hæc altaria sanguinem, adipem ceruinum & folia Nicotianæ offerunt, quando aut à bello & venatione domum redeunt, aut aliud aliquid expediuerunt. Mirabiles quoque cæremonias adhibent, quando aquæ in fluminibus aut portubus excrescunt, & se effundunt. Tunc magi ad littora veniunt, & nauigiis vltro citroque commeant, folia Nicotianæ, æs, *Pocon* & similia in aquam conjicientes, vt hoc pacto idoli sui iram auertuncent, eumque sibi propitium reddant. Ante prandium & cœnam vir quidam inter ipsos primarius aliquid cibi accipit, & illud victimæ ac gratitudinis loco in ignem conjicit. Vnaquęque gens singulis septem aut ad summum decem annis singulare & mirabile festum celebrat. Tale quoddam non ita pridem apud vrbem Iacobi ab incolis, qui *Quiycaghohacocken* dicuntur, celebratum fuit. Quindecim pueros, præ cæteris formosos, qui sunt decem vel quindecim annorum, accipiunt. Hos coloribus dealbatos certo loco constituunt. Populus circum eos ante meridiem per sex integras horas, crepitaculis sonantibus, saltat & cantat. A meridie collocant eos sub arbore. Viri, qui suas graues & magnas clauas manibus tenent, vtrinque duplici serie consistunt: ad quos quinque pueri ad id destinati accurrunt, vt pueros supradictos prehendant & abducant. Eorum vnusquisq; nudo corpore per infesta clauigerorum agmina currere, & in reditu puerum, quem abducit, corpore suo contra horrendos ictus protegere cogitur, dissimulato dolore, quem ab ictibus, qui ipsi incutiuntur, sentit. Nam viri isti, qui ab vtroque latere stationem habent, sęua verbera ingerunt. Diuersa parte mulieres ejulant, lamentantur, quiritantur, suasq; habent storeas, pelles & ligna arida ad filiorum suorum sepulturam. Viri, quando pueri per ipsorum ordines penetrarunt, ita insaniunt, quasi mente moti essent, & pueros ad se rapiunt, quibus lauream imponunt. Quid porrò cum iis agant, nos Angli non vidimus, nisi hoc, quòd eos semianimes in proximam vallē ducunt. Hoc modo peculiarem illum diem festum agunt. Cùm autem dux Schmidius, qui horum omnium spectator fuit, quendam Werovvancenem percontaretur, quid hæc sibi vellent, & quare in pueros ita sæuirent, respondit ille, pueros ex illis ictibus non mori, sed postero die *Wighsakon* haurire, quo in furorem agantur, ac tunc tutelæ ac disciplinæ junioris magi, qui in solitudine versetur, tradi, vbi sui dei *Oke* sanguinem sugant. Ego verò pro certo habeo, multos animam efflare. Nam ibi in paupere tugurio nudi jacent, & rarò aut nunquam cū quoquā loquuntur, nisi cum suis tutoribus ac præfectis, quibus tam arctis legibus subsunt, vt si eos jubeant asperrimo frigore in niue sedere, absque illorum mandato surgere non audeant: se autem mutuo incredibili amore complectuntur: & nouem menses hoc ritu initiantur. Eo tempore multi missus eis apponuntur, quorum nonnulli veneno sunt infecti. Iam qui cibos venenatos ab aliis discernere nouit, magni ab ipsis æstimatur, & in numerum *Quiyoughcohuckorum* cooptatur. Is gradus est ad dignitatem sacerdotalem seu magicam. Hoc festum tanti faciunt, vt persuasum habeant, si illud negligant & intermittant, futurum, vt *Oke*, atque etiam *Quiyoughcohughes* (quod aliud genus idoli est) grauiter ipsis succenseant, & impediant, ne ceruos, aues, pisces & alia ad victum necessaria capere possint, imò etiam multa aduersa ipsis immittant, ac tandem eos è medio tollant.

Tempestates donariis sedare student

Septennale & decennale festum.

Barbarorū fides de statu mortuorum post hanc vitam.

De *Werovvancenis* & sacerdotibus credunt, eos post mortem trans montes in locum quendā versus Occidentē migrare, vbi capita ipsorum oleo, *Poconibus* & pennis ornentur, ipsiq; serta, secures, æs & folia Nicotianæ accipiant, & totum tempus saltando, cantando & hilaria celebrando in omnem æternitatem consumant. Plebejos verò existimant morte prorsus interire, & in nihilum redigi. Quidam Angli conati sunt barbaros, præcipuè *Werovvancenos*, qui cæteris religione ingenio & calliditate longè antecellunt, ab hac horrenda & damnabili idololatria, inprimis â festo modò memorato abducere atq; auocare: verùm nihil dum obtinere potuerunt. Quanquam autem eos nondum & religionem Christianam conuertere potuerunt: tamen eò jam illos perduxerunt, vt nostram religionem magni faciant. Nam Princeps eorum solet dicere: Anglorum religio tanto melior est nostra, quanto longius ipsorum scloppeta & tormenta pertingunt, quā nostræ sagittæ. Sæpe etiam Anglos, missis nuntiis, rogarunt, vt suum Deum inuocarent, quò ipsis pluuias & alia necessaria largiretur: nam suos deos nihil posse præstare aut dare. Sed miseri homines ita à Diabolo excœcantur & decipiuntur, vt eum inuocent, quem non norunt: illud autem, quod norunt, rejiciant.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

De politia incolarum Virginiæ.



Tsi populi sunt barbari & agrestes, tamen hoc in ipsis laudandum est, quod superiores imperando, subditi obtemperando multis aliis gentibus si non præferendi, attamen comparandi sint. Suma potestas penes vnum est: vnus enim imperator multis regibus & dynastis præficitur. Monarcha ipsorum propriè *VVahunsanachok*, vulgò autem à loco, vbi sedem habet, *Povvhatan* appellatur. Prouinciæ, quas à suis maioribus hæreditate & successione accepit, sunt hæ: *Povvhatan*, *Appamatuk*, *Pamanuke*, *Youghtanus*, & *Mattapaniont*: reliquas, quæ in tabulis Geographicis extant, bello acquisiuit. Inter loca hæreditaria quasdam domos habet nostris hortis & ædificiis vrbanis similes, quæ cibo & annona, pro ratione temporis, instructæ sunt. Solebat etiam prope *VVerovvomocon* quatuordecim circiter ab vrbe Iacobi milliaribus, habitare: sed metu Anglorum inde discessit, & in solitudine apud scaturiginem fluuij *Chickahamania*, inter *Povvhatan* & *Youghtan* consedit: qui locus *Orapacks* nominatur. *Politia incolarum.*

Rex *Povvhatan* proceræ est staturæ, corpore bene cõposito, tenera facie, cano capite, barbâ tenui, añorum circiter sexaginta, labori, inædiæ, ærumnæ assuetus. Stipatores habet circiter quadraginta, ex fortissimis viris totius regni selectos. Singulis noctibus quatuor ad quatuor angulos domus excubant: & post mediam horam semper vnus inclamat, cui cæteri respondent. Si quis autem dormiat, aut ad clamorem non respondeat, verberibus à satellitibus malè multatur. *Descriptio regis Povvhatan.*

Mille circiter passibus ab *Orapaks* densa quædam est silua, & in ea domus, in qua rex thesaurũ pro sua sepultura congerit, nempe pelles, æs, margaritas & similia. Eodem loco minium, ad arcus & sagittas colorandas, eruitur & asseruatur. Domus ista sexaginta circiter pedes longa est, nec vlli, præterquàm sacerdoti, in eam intrare licet. Ad quatuor angulos stant quatuor statuæ, velut custodes domus, nempe draconis, vrsi, leopardi, gigantis: quæ non admodùm politè sculptæ sunt. *Eius thesaurus.*

Vxores habet pro libitu: & quando sedet, vna ad dextrã, altera ad sinistram ipsi assidet: quãdo cubat aut dormit, vna ad ceruical, altera ad pedes ipsius iacet: ante & post sumptum cibum, vna ipsi aquam ad manus abluendas in lignea paropside porrigit: altera loco mantilis fasciculum plumeum habet, quo ille manus suas abstergit. Eum ipsa postea rursus siccat. Rege mortuo, regnũ immediatè in fratres ipsius, tum in sorores, atq; vlteriùs in primogenitæ sororis filios aut filias, nunquam in liberos ipsius mares deuoluitur. *Vxores.* *Successores in regno.*

Rex omnesq; ipsius subditi legendi & scribendi sunt imperiti: quapropter legem suã litteris mandare non possunt, ita vt consuetudo ipsis loco legis sit. Nihilominus Rex suis subditis iura & leges pro arbitrio dare solet, quibus nemo resistere audet. Nam eum non tantùm pro rege, sed penè pro deo habent. Minores seu inferiores reges, quos *VVerovvancenes* appellant, legibus veteri cõsuetudine tenentur, & suo loco etiam ius vitæ ac necis in suos obtinent. Nomẽ seu titulus *VVerovvances*, vocabulorum penuriâ, etiam belli ducibus tribuitur. Vnusquisq; horũ regũ fines suos & loca, in quibus venãdi & piscãdi ius ipsi est, cognita & perspecta habet: omnes tamẽ magno Werovvãci, *Povvhatan*, parent, & quotañis vectigal pẽdũt: nempe, pelles, coralium, æs, gemmas, margaritas, aues, carnes ferinas & fruges. Mandatum ipsius inuiolabiliter seruant: nec dici potest, quãtopere eum reuereantur, & ad nutum ipsius se accomodent, etiã principes & reguli: quippe imorigeros & maleficos seuerè & tyrañicè punire solet. Exẽpli caussâ: Quosdam maleficos manibus pedibusq; vinciendos curat, quos in circulũ, candentibus prunis circumdatũ, conijcit: vbi tamdiu torrentur, donec moriantur. Interdum malefici capita sua altari imponere coguntur, fustibus acriter tũdẽda. Si quis grande aliquod flagitiũ perpetrarit, eum arbori alligari iubet: ibi satellites testis figlinis articulos & membra ipsius abscindunt, atq; in ignem coniiciunt: tum iisdem instrumentis pellem ipsi detrahunt, & ventre aperto, ipsum cũ arbore cremant. Hoc pacto, vt ipsi commemorant, Georgium Cassenũ, Anglũ excoriarũt & neci dederunt. Plerunq; autem maleficos solẽt fustibus imanibus horrendũ in modum cædere. Vidi (inquit dux Schmidius) quendã corã rege in genua procũbentem, qui fustibus vsq; ad necem multatus fuit: quod supplicium tam patienter tulit, vt nullũ doloris signũ ederet. Hinc est, quòd regẽ suũ, numinis instar adorẽt: & quando ipsi munus aliquod offerũt, aut vectigal pẽdunt, corã eo in genua procidũt, & plusquàm humano cultu ipsum venerãtur. *Barbari sunt legendi & scribendi imperiti.* *Obedientia ipsorum erga suum regem.* *Maleficos puniendi ratio.*

Año 1608. gentẽ *Payanhatank*, sibi vicinam ac subiectam hoc astu deuicit. Multos ex suis in ædes ipsorum, quasi pernoctandi gratiâ præmisit: qui noctu ædes ipsorum cinxerunt, & horâ constitutâ inuaserunt. Illis oppressis capita decusserunt, & vxores ac liberos cum Werovvance captiuos ad suũ Povvhatan adduxerunt: capita autem occisorum arboribus infixerunt. Quibus gestis, magnificum triumphum egerunt, quasi totum orbem aperto Marte debellassent. Id ipsum Anglis

qui

qui tunc apud eos commorabantur, significarunt, sibique persuaserunt, quasi eos quoque hoc pa-
cto incautos opprimere ac delere possent.

CAPVT SEPTIMVM.

De ducis Schmidii captiuitate & liberatione, nec non de barbarorum triumpho & mirabilibus incantationibus.



Ir strenuus & præstans, dux Schmidius, qui non tantùm Virginiam & alias Septentrionales regiones perlustrauit, sed etiam incolarum animos, ingenia, mores & gestus magno labore & singulari prudentia explorauit, in tertia sua peregrinatione, vt gentem *Chickahamineram* dictam cognitum iret, duodecim tantum Anglis comitatus, nauigiolum ingressus est: quo postea relicto, cum duobus nobilibus viris in littus exscendit. Interea reliqui, quos in nauigiolo manere jusserat, contra ipsius mandatum, littus quoque subierunt, vbi à barbaris impetu in eos facto, duo ex ipsis capti fuerunt. Hi à barbaris ita torti & excruciati fuerunt, vt viam, quâ Schmidius iter facere instituisset, ipsis indicare cogerentur: quâ cognitâ, eum cum trecentis sagittariis, sub rege & præfecto suo, *Pamanuke*, persequuti sunt, & duos Schmidij socios, quos apud focum sedentes inuenerunt, sagittis confecerunt: ipse Schmidius, vt peninsulam quandam perlustraret, nonnihil ab ordinaria via secesserat. Barbari autem, ipsum conspicati, horrendum clamorem sustulerunt, & sagittis ipsum petiuerunt. Ille verò manus non in sinum abdidit, se defendit, tribus barbaris occisis, & reliquos tam animosè persequutus est, vt illi terga verterent. Inde ad nauigium suum iter reflexit: cumque subinde retrospiceret, in barbaros magis, quàm in viam, quâ incedebat, intentus, in profundam foueam vsque ad vmbilicum lapsus est. Barbari tamen ad ipsum appropinquare non audebant, donec arma deposuit, atque à se abjecit: quod ideo fecit, vt illi eum fouea extraherent: nam membra ipsius frigore diriguerant. Illi igitur eum ex fouea extractum ad ignem duxerunt, ad quem socij ipsius interfecti fuerant, vt ibi se calefaceret. Cùm isthic esset, solarium ex ebore regi *Pamanuke* dono dedit: quod barbari admirati, & multum diuque contemplati sunt. Illo autem eos compellante, & de motu cœli, de terra diebus ac noctibus, de varijs populis, qui in mundo essent, itemque de Deo & beatis hominibus verba faciente, barbari omnes attoniti steterunt, arrectisque auribus eum audiuerunt. Nihilominùs post horam eum ad arborem alligarunt, & jam in eo erant, vt sagittis eum configerent: verùm rex *Pamanuke*, ostenso ipsis solario, eos continuit: quamobrem illi triumphabundi eum ad *Orapacks* deduxerunt. Vt autem Lector intelligat, quomodo triumphare soleant, sic illi cum captiuo egerunt. Regem suum cum præda in medio agmine constituerunt: eum sequebatur Schmidius, à tribus caculis ductus, & ab vtroque latere sex sagittariis circumdatus. Cùm ad pagum, qui quadraginta circiter domibus venatoriis, ex storeis ad similitudinem tentorii confectis & erectis, quas facilè demoliri, & aliò transferre possunt, constabat, venissent, mulieres & pueri ad hoc spectaculum cum admiratione accurrerunt. Milites, à stipatoribus regiis ordine dispositi, captiuum, velut muro, vndique cinxerunt. Cùm eum aliquot horis satis superque aspectassent, in orbem circumfusi, mirificis gestibus & horrendo vlulatu saltare cœperunt. Omnes caput atque humeros oleo delibuti, & rubro colore, quem *Peconen* vocant, tincti fuerunt. Vnusquisque eorum pharetram sagittis refertam cum fuste, dorso gestabat: brachio pellem vulpis & aquæ, manu arcum tenebat: in capite pellem cujusdam auis exsiccatam & cum alis distentam, vnà cum segmento æris, candida testa, oblonga penna, & aliis rebus ludicris ac puerilibus, habebat. Interea rex & Schmidius in medio orbe consistebant, donec illi choreas suas peregissent: quibus finitis, discesserunt.

Dux Schmidius regionem vlterius explorare instituit.

Capitur à barbaris.

Modus triumphandi apud barbaros.

Captiuum in amplam domum abduxerunt, in qua à quadraginta viris custoditus fuit. Mox tantum panis & farinæ attulerunt, quantùm pro viginti hominibus sufficeret: reliquum in lagena de collo ipsius suspenderunt. Media nocte bis ipsi cibum attulerunt, quem nemo attigit, donec postero die plus afferretur. Tunc quod ex præcedenti die superfuerat, comederunt, & reliquum asseruarunt. Captiuus autem nihil aliud exspectabat, quàm vt saginatus, ab ipsis mactaretur & deuoraretur.

Vnus ex barbaris, cui *Moacassatero* nomen erat, vt gratiam captiuo pro coralia, quod ab ipso acceperat, referret, togam suam ei injecit, qua se contra frigus tegeret. Alius autem, cujus filium in pugna interfecerat, infesto animo ipsum aggressus est, montem ei intentans: sed milites & custodes eum tutati sunt.

Captiuus ipsis significauit, se optimam aquam in vrbe Iacobi habere: si permittere vellent, se eam ipsis allaturum. Illi verò responderunt, se vrbi illi bellum illaturos, & libertatem atque vxores

ipsi

ipsi detulerũt, si hac in re ipsis operam nauare vellet. Ille in tabula quadam vrbis illius munitiones depinxit, hortatusque est ipsos, vt eam ad Anglos, qui in ea vrbe essent: transmitterent. Protinus nuntios quosdam ablegarunt, qui etiã in summo frigore eò profecti sunt. Sed hi conspectis aliquot Anglis, qui ipsis obuiam veniebant; tabulam abiecerunt, & aufugerunt. Angli verò tabulam sublatam ad socios in vrbem pertulerunt.

Carmonia barbarorũ in incantationibus.

Posthæc barbari captiuum ad populos *Toughtanunds*, *Matapanients*, *Payenkaticks*, *Nantaughtacunds*, *Onananmanients*; & in reditu per varia loca variasq; gentes duxerunt. Sed in regis *Pamanucke* ædibus eum his cæremoniis & incantationibus exceperunt. In magna domo ignem accenderunt, & ab vtroq; latere stoream posuerunt: in quarum vna captiuus, postquàm custodes exiissent, considerè iussus est. Mox ingressus est archipresbyter (insignis nebulo) qui oleo inũctus, carbone atratus, & planè deformis erat: capite pileum ex anguium & sciurorum pellibus mirificè confectum gestabat: manibus crepitacula tenebat. Is saltitare, & voce prorsus tartareâ atq; horrendis gestibus vlulare & clamare cæpit: tum ignem circulo, sparsâ farinâ, inclusit: quo facto, tres alij cacodæmones intrarunt, eosdem gestus vsurpantes. Hi partim nigro, partim rubro colore picti erant, & candidos oculos habebant. Cum hi choream in gyrum egissent, tres alij, rubicundis oculis, facie nigra, cum albis lineolis, irruperunt. Ibi omnes simul tripudiare, archipresbyter autem cũ tribus aliis considere, & adhibitis suis crepitaculis cantionem modulari: quâ finitâ, ille quinq; grana tritici in terra posuit, & brachia totumq; corpus tanta vi distendit, vt sudor propter vehementem motum erumperet, & venæ corporis intumescerent. Postea breuem orationem habuit: ad quam reliqui altè suspirium duxerunt. Tum archipresbyter tria grana tritici humi deposuit, & priorem cantum repetiit, rursusq; perorauit, & grana tritici toties ac tamdiu in solum demisit, donec ignem velut gemino circulo ambiuisset. Habebant præterea fasciculum baculorum, quorum vnum post



quamq; cantilenam & orationem, inter geminos granorum triticeorũ orbes collocarunt: quibus cæremoniis totum diem à manè vsq; ad vesperam, consumserunt. In his peragendis omni cibo vsq; ad noctem abstinuerunt, & captiuum tamdiu cũ illis ieiunare oportuit. Postmodùm comedere,

bibe-

bibere, ac genio indulgere cœperunt. Hanc insaniam triduum insaniuerunt, idq; in eum finem, quemadmodum iactabant, vt captiui animum expiscarentur, an bene vel malè erga ipsos affectus esset. Circuli ex farina ducti, regionem: orbes ex tritico, portus maris; baculi, patriam ipsorum denotabant. Mundum enim ex omni parte rotundum, & se in medio eius habitare statuunt. Deinde saccum plenum polentâ intulerunt, quem diligenter vsq; ad Ver proximum asseruant, vt habeant, quod ferant, & vnde victitent.

Regis frater, *Opithchapam*, captiuum secum domum duxit, & ei aliquot patinas, pane, auibus, & carne ferina repletas, apponi curauit: ex quibus nemo ipsorum gustauit, sed reliquum in lagenas recondiderunt. Cum ad *Opekinkanoughs* reuersus esset, omnes regis vxores ac liberi eum adierunt, vt quod ex cibis supererat, pro more suo auferrent. Tandem eum ad suum *Povvhatan* duxerunt, apud quem ducenti aulici fuerunt, qui eum cum admiratione intuiti sunt. Cùm Povvhatan se magnificè ornasset, captiuus ad eum adductus fuit. Povvhatan autem hoc apparatu se conspiciendum exhibuit. Assidebat ipse foco, ad vtrumq; latus virginem habens: ante ipsum viri, à tergo mulieres sedebant, quarum vbera rubro colore tincta apparebant: quædam pennis auium, nonnullæ candido coralio, aliæ aliis rebus comtæ erant. Cùm se regi sisteret, omnes magnum clamorem ediderunt. Regina, *Apanatucke*, aquam ad abluendas manus regi attulit: aliæ mulieres fasciculo plumarum eas absterserunt. His omnibus peractis, barbari deliberarunt, quo genere mortis captiuum afficere vellent. Consilio habito, duos ingentes lapides ad Povvhatan attulerunt, & quotcunq; eorum captiuum manibus attingere poterant, eum comprehenderunt, & ad lapides illos adduxerunt. Tunc caput eius vni ex illis imposuerunt: ipsi verò suis clauis accincti stabant, vt eum ferirent & obtruncarent. Quid fit? Regis filia, *Pocahuntas*, misericordiâ erga virum fortem commota, pro ipso intercessit, eumq; vitæ suæ periculo liberauit. Nam caput ipsius in sinum suum recepit, & caput suum contra percussores obuertit, vt eum morti eximeret. Rex autem ipsi vitæ gratiam fecit, mandauitq; vt ei, quæ ipsum liberasset, secures, serta, crepitacula, & similia conficeret. Nam rex putabat, eum hæc omnia elaborare posse: quandoquidem rex, etsi reditus suos à subditis accipiat: tamen ipse suis manibus vestes, calceos, arcus, sagittas, ollas, & similia operatur.

Barbari de duce Schmidio necando deliberant.

Filia Regis ipsum liberat.

Biduo post Povvhatan, terribili vultu minax, captiuum solum in magna domo, quæ in media solitudine erat, ad focum sedere iussit. Ibi tragica vociferatio & corybanticus vlulatus qualem antea nunquam captiuus audiuerat, à tergo insonuit. Tum Povvhatan cum viginti barbaris atro colore imbutis ingreditur, & captiuo significat, se ipsius amicum esse, & ei potestatem facere ad suos in vrbem Iacobi redeundi, petitq; vt sibi duo tormenta & lapidem molarem per tabellarium mittat: pro quibus prouinciam *Capahovosick* ipsi cedere, eumq; sibi filium adoptare velit. His dictis, eum cum duodecim barbaris dimisit: quos Schmidius redux opiparo conuiuio exceptos, lautè tractauit. Duas quoq; colubrinas cum lapide molari, *Paukunt*, fido Regis ministro, ostendit: cui vt illa domino suo afferret, mandauit. Sed nimis ponderosa, & lapidibus onerata erant. Quapropter illa aduersus arborem displodi iussit, quæ magno fragore corruit: quare territi barbari, illis relictis, vilia quædam munuscula acceperunt, cum quibus domum sunt reuersi.

CAPVT OCTAVVM.

De prælio nauali, anno 1620. ad littus Virginiæ inter vnam Anglicanam & duas Hispanicas naues commissio.



ANno 1620. ineunte Februario, nauis, cui nomen nigra *Hodge*, classiariis Anglis plena onerum circiter centū & sexaginta capax, atq; octo tormētis & & vno falconello instructa, ex Anglia soluit, quæ in Virginiam iter instituit, & 14. Martij prope *Matalin* appulit. Cùm vlteriùs pergeret, & *Menin* peteret, vt ad littus propius accedere posset, duas magnas naues, quæ prope ostium in anchoris stabant, conspexit. Angli opinabantur, Batauos in iis esse, non tantum quia naues illæ Batauarū formā habebant, sed etiā quia thalassiarcha Batauorum vexillū gerebat. Quapropter Angli, qui nihil periculi aut incōmodi metuebāt, ad naues illas admouerunt, non tantum vt in littore nonnihil quiescerent, & se recolligerent, sed etiam recentem aquam haurirent: & anchoras nō longè ab illis iecerunt: vt autem rem certiùs cognoscerent, quosdam scaphæ impositos, naues illas explorare iusserunt: qui mox reuersi, duas esse Hispanorū naues bellicas retulerunt. Nihilominùs Angli scapham iterum eō miserunt, maioris certitudinis caussa, atq; vt plus temporis haberent, se ad pugnā capessendam, si opus foret comparandi. Nam nauis eorum supellectile & variis mercibus ita repleta erat, vt tormenta vix rectè disponere, & arma ad pugnandum expedire possent. Qui scapham ingressi erant, ad posteriorem, quæ subprætoria erat, prouecti quæsiuerunt, quinā essēt. Hispani autē Anglos, vt ad se venirēt, & potestati eorū sese dederent, monuerūt. Quo audito, Angli cōtinuò retrocesserūt. Quod cū viderent Hispani, crebris scloppetorū ictibus eos petiuerūt, quibus aliquot ipsorum remos confregerūt, neminē autem ex Anglis læserunt. Cùm Angli à sua naui

Hispani vexillum Batauorum vsurpant.

tantùm

tantùm sclopperi iactu abessent, Hispani prouecti, tormentis contra eos fulminarunt: sed illi in nauem suam se receperunt. Hanc quoq; Hispani omnibus viribus inuaserunt, tametsi tunc Angli adhuc ad pugnam imparati essent, & sua tormenta nondum aptè collocassent. Subprætoria, captato vento progressa, Anglorum nauim infesta displosione lacessiuit: quod initio Angli, qui fugam potiùs, quàm pugnam meditabantur, dissimularunt. Cùm autem præter suam voluntatem ad pugnam & sui defensionem adigerentur, necessitati paruerunt, & Hispanos tam animosè adorti sunt, vt post pugnam sesqui horæ Hispani Anglorum impetum diutiùs sustinere non potuerint, sed iis omissis in littus euaserint. Quod vbi præfectus prætoriæ animaduertit, vexillo Batauo remoto, & laruâ depositâ, Hispanicum vexillum erexit, & nauem ac vires suas contra Anglos conuertit. Principio tamē ex Anglis quæsiuit, quinám essent: qui se Anglos esse responderunt, nec in animo habere, ipsis vim aut damnum inferre, nisi vim iniustam vi legitimâ repellere cogantur. Ille autem petiuit, vt Angli supremum velum demitterent & conuoluerent, idq; iure priuilegij, quod rex Hispaniæ sibi concessisset. Responderunt Angli, se non posse huic priuilegio obtemperare. Quemadmodum autem Hispanos, præsertim eos, qui Regi Hispaniæ subiecti essent, vllâ iniuriâ afficere nolint, quandoquidem illorum Rex cum suo Rege pacem colat: sic non passuros, vt aliqua sibi iniuria ab illis infligatur. Quibus dictis, Anglorum supremus dux in puppim descendit, nec plura cum Hispano verba commutare voluit. Petierant Hispani, vt ille ad se veniret, & diploma sui Regis exhiberet: quod Anglus simpliciter recusauit, se tamen illud exhibiturum promittens, si Hispani in scapha quosdam ex suis in Anglorum nauim mitterent. Secundùm hæc Hispani duo maiora tormenta & aliquot scloppetorum ictus in Anglos, qui in superiori tabulato stabant, disploserunt, & eò vesaniæ processerunt, vt strictis gladiis exitium Anglis minarentur, & eos conuitiis incesserent. Cùm propiùs ad Anglorum nauim applicuissent, scloppetarij Angli, qui in naui latebant, signo dato, in eos iaculati sunt, moxq; aliqua maiora tormenta displosa fuerunt: ob quā caussam Hispanorum nauis recessit. Postea verò Hispani, redintegrato certamine, Anglos inuaserunt, & cum iis dimidiæ horæ spatio acriter pugnarunt, tantusq; ipsorum ardor erat, vt iam Anglorum nauim conscendere inciperent: quos tamen Angli sarissis & scloppetis abegerunt, ita vt multi eorum in mare præcipites ruerent, & piscium esca fierent: quanquam inter Anglos quoq; multi sauciati fuerunt. Iamq; Hispani fugam arripere volebant, cùm præfectus ipsorum, quem tanta ignominia pessimè habebat, suos cohortationibus & comminationibus impulit, vt cum Anglis rursus prælio decernerent: sed eodem, quo priùs, successu. Nam Angli suis tormentis redeuntes ita salutarunt, vt vox profectò illi cum vita exciderit, & Hispani, qui tantis animis Anglos appugnatum venerant, turpi fugâ sibi consulere cogerentur.

In hoc certamine Angli quatuor tantùm tormentis vsi sunt: nam reliqua nondum erant parata: quatuor tamen illis tunc suffecerunt. Nam ea tam gnauiter in Hispanos disploserunt, vt eorum multi perierint, & metu trepidi significarint, se pugnâ desistere velle. Quoniam verò nauis eorum ad funem quendam Anglorum hærebat, eo rescisso, celeri fugâ se proripuerunt, non intermissa à longinquo tormentorum displosione, canes nimirum imitati, qui cùm ab hostibus se liberatos vident, tunc maximè latrant. Quo minùs autem Angli Hispanorum prætoriam persequerentur, obstitit subprætoria, quæ ad opem illi ferendam se comparabat. Eam Angli dimidiâ columbrinâ ita perterebrarunt, vt ad littus properare cogeretur. Prætoria sui præfecti casu mæsta, in altum se recepit. Angli per noctem damnum, quod acceperant, vtcunque sarserunt, & se ad pugnam, si necessitas postularet, rursus ineundam accinxerunt. Cùm illuxisset, Hispani præ se tulerunt, quasi cum Anglis denuo confligere, eosq; deuorare vellent. Verùm hæc simulatio nihil aliud fuit, nisi Hispanica ostentatio. Nam licet horam integram iactu tormenti ab Anglorum naui constiterint: tamen nihil tentarunt, sed passis velis ad proximam insulam tanto silentio nauigarunt, vt non paucos inter ipsos periisse, aut lethaliter vulneratos esse appareret.

In hoc prælio ex Anglis octo statim occubuerunt: duo paullo pòst ex vulneribus obierunt, sedecim conualuerunt: quot ex Hispanis desiderati fuerint, non constat: quorum tamen non paucos fuisse certum est, cum sanguine suo mare rubefecerint. Nauis eorum prætoria tanta erat, vt trecentorū onerum capax esset. Viginti duo maiora tormenta, magnamq; armorum & annonæ copiam vehebat. Subprætoria etiam trecenta onera portare poterat, & sedecim tormentis instructa erat, cætera prætoriæ similis. Etsi verò inter Anglos & Hispanos magna esset inæqualitas: tamen Angli victoriâ potiti sunt, Deo illis, qui bonam caussam habebant, contra iniustam aliorum vim opitulante.

CAPVT NONVM.

De magna clade, quam Angli anno 1622. 22. Martij in Virginia acceperunt:



Pax inter Anglos & Barbaros sancita.

AB eo tempore, quo Angli primùm in Virginiam venerũt, multas curas, molestias, labores & pericula exantlarunt. Nam Diabolus per sua organa, nempe sacerdotes, barbaros contra eos incitauit, ita, vt multos, quoties facultas fuit, obtruncarint. Tandem res eò deducta fuit, vt firma pax inter Anglos & barbaros ad aliquot annos contraheretur, & vtrinq; iureiurãdo sanciretur. Rex quoq; Povvhatan promisit, se regi Angliæ subiectum ac tributarium fore, pacemq; factam in æs incidi, & tabulam maximæ quercui ad suum palatium affigi curauit: quam pacem vtraq; pars magno cum gaudio amplexa est. Ad eam rem barbaros necessitas impulit, vt se Anglorum ope contra hostes tuerentur. Angli verò eò spectabant, vt per hanc pacem res suas tanto melius in ea regione stabilirent. Hæc pax longo tempore inuiolata perstitit, adeò vt Angli passim sine gladiis & scloppetis incederent: & barbari eos crebrò inuisere, cum iis cibum capere, ac familiariter conuersari cæperunt. Vicissim Angli in solitudines ad ipsos se contulerunt, & spem conceperunt, fore, vt barbari tanto citiùs ac faciliùs ad Christianam fidem conuerterentur. Nam omnia inter ipsos tranquilla ac pacata erant.

Atq; vt pax hæc tantò firmiùs seruaretur, Angli Povvhatan, cum quo ipsis aliquid negotij erat, mense Martio pacis memoriam refricarunt: quibus ille inter alia respondit, se pacem cũ ipsis optima fide culturum, futurumq;, vt cælum potius dissoluatur, quàm illa rumpatur. Sed hæc mera fuit fraus, simulatio & hypocrisis. Nam barbari clam consilium inierant, Anglos omnes trucidandi. Biduo antequàm hoc facinus exequi decreuerat, quosdam Anglos per periculosas solitudines, incolumes deduxerant, & eos, qui linguæ addiscendæ causâ aliquandiu apud ipsos comorati fuerant, amicè dimiserant: præterea alios Anglos, qui cum suis nauibus appulerant, benignè exce-



perant.

perant: die Veneris, priusquam scelus istud perpetrarent, ad Anglos in ipsorum ædes sine arcu & sagittis venerant, & pelles, pisces aliaq; similia attulerant, vt ea cum Anglorum mercibus permutarent. Quibusdam locis cum Anglis epulati sunt: sed mox in eos irruerunt, eosq; cultris & aliis instrumentis iugularunt, neq; vlli pepercerunt: quod tanta celeritate exequuti sunt, vt Angli iã telis ipsorum obruerentur, priusquam aliquid sinistri suspicarentur. Hunc domi operantem necarunt: illum in agro rei rusticæ intentum mactarunt. Hoc pacto contra omnia diuina atq; humana iura, trecentos & quadraginta Anglos, viros, fæminas & pueros interfecerunt. Nec cæde innocẽtum expleri potuerunt, sed etiam in cadauera defunctorum sæuierunt, noua illis vulnera infligentes, & ea hinc inde crudeliter raptantes, ac membra amputantes. O egregiam victoriam & insignem triumphum! Nec manus truculentas ab amicis & benemeritis abstinuerunt: cuius rei vnicum exemplum hoc loco referre lubet. *Fraus & perfidia barbarorum.*

Georgius Thorpe, scutifer, vir generosus & beneficus, vnus ex primariis ducibus in Virginia cõuersionem barbarorum præ cæteris curæ cordiq; habebat, nec patiebatur, vt vlla iis fieret iniuria: quidquid ab ipso petebant, hoc impetrabant: & si quis eos aliqua iniuria afficeret, in eos seuerè animaduertebat. Imò regi barbarorum multa & splendida dona mittebat: & quoniam ille vilem domum, ex storeis & iuncis confectam, habebat, egregiam & magnificam ipsi exstruendam curauit, vt hoc pacto illum sibi tanto magis deuinciret. Rex verò illâ domo, præsertim autem clauibus & seris, tantopere delectabatur, vt in iis claudendis & aperiendis multũ sæpè tẽporis contereret.

Hac ratione beneuolentiam Regis sibi conciliabat, & de religione veroq; Dei cultu frequẽtes cum ipso sermones habebat, atq; omni studio annitebatur, vt eum ad Christianam religionem pelliceret. Atq; is iam agnoscebat, Christianorum Deum suo & meliorem & potentiorem esse, qui ipsis multo plura largitus esset, quàm ipsi à suo deo accepissent. Ad quæ Thorpe responderat: Noster Deus tibi plura & præstantiora dona largietur, si eum ritè colas, & ex animo ad ipsum te conuertas. Igitur Thorpe bonam spem de Regis conuersione conceperat: & ille cum omnibus suis subditis Anglos singulari amore prosequi videbatur. Sed merus erat fucus & impostura. Nam hæc progenies viperarum hunc optimum virum eadem, quâ cæteros, immanitate occidit, & in eius cadauer debacchata est. Monitus quidem ille fuit à suo famulo horam antequam interficeretur, vt sibi à barbarorum insidiis, quas ille subodorabatur, caueret: sed quoniam barbaris nimium fidebat, hanc admonitionem contemsit: quod ipsi exitium attulit. Nam famulus in vrbem Iacobi confugit, atq; ita periculum euasit.

Eodẽ tempore barbari quatuor nauibus ad vrbẽ Iacobi vecti sunt, ea mente vt Anglos ibidẽ è medio tollerent: sed consilio eorũ iã detecto, repulsi fuerunt, In aliis etiã quibusdã locis irritus fuit ipsorum conatus: & vbicunq; barbari scloppetum paratum viderunt, in fugam se coniecerunt. *Quomodo consilium barbarorum de Anglis trucidandis detectum fuerit.*

Hac calamitate omnes Angli qui in Virginia erãt, oppressi fuissent, nisi Deus animũ cuiusdã Indi, ad Christianismũ cõuersi, mouisset, vt nefariũ hoc consiliũ patefaceret: quod hoc modo accidit. Duo fratres Indi duob9 Anglis, quorũ vnus Perry, alter Pace vocabatur, seruiebant. Cùm sub noctẽ ambo cubitũ irent, vnus alterũ hortatus est, vt suũ dominũ Pace interimeret, se quoq; similiter cũ suo, cui Perry nomẽ erat, acturũ. Nã Regẽ seuerè mãdasse, vt omnes Angli ad internecionẽ delerẽtur: & postero die multos ex suis popularibus venturos, qui impetũ in Anglos facturi essent. Quid fit? Frater istius Indi simulat, quasi consiliũ illud probaret: postero autẽ die manè herũ suũ accedit, & illi rem indicat. Nã dominũ suũ Pace, non secus ad patrem diligebat: & ab eo vicissim, vt filius, diligebatur. Eo audito Pace domũ suã confestim munit, & cõscensâ nauiculâ fluuiũ, ter mille passus latum, transmittit, ad vrbẽ Iacobi ꝓperans, vt pfecto vrbis, quæ intellexerat, referret: qui cõtinuo eadẽ cæteris Anglis, vbicunq; essent significauit. Sic aliquot millia hominũ periculo erepta fuerunt. Præterea compertũ fuit, añõ 1621. regẽ *Opankankano* cum alio rege Indorum egisse, vt sibi copiam veneni, quod sponte in ipsius ditione crescebat, ad Anglos necãdos suppeditaret: quod tamen ille facere detractarit, tametsi alter eũ multis p̃miis sollicitasset. Id ipsum rex ille Anglis, post stragem à barbaris editam, narrauit, & se suorum aulicorum testimonio confirmaturum recepit.

Cæterùm quid barbaros ad tam indignum facinus suscipiendum impulerit, de eo variant sentẽtiæ. Quidam aiunt, barbarum quẽdã, à suis *Nemaltanou*, ab Anglis *Iack off the Fether* dictũ, qui in magna apud barbaros existimatione erat, Anglo cuidã, cui *Mozgan* nomen fuit, persuasisse, vt secum *Pamanuke* ad mercaturam exercendam ꝓficisceretur: quò cùm venisset, Anglum à barbaro insidiosè fuisse interfectum. Cæde ꝑpetratâ, barbarum *Mozgani* domesticos adiisse, & ipsis nunciasse, *Mozganum* in itinere decessisse. Cui nũcio cũ illi fidẽ non adhiberẽt, & barbarũ ad p̃fectum suũ trahere, atq; in ius vocare vellẽt, eũ tãtâ vi reluctatũ fuisse, vt Angli arma corripere, & cum scloppeto trãsuerberare coacti fuerint. Hunc autẽ barbarũ qui suis popularibus ꝑsuaserat, se ĩmortalẽ & ab ictu scloppeti ĩmunẽ esse, cũ se lethaliter ꝑcussũ sẽtiret, Anglos rogasse, vt se inter Anglos tumularẽt, & mortẽ suã barbaros celarẽt, ꝓpterea ꝙ iactasset, se morti obnoxiũ nõ esse. Porro regẽ *Opachancanough*, cognitâ ipsius nece, excãduisse, & minatũ esse, se hoc facin9 grauiter inter Anglos vlturũ esse.

Dissimulatâ autem ad tempus irâ, pacem tamdiu cum Anglis coluisse, donec hæc, quam diximus, iræ suæ habenas effundendi occasio ipsi offerretur. Sed vera & certa cladis Anglorum caussa hæc esse videtur, quod barbari à Diabolo ad hoc nefandum facinus incitati fuerint, qui per sacerdotes idololatras ipsis persuasit, futurum, vt Angli ipsos eodem modo, quo Hispani Indos in Occidentalibus regionibus, exterminarent: cui malo tempestiuè præueniendum esse.

Quapropter Angli, sequenti æstate, misso exercitu barbaros hostiliter inuaserunt, agros & ædes ipsorum diripuerunt ac vastarunt; *Pamanuke*, quæ regis *Opechancanough* præcipua sedes erat, obsidione cinxerunt, & occuparunt; ipsumq; eo, quod meritus erat, capitis supplicio affecerunt. Adhæc nouum illic oppidum condiderunt; & barbaros in eas angustias redegerunt, vt ipsis perpetuus iam metus iniectus sit: Angli verò cautiùs se gerunt, mutuâ inter se concordia deuincti. Rex quoq; Angliæ maiora aliquot tormenta cũ apparatu necessario ex armamẽtario Londinensi ipsis submisit, mandauitq; vt regionem illam magis ac magis sibi subiicerent atq; excolerent.

CAPVT DECIMVM.

Quo loco res Anglorum nunc sint in Virginia, quibus commoditatibus fruantur, quæq; recens illic inuenerint.



Oca, quæ Angli incolunt, sunt multa & varia, pleraq; autem optima & fertilissima. Præcipua sunt hæc: Vrbes *Iacobi*, *Henrici*, *Bersmuda*, *VVest & Ascherley*, *Kequeugton*, *Dales Giff*, cum suis prouinciis & territorio. Incolæ huius regionis sunt partim agricolæ, qui terram colunt, partim opifices, vt sartores, fabri lignarij, sutores, & similes. Quidam etiam satellitio Proregis sunt destinati, vt eum tueantur, & pro salute eius excubent. Anno 1621. Anglicana societas nauem panno, varia supellectile, aliisque rebus necessariis oneratam eò misit, ibique domum emporeticam exstrui curauit.

Schola pro barbaris ab Anglis instituta. Nec hoc loco prætereundum est silentio pium & magnificum opus, regio diplomate approbatum & confirmatum, nempe seminarium seu schola ab Anglis instituta, in qua barbarorum liberi legere ac pingere docentur, & in Christiana religione instituuntur. Inde etiam pueri ac puellæ in Angliam missi fuerunt, de quibus spes est, quòd frugi sint futuri.

Ferri abundantia. Sex annorum spatio multi ac diuersi opifices eò profecti sunt, vt omnia explorarent, & vsui accommodarent. Nam multa illic humanis vsibus apta inueniuntur: inprimis ferrum magnâ copiâ illic eruitur, quod diligenter inuestigant, quia lignum, aqua, & quæcunque ad fodiendum necessaria sunt, ipsis abundè suppetunt. Sanè sperant, se breui tempore tantam vim ferri illic nacturos, vt non tantùm Angliæ, sed etiam aliis Europæ locis, quantum satis sit, suppeditare possint.

Vites, & alia terrâ nascentia. Gossipium hîc facilè & abundè crescit, quod primò ex India Orientali huc aduectum fuit. Galli, qui cum multis vitibus huc missi fuerunt, vt eas hoc loco pangerent, testantur, quòd illæ nõ deteriores vuas, quàm in Occitania, vnde allatæ fuerunt, proferant: imò vinum hîc natum, cuius aliquot dolia in Angliam apportata fuerunt, Occitanico dulciùs & præstantius esse asseuerant. Laudant etiam moros, ex quarum fructibus mediocre vinum exprimunt, vt & ex prunis, quæ spõte hîc nascuntur. Itaque mori hîc vbiq; seruntur, iussitq; Rex, vt magnus numerus bombycum eò mitteretur, ea spe, fore, vt hæc regio non tantum vini, sed etiam serici largum prouentum afferat. Multos insuper alios frutices hîc plantarunt, vt oleam, malum punicam, ficus, linum, saccari calamos, vnde magnum lucrum exspectant.

Et quoniam hæc regio arboribus abundat, Angli multas ex iis naues, non modò ad vsum quotidianum, sed etiam ad nauigationes per mare instituendas, & omnia exploranda, construũt: atq; in eum finem multos quotannis naupegos ad se accersunt. Cumq; abietes & picei generis arbores, vt & omne genus gummi vbertim hîc proueniant, peritos aliquot nauium architectos ex Norvvegia conduxerunt, vt eorum operâ vtantur. Sal ipsis non deficit. Terram Lemniam iampridem in Angliam miserunt. Vt paucis omnia complectar, quidquid eximium & ad vitam humanam vtile in toto orbe Christiano reperitur, hîc aut sponte nascitur, aut nullo negotio seri ac produci potest.

TER-


TERTIA SECTIO.

De Bermuda seu Summeri insula.

Quoniam Bermuda Virginiæ soror est; & utraq; regi Angliæ paret; atq; ab Anglis exculta fuit, de ea quoq; hic aliquid commemorabimus.

CAPVT PRIMVM.

De situ, natura & temperie Bermudæ.



HVius insulæ meminit Gonzalus Ferdinandus Ouiedus, lib. 2. cap. 9. suæ Historiæ de India Orientali, quam anno 1515. Carolo V. Imperatori obtulit: vbi ait, nomen hoc ipsi fuisse impositum ab eo, qui primus in eam nauigauit: simul etiam narrat, quamuis ingenti huius insulæ desiderio teneretur, se non sine magno labore & periculo propter fædam tempestatem eò peruenisse. Angli autem in alia sunt sententia, & existimant, hanc aliam esse insulam, versus Septentrionem sitam, quam recens primus inuenerit Georgius Sumerus, eques Anglus, anno 1610. qui cum Virginiam peteret, in itinere nauẽ fregerit. Ab eo hæc insula, Summeri insula in hodiernum diem vsq; appellatur. Nam propter magnũ naufragiũ quod passus est, totam hyemem in hac insula subsistere coactus est: inde in Virginiam profectus, postea in Angliam rediit, vbi loci comoditatem ac fertilitatem prædicauit. Quamobrẽ Rex hanc insulam in suam fidem ac tutelam accepit, & publico diplomate mercatoribus potestatem fecit, illic sedes figendi, & locum excolendi. Quo factum, vt quotannis magna hominum multitudo eò commeet, qui domicilia & fortunas suas illic collocant, & terram suâ industriâ emendant. *Quis hanc insulam primus explorauerit.*

Insula hæc iacet sub 32. gradu, in mari Occidentali versus Meridiem, & propemodùm conuenit cum insula *Madere*. A nautis *Diaboli insula* nuncupatur, propter horridas tempestates, quibus mare illic plerunq; agitatur, quæq; accessum ad eam difficilem reddunt: multorumq; opinio aliquandiu fuit, eam non ab hominibus, sed à dæmonibus habitari. Neq; vna est insula, sed ex quinquaginta circiter insulis, quarum aliæ aliis maiores vel minores sunt, constat. *Diaboli insula.*

Hæ insulæ sunt instar globi circumfusæ, & rupibus vndiq; cinctæ: itaq; incolæ tutũ in ea receptum habent. Duobus tantùm locis aditus ad eas patet, quæ non omnibus, sed peritioribus nota sunt, & ab Anglis diligenter custodiuntur. Portus illic comodus est pro naui regia. Aquâ recedente ingentes scopuli apparent, qui ab ea redeunte non conteguntur, quoniã aqua vltra quinq; pedes non assurgit. Littus ferè est saxosum, à Sole & ventis induratum. Solum est diuersi coloris & naturæ: nam nec prorsus lutum est, nec arenosum: quoddam rubrum est, & speciem luti habet: quoddã albũ, & arenæ simile. Nigrum est fæcundum, fuscum autem optimum. Duobus aut trib⁹ sub eo pedibus terra candida & dura reperitur, quam rupem nominant. In hanc terrã arbores suas radices altè defixas habent: ab eadem humiditatẽ attrahunt: ideò non vera rupes aut lapis est, sed mollior lapide, & durior cretâ, pumicis instar: squamosa est, & multũ aquæ continet. Sub hac terra etiam argilla inuenitur. Aqua dulcis raro hic reperitur. Aqua, quæ potatur, maximam partẽ ex mari hauritur, ab arena, per quam labitur, purgata: & si quinq; passibus à mari, aut longius fodiatur, aqua dulcis inuenitur. *Aqua dulcis.*

Aër plerunq; est serenus, temperatus, mediocriter calidus, salubris, & ad omnis generis plantas & fruges aptus: adeo vt quidquid in Anglia nascitur, hîc abundantiùs proueniat. Animalia sunt magna & valida: biennij spatio tanta gallinarum & auium domesticarum copia procreata fuit, vt ab Anglis negligerentur, & in aues siluestres degenerarent. Porcis & quadrupedibus hæc insula abundat. Hîc ver perpetuum: ob quam caussam quædam plantæ non maturescunt: ac licet folia arborum decidant: tamen alij frutices perpetuò virent. *Aër. Animalia.*

Fructus, qui in hac insula crescunt, sunt similes iis, qui in Orientalibus insulis reperiuntur. Orizæ magna est copia, cuius singula grana libram reddunt. Incolæ habent geminam messem: nã quod mense Martio serunt, id mense Iulio metunt: & quod mense Augusto plantant, eo mense Decembri frui possunt, neq; vllum aratrum aut agriculturam adhibent. Fructus meliores sunt, quàm in Europa, & optimum alimentum præbent. Minores ficus & vites anno vno, interdum dimidio post plantationem, fructum ferunt. Nec frigus, nec calor hîc nimius est. Nam semper ventus spirat, quo æstus temperatur & mitigatur. Hyems & æstas eadem est, quæ in Anglia nisi quod duarum horarum cum dimidia discrimen est inter longissimos & brevissimos dies. Quando meridiem habemus, apud ipsos est mane: vespera apud nos, ipsis est meridies: tempestas apud ipsos solet esse grauis & segnis: crebro tonat & grandinat: nihilominus, vt Angli perhibent, raro homo aut alia creatura eo læditur aut percutitur. *Fructuum copia.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De diuersis creaturis & commoditatibus quæ in insula Bermuda inueniuntur.

Genus muscarum incolis molestum.

Enti ac vermes in hac insula multum damni dant. Genus illic est muscarum cum aculeis, ab Hispanis *Cacaroatch* dictum, quod incolis pergraue ác molestũ est. Nam vulnus lethale infligunt, & in cistas irrepunt, in quibus putido suo excremento omnia fœdant, & vestes, vt tineæ, corrodunt. Incolæ quoq; æstate paruis formicis infestantur: ob quam caussam sua corpora molli pice illinunt, vt ab illis tuta esse possint. Lumbrici frugibus & radici Nicotianæ plurimùm nocent, & nisi maturè pellantur, omnia corrumpunt. Multis etiam & magnis lacertis solum scatebat, quæ à felibus profligatæ fuerunt. Si dicere fas sit, pulcherrimæ hîc araneæ nascuntur, quæ auro & margaritis ornatæ videntur. Telas adeò firmas ab vna arbore ad aliam contexunt, vt colore & firmitate serici filo comparari possint: suntq; illæ tam validæ, vt aues, quæ turturibus similes sunt, illis, ceu retibus, capiantur.

Mirabiles aranea.

Mures damnosi.

Nec reticere possum ingens damnum, quod incolæ à muribus acceperunt. Nam nauis Anglicana appulit, quæ mures aliquot secum aduexit. Illi in littus delati, biennio ita multiplicati fuerũt, vt non tantum insula, quæ eos primùm exceperat, sed etiam alia finitima loca iis complerentur: imò tanta eorum copia fuit, vt in terra suas cauernas, in arboribus suos nidos habuerint, & omnia depasti sint. Nam quod Angli interdiu seuerant, sequenti nocte à muribus consumebatur. Atq; illi hominibus ipsis in ædibus molesti & detrimentosi erant. Hos mures Angli variis modis exterminare conati sunt. Nam primò felibus tàm mansuetis quàm siluestribus vsi sunt: deinde arsenicum illis proposuerunt: tertiò decipulas struxerunt, quibus dies noctesq; magnam multitudinem ceperunt: quartò canes ad eos venandos instituerunt, quorum vnus sæpè vnâ hora quadraginta aut quinquaginta cepit, & morsu enecauit. Nihilominùs, his rationibus illis satis resistere non potuerunt: vnde magna annonæ inopia & fames consecuta est. Tandem tamen vno anno, singulari Dei auxilio, abacti & exitio dati fuerunt. Quod licet quidam felibus, alij frigori imputarint: tamen prouidentiæ & misericordiæ diuinæ meritò attribuendum est.

Fames & pestis.

Hanc plagam fames, & famem pestilentiæ lues, quam Angli *Feags* vocant, sequuta est. Qui hac lue corripiebantur, mortis periculum euadebant, quando cibo & medicamento illis protinus succurrebatur: vbi verò hæc in promptu non erant, aut non statim adhibebantur, ægri concidebant, & animum exhalabant. Hac lue plurimi extincti sunt: qua sæuiente, corui, qui nec antea, nec postea, conspecti fuerunt, magno numero in hanc insulam inuolarunt.

Variæ aues.

In hac insula multæ ac variæ aues reperiuntur, quales sunt ardeæ, diuersi coloris, cicures & feræ anates, psalacrocoraces, columbæ marinæ, & aliæ volucres, quarum nomina mihi sunt ignota. Inter aues, nostris regionibus incognitas, hæ memorantur: *Eohovv*, quod est genus auis nocturnæ, quæ se interdiu in rupibus abscondit, & columbam magnitudine æquat: *Eggebrid*, hoc est, ales ouorum: quod genus mense Maio conspicitur, & ponit oua gallinaceis similia: nec desinit oua parere vsq; ad mediam æstatem, eaq; excludere solet: *Tropica*, genus auis, à loco, vbi conspicitur, appellatum: *Pemblico*, quæ auis interdiu rarò apparet, & suo clamore tempestates prænunciat. Fuerunt etiam ibidem noctuæ, quæ tamen nunc auolarunt.

Plantæ.

Plantarum & fruticum hæc sunt nomina: *Poison-vvees*, genus plantæ venenatum, hedræ simile: quod qui attingit, eius manus rubescunt, & scabie inficiuntur. *Red-Reed*, fruticis genus oblongũ, cum rubro cortice, succi plenum, cuius haustus vomitum excitat: si aquâ humectetur, eâdem vim habet, & concoctionem ventriculi adiuuat. In littore crescit genus ligustri, cuius fructus fabæ similis est: si quis eo vescatur, aluum laxat, sine noxa. Aliud genus virgulti hîc nascitur, quod durum nucleum fert, & in eo durum granum, quod contritum si manducetur, lentè purgat. Hîc etiã plãtæ genus est, quod rubrum piper vocant: eius baccæ mansæ os incendunt: sed si integræ sumantur, ventriculo conducunt. *Sea-Fether*, hoc est, peña marina, fruticis genus est, quod inter scopulos nascitur, simile pampino, venas habens rubras & candidas, artificiosè diuisas: cuius vires nondum sunt cognitæ. Nihil iam dicam de plantis & fruticibus, quos Angli huc transtulerunt, ex quibus sunt rubri & candidi potatores, arundines saccari, indigo, melones, mali, pini, platani, vites, & similia.

Cùm Angli primum in hanc insulam appulissent, arboribus & fruticibus siluestris obducta erat, quorum nec nomina nec vires norant. Postmodùm illis nomina imposuerunt, & à colore nigras, candidas, flauas arbores appellarunt: quarum cōmemoratione nunc supersedeo. Hîc quoq; inuenerunt cedros, moros, lautos, oleas, palmas & similes: vt taceam eas, quæ ab illis plantatæ aut insitæ fuerunt: quales sunt ficus, pomi, mali Punicæ, citri, aurantij: adeò vt hæc insula nunc sit instar horti deliciarũ, in quo omne genus plantarum ad voluptatē & necessitatem hominum reperitur. Radix quoq; Nicotiana affatim hîc pullulat, cuius magna copia quotãnis in has Europæ oras mittitur.

Pyrus admirabilis.

Dicendum aliquid est hoc loco de pyro siluestri, quæ iuxta hanc insulam in mari nascitur, & suum humorē à mari, vim & alimētum à scopulis trahere videtur. Hæc arbor aliquãdo fructib9 caret·

quando autem incipit fructus ferre, toto anno fructifera est. Quanquam autem hic frutex arboris nomen gerit: tamen nullas frondes, sed tantùm folia & virgulta habet. Pyra, quæ dat, rubrum, dulcem & saluberrimum succum reddunt: nec quisquam ab eorum esu malè habuit. Eadem arbor, si amputetur, succum præbet, dulcedine & præstantiâ cum vino comparandum. Suprema folia meliùs sapiunt, quàm nostra olera, & non minùs hyeme quàm æstate sunt edulia.


Aquæ in hac insula vsque adeò sunt piscosæ, vt quidam Angli duabus horis plures pisces hamo ceperint, quâm postea aliquot diebus consumere potuerint. Imò narrant, quando ab vna insula ad alteram vecti fuerint, magnam multitudinem piscium eos vsque ad portum fuisse sequutam. Piscium illorum nomina nobis sunt ignota: nihilominùs de pisce quodam admirabile hîc aliquid referam. *Aqua piscosa.*

Piscem istum Angli *Turckle* nominant. Habet ille formam cancri, & quatuor pinnas: estque tantæ magnitudinis, vt quatuor viri vix ei ferendo sufficiant. Superior ipsius pars grandi testa obtegitur, quæ est quinquaginta pondo, vt illi perhibent. Caro, quæ ab hac testa pendet, grati saporis est, & boni nutrimenti, quando aquâ decoquitur. Testa osse durior est. Sub ventre aliam testam habet, quæ mollior est, & esculenta, si ad cibum apparetur. In vere, & aliqua parte æstatis circa hanc insulam se continet: reliqua parte anni aliò se confert, nec certum est, quónam. Capite & collo refert auem, præsertim *Mellagrides*: pennis est lucentibus: rostram habet, quod tamen non est acutum. Hoc genus piscis ex ouis excluditur: caro ipsius vitulinam sapit, aliquanto tamen est durior. Vescitur gramine, quod in fundo maris nascitur. Sub aqua diutius manere nequit, quàm halitum continere potest: ac licet vetuli, vsu assuefacti, satis diu sub aqua natent: tamen iunioribus ea facultas non est, ideoque illi facilè capiuntur: nam respirandi gratiâ ex aqua rursus emergunt. Statim post suum aduentum coeunt, & sibi mutuo adhærent: hoc modò iuncti, non possunt separari, etiamsi baculis percutiantur. Postea fæmella in terram, seu arenam; vbi nullus est maris refluxus, se confert, ibique scrobem bipedaneam suis pinnis fodit, in quam sua oua ponit, & tam solerter recondit, vt difficillimè inueniri possint: oua gallinaceis nostris magnitudine paria sunt, pilæ instar rotunda, quorum circiter centum fæmella parit, eaque postea, calore Solis adiuta, citò excludit. Pisciculorum recens exclusorum, qui pugni magnitudinem habent, & ab alijs piscibus deuorantur, aliquot vidimus: tardè crescunt, & diu viuunt: in aquis dormiunt, & antequam insula tam populosa esset, etiam in terra somnum capiebant. Tribus hebdomadis in terra absque cibo vitam agunt: sed eo tempore valde emaciantur. Dorso incubantes non possunt resurgere. Quando in terra partus gratiâ conueniunt, nullo negotio capi possunt. Quidam eos in mari hoc modo capiunt: noctu cymbâ super aquam vehuntur, magnum lumen habentes, quod pisces isti continuò sequuntur. Vnus ex illis hastulâ hamatâ piscem figit, quem, dum se circumuoluit, fune, qui hastulæ alligatus est, ad littus attrahit. Capite abscisso, viginti quatuor horis viuit: ita vt caro, quando dissecatur, aut digito tantùm attingitur, tremat, & sese moueat. Nec vllo est caro, quæ tardiùs putrescat, & diutiùs conseruari possit, siue sale condiatur, siue non. *Turckle, admirabilis piscis.* *Peculiaris ratio hunc piscem capiendi.*

Vt paucis concludam, hæc insula piscibus, auibus & quadrupedibus ita exuberat, vt eorum magnus numerus in Virginiam & alia loca mittatur. Tanta hîc est auiam multitudo, vt cētum vno scloppeti ictu decuti ac perimi possint. Cùm Angli primùm in hanc insulam venirent, multos in ea porcos inuenerunt, quorum caro saporem ouillæ refert. Multas quoque margaritas, & magnam electri Græci copiam, grandi pretio æstimatam, hîc repererunt. Summerus, primus huius insulæ inuentor, non exiguam huius electri vim collegit: & tres homines, quos illic, cùm discederet, reliquit; paruo tempore electrum pro decem millibus librarum Anglicarum corraserunt, hodieque illud copiosè congeritur. Sed de his satis.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo Angli in hac insula vsq; ad annum 1622. fatificarint, & domos sibi struxerint.



ANno 1610. Georgius Summerus, eques, vir inclytus & de patria benè meritus, cum Thoma Gates, itidem equite, naufragium passus, decem menses in hac insula cum suis classiariis moratus est: inde quibusdam, qui eam nomine regis Magnæ Britanniæ, occuparunt, illic relictis, cum duabus nauibus in Virginiam perrexit. Antequam ex insula ista discederet, monumentum statuit, quod cedro affixit. In media arbore, Regis imaginem, argento insculptam, appendit: ab vtroque latere hæc verba, Anglicanâ & Latinâ linguâ, æri incidit: *In memoriam sæuæ tempestatis, nauis fractæ, & consecutæ liberationis, hoc monumentum Dei omnipotentis honori pp. Nauis fracta Anglorum fuit, trecentorum onerum capax, Mercator marinus dicta, quæ cum septem aliis, à quibus per tempestatem diuulsa fuit, in Virginiam seu Nouam Britanniam in America iter instituit. In hac naui duo erant strenui equites, Thomas Gates, Anglorum nouorumq; colonorum dux, & Georgius Summerus, rei maritimæ præfectus: huius centurio erat Christophorus Newportus, centum quinquaginta classiarios aliosq; ducens, qui omnes salui euaserunt, & ad promontorium versus Euronotum iactati fuerunt.*

Anno 1612. Angli nauim, quæ Aratri nomen gerebat, annonâ & instrumentis variis instructã, in qua sexaginta homines erant, sub imperio Richardi Mori, viri sapientis & bellicosi, in hanc insulam miserunt, quæ etiam feliciter eò appulit. Hic Richardus decem circiter munimenta excitauit, & eos quibus præerat, toto sui consulatus tempore, quod triennium durat, in armis diligenter exercuit: quod postea successores ipsius imitati sunt. Adhæc aliquot insignes ædes & templa exstruit. Sub ipsius regimine duæ naues Hispanicæ huc vela fecerunt, eo consilio, vt Anglos, qui nuper aduenerant, expellerent: & nauiculam præmiserunt, quæ omnia exploraret. Eâ conspectâ, Angli ex munimento, quod castellum regium appellatur, tormentum in ipsam disploserunt: quo ictu ita labefactata fuit, vt Hispani mox retrocesserint. Angli, qui puluere tormentario ac pilis (nam magna pars apparatus bellici in naufragio perierat) non admodum instructi erant, eorum discessu valde lętati sunt.

Morus, cum hac prouincia abiret, eam sex fortibus viris gubernandam commisit, qui singulis mensibus in gerendo magistratu vices alternarent, donec rebus aliter prospiceretur. Inter hos crebra fuerunt dissidia: de quibus hoc loco narrationem instituere nihil attinet. Hoc tempore septem Angli, mense Martio, quo plerunque mare tempestatibus & procellis iritari solet, naui trium onerum capace de littore soluentes, piscatum abierunt, & quia tunc cœlum admodùm purum ac serenum erat, nihil annonæ assumpserunt: quidam etiam jejuni iter ingressi sunt. Exortâ autem subitâ præter opinionem tempestate eò vsque jactati fuerunt, vt terram ex oculis amitterent. Nec multo post propter grauem remigandi laborem & cibi inopiam ita debilitati fuerunt, vt nec velum pandere, nec remum mouere possent. Tandem vnus ex ipsis, sedatâ tempestate, velum deduxit. Verùm id frustra fuit: nam nusquam terra aut portus apparebat. Die Veneris discesserant: sequenti die Martis vnus ex ipsis fame periit: postridie tres alios eadem penuria abstulit: hos alij duo mox sequuti sunt: ita vt vnus tantum in naui superstes esset, qui tamen viribus adeò fractis & prostratis erat, vt postremum ex iis, qui exspirauerat, in mare abijcere non posset. Quapropter cadauer ipsius nudauit, pectus cultro aperuit, & cruorem inde manantem calceo excepit: tum cadauer ita collocauit, vt, si plueret, illud ei cisternæ loco esse posset ad aquam hauriendam. Igitur aliquot sanguinis & aquæ guttis (sicut ipse postea narrauit) animum languentem refocillauit: & libram circiter carnis ex cadauere deuorauit. Mox duæ aues aduolarunt, quibus captis & necatis latrantem stomachum vtcunque placauit: post horam littus conspexit, quod etiam proxima nocte attigit.

Historia memorabilis de septem Anglis, quorum sex in mari perierunt, & vnus tantùm reuersus est.

Post hæc in hanc insulam venit Tuckerus, strenuus ordinum ductor, qui nouas aliquot munitiones, vbi opus ipsi videbatur, exstruxit: cumque Angli antea sub tentoriis degerent, splendidas domos & pagos ædificauit. Agriculturæ inprimis operam dedit: & aliquot naues in alia Americæ loca misit, quæ omnis generis merces, plantas, aliaque necessaria, à suis coëmta, aducherent. Sic variis frugum & plantarum generibus hanc insulam magno cum emolumento conseuit. Eandem in aliquot partes diuisit: & quia frequentibus antea contentionibus, non sine magna confusione Anglorum animi distracti fuerant, leges in Anglia vsitatas illic publicauit, & inter alia sanxit, vt vnusquisque à mane vsque ad meridiem, & ab hora secunda vsque ad vesperam agris colendis vacaret. Præterea curias & prætoria, in quibus jus diceretur, erexit.

Tuckerus, centurio, munitiones excitat, vbi opus est.

Eodẽ tempore tres Angli, qui nimio patrię desiderio flagrabãt, nauiculâ clam se proripuerũt, & Angliã intẽtis velis animisq; petiuerũt. Verùm in itinere à Gallis spoliati fuerunt, qui prę̃ter alia pyxidẽ nauticã eis eripuerunt. Quapropter in incertũ pro suo iudicio ipsis nauigãdũ fuit, donec tan-

Mira nauigatio trium Anglorum.

tandem in Hyberniam incolumes peruenirent, vbi à Comite Tomuudano benignè excepti fuerunt, qui nauiculam illam, in memoriam admirandæ nauigationis, retinuit. Nam eâ tres isti Angli ter mille & trecenta milliaria secundùm rectam lineam per vastum Oceanum vecti erant, nec vsquam in itinere littus conspexerant, aut à labore requieuerant. Hæc nauigatio non minori admiratione digna est, quàm Boteliæ, qui à Soa, Indię Orientalis oppido, Vlyssipponem vectus est.

Sub id tempus magna altercatio inter ecclesiasticos non tantùm propter administrationem Sacramentorum, sed etiam propter alia religionis capita exorta est, quæ incolas & indigenas non parùm turbauit. Sed ea mox salubri proregis constitutione, quam Societas Anglicana approbauit, composita & sublata fuit. Obiter hîc inserendum videtur, Anglum quendam contra naturam cum porco rem habuisse: qui etiam cum eodem in furcam actus est. *Dissidium ecclesiasticorum.*

Tuckero successit Buttlerus centurio, qui decessorum suorum exemplo, in excolenda & meliùs custodienda hac insula omne studium ac diligentiam adhibuit. In castella regia sedecim pulchra & magna tormenta deduxit, & præcipuis locis, vbi necessitas postulabat, collocauit. In castello Carolino duo: in Southamptonio quinque reliquit. Hîc aqua ex portu marino in terram influit, quæ viginti tribus optimis tormentis defenditur. In isula *Coups* castellum Pembrokianũ duobus magnis tormentis munitum est. Fluuium S. Georgij castella Smidij & Payetti, in quibus vndecim tormenta posita sunt, tuentur. Oppidum S. Georgij castellum Warvvici tribus elegantibus tormentis propugnat. Prætorium octo: montem, vnum: S. Catharinam tria tormenta, sarta tecta præstant. In vniuersum Buttlerus decem castella, quinquaginta duobus majoribus tormentis instructa, reliquit. *Buttlerus centurio.*

Anno 1623. sub imperio & regimine Ioannis Bernardi recentes copiæ cum nouis agricolis multoque comeatu eò missæ fuerunt, ita vt iam ter mille homines illic numerentur, & insula comeatu ac nauibus optimè instructa sit. Quanquam autem per aliquot annos à muribus immunes fuerunt: tamen à vermibus, qui frugibus & plantis multum nocent, valde infestantur. Nihilominus propter sedulum incolarum laborem nulla est inopia: quin imò Anglia & aliæ regiones ab hac insula radicem Nicotianam, Potatoe, multaq; alia necessaria accipiunt.





QVARTA SECTIO.

De Brasilia.

Hæc regio ex omnibus, quas vidi, consummatissima est. Eam Lusitanus quidam præsul accuratissimè descripsit, postquàm triginta annos in illa commoratus fuisset. Naui Lusitanorum spoliatâ, Anglus eam perlustrauit. Nomen auctoris, qui eam descripsit, ignoro. Hoc tamen certum est, quòd licèt fuerit ordinis ecclesiastici, tamen res politicas probè intellexerit, & incolarum mores ac ritus diligenter obseruarit.

CAPVT PRIMVM.

De diuersis moribus ac ritibus Brasiliensium.



Quid de diluuio & mūdi incremēto sentiant. *Diabolum adorant.* *Animarum immortalitatem credunt.* *Fides eorundem de statu mortuorum post hanc vitam.* *Multi inter ipsos Magi.* *Tupan.* *Sunt polygami, & vxores suas sæpè leues ob caussas abigunt.* *Quando iuuenibus vxores ducere liceat.* *Maritis vinum conceditur, cælibibus non item.* *Tempus & modus capiendi cibum.* *Liberalitatem magni faciunt.* *Peculiaria ipsorum festa.*

QUantum apparet, incolæ Brasilienses de creatione mundi nihil sciunt: de Diluuio autem hoc tenent & credunt, totum orbem terrarum diluuio mersum atq; obtectum fuisse: eo omnes homines periisse, vno excepto, qui cum sorore grauida periculū euaserit. Ab his postea genus humanū prorogatū & conseruatū ajunt. Nec Deū, nec idolum adorāt: imagines, statuas & similia nihili faciunt: attamen senes quidam reperiuntur, qui Diabolum venerantur & adorāt, ne ipsis noceat. Animarum immortalitatem credunt, quæ in spiritus transmutentur, & in amœnis campis prope limpidos amnes, vbi etiam magna sit ficuum copia, diuersentur, nihil aliud agentes, quàm quòd saltando se oblectent. Diabolo varia & horribilia nomina tribuunt.

Magiæ student, multiq́ue inter eos Magi reperiuntur, quos in magno pretio habent: non tamen illos adorant, neque fiduciam in illis collocant: sed sperant, quando ægrotant, se ipsorum ope pristinam valetudinem recuperaturos. Magi autem isti, quos *Caraiba* vocant, plerunque sunt homines improbi & nequam, qui miseris hominibus illudunt. Hoc atq; illo anno eos feriari & opus intermittere jubent, quòd terra sponte ipsis victum suppeditatura, & aratra absque opera agricolarum vltrò terram proscissura sint. Plebs autem ab ipsis miserè circumventa nimiam crudelitatem fame postea ac morte luit.

Nullum proprium nomen habent, quo Deum appellent sed tonitru & fulmen *Tupan* vocant, dicuntq́ue, se ab eo ali, & instrumenta, quibus agros colant, accipere. Sunt polygami, & vxoribus suis facilè & leuibus de caussis nuntium remittunt. Iuueni non licet vxorem ducere, nisi priùs vnū ex hostibus interfecerit: quo perpetrato, peculiari festum instituunt, quod biduum vel triduum durat: eo peracto, matrimonium contrahitur. Quando sponsa ad sponsum adducitur, solenne conuiuium celebrant: post illud nupti, absq; aliis cæremoniis, conjugali vinculo sunt colligati. Socer genero cum filia egregium rete tradit, adhibitis quibusdam aliis cæremoniis, quas hoc loco recensere non necesse. Maritis vinum bibere licet, cœlibibus non item, ne futiles sint in loquendo. In cōuiuio nuptiali grandæuus quidam sponso poculum porrigit, posteáque caput ipsius vtraq; manu tenet, ne poculo epoto vomat, quod pro indicio hominis meticulosi & ignaui habent.

Noctes atque dies & ferè omnibus horis cibum capiunt. Nam quando piscem capiunt, aut aliquid esculenti habent, partiuntur inter socios, & liberalitatem inter virtutes præcipuo loco habent, parsimoniam autē & auaritiam pro summo vitio & opprobrio ducunt. Inter cibos nullum discrimen obseruant, sed promiscuè carnibus, piscibus, immundis animalibus, serpentibus, muribus, vermibus atque omnis generis fructibus, exceptis iis, qui lethales & exitiosi sunt, vescuntur. Victum & alimentum suum plerunque ex eo sumunt, quod terra sponte & absq; vlla satione profert. Inter edendum non bibunt, sed post cibum sumptum, vinum, quod ex variis fructibus exprimunt & conficiunt, affatim hauriunt, eoque ita se ingurgitant, vt neq; mens, neq; manus aut pedes officium faciant. Festa quædam celebrant, quibus parùm cibi sumunt, sed largiùs potant. Atque vt hæc festa tanto rectiùs peragantur, quidam ostiatim eunt & cantant, vt ita alios ad potandum inuitent. Inter potandum cantant & saltant, neque dormiunt, dum hoc festum agitant, sed biduum aut triduum potando traducunt. In hac compotatione multas ineptias & multa flagitia committunt: nam dimicant inter se, vxores sibi mutuo eripiunt, nec ante aut post symposium precantur. Quando accumbere volunt, manus priùs abluunt: & quando surgunt, easdem pilis corporis abstergunt. Neque mensam, aut mantile, aut mappam habent, sed super rete, aut humi comedunt, & cibum manu in os ingerunt.

Lectos & retia sua, ex gossipio confecta, in aëre suspendunt, in quibus per æstatm & hyemem nudi cubant. Maturè cubitum eunt, manè tardiùs surgunt. Præcipuus in ædibus (nam sub

eodem tecto plures familiæ habitant) super rete dormit, & diem denunciat, cæteros ad laborem more maiorum, excitans: vnicuiq; etiam suum opus, & tempus surgendi præscribit. Quando surrexit, per plateas circumiens, vnumquemq; ad laborem hortatur: atq; ita per totum diem vagatur. Hunc morem se didicisse aiunt ab aue, quæ accipitri similis sit. Nam illa summo manè canit, & propterea rex auium ab illis appellatur. Quemadmodũ, inquiunt, auis illa manè cantat, ita vt ab omnib⁹ audiatur: sic patrẽfamiliâs manè vocẽ emittere decet, vt vnusquisq; ab ipso expergefiat. *Quomodò & super quid dormiant.*

Hæc gens omnesq; incolæ, cuiuscunq; prosapiæ fuerint, nudi incedunt, nec vel minimùm erubescunt: imò tam honestè ac modestè inter se conuersantur, quasi adhuc in statu innocentiæ viuerent. Si quis fœminam alloquatur, retrocedit, & tergum ei obuertit, quantum fieri potest. Quando se ornare & perpolire volunt, gummi ex quadam arbore accipiunt, eoq; se denigrant, cãdidis lineolis superinductis, quæ sunt instar segmentorum vestibus nostris impositorũ. Ex pennis elegantes tiaras, manicas, & alia conficiunt. Pilos vbiq; ex corpore euellunt, præterquã ex capite, quod sibi diuersimodè tonderi curant. Quidam crines ita gestant, vt à tergo depẽdeant, & formã Lunæ quando est corniculata, referant. Hunc modum cõponendi comam se à S. Thoma didicisse perhibent, de quo tamen nihil, præter fabulas, recensere norunt. Alij verticem coronæ instar rasum habent, tonsuram monachorum imitati. Mulieres promissos capillos gerunt, quos tamen in luctu detondent, quando mariti ipsarum obierunt, aut peregrè profecti sunt. Tanta autem est capillamenti inter eos varietas, vt ex ea diuersas gentes ac diuersos incolas dignoscere liceat. *Nudi incedunt.* *Eorum ornatus.* *Varia capitis tonsura.*

Ab aliquot annis vestibus vti cæperunt: quibus tamen non delectantur: quod ex eo patet, quia vestes mox abiiciunt, & tantum pileum, aut humerale, quod vsq; ad vmbilicum propendet, retinent. Mulieribus pectines & ligulæ sunt gratissimæ. *Vestitus.*

Incolæ in Brasilia in vilibus casulis & mapalibus degunt; quæ foliis & frondibus sunt obtectæ. Habent illæ casulæ in longitudine & altitudine interdum trecentas, interdum pauciores spithamas In eiusmodi casula nonunquam tres sunt humiles & angustæ ianuæ, ex filo contextæ. In vnaquaq; sæpè quatuor diuersæ familiæ habitãt, quæ tamẽ aliqua cognatione iunctæ sunt. Omnes præfectum quendam seu dominũ habent, cui parere tenentur. In huiusmodi casula ducenti interdum homines nidulantur, qui distincta loca occupant: & apud vnãquaq; familiam peculiarẽ focũ cum necessaria supellectile inuenies. Mulieres stantes pariunt: infantem, simulac natus est, pater aut cõpater excipit. Nam suos quoq; parentes initiales, sicut nos in Europa, habent. Pater infantẽ à puerpera ita soluit, vt vinculum vel dentibus, vel duobus acutis lapidibus dissecet. Deinde octiduũ ieiunant, donec cutis vmbilici computrescat & decidat. Si infans sit puer, pater rete conficit, & illud cum arcu & sagittis ad pueri ceruical appendit: pedibus multas & varias herbas substernit. Eo significat, puerum multos ex hostibus suis peremturum. Tum natalia celebrant, & lauto conuiuio cum amicis & propinquis se exhilarant. Vt primùm mulier peperit in flumine se abluit: tum infantem lactare incipit, quem per sesquiãnum suo lacte, sine alio cibo aut nutrimento, alit. Liberos suos matres valde diligunt, quos etiam quando operantur, aut iter faciunt, dorso aut reti secũ gestant: nec eos cædunt, ne lamententur. In educatione suorum liberorũ, miram consuetudinẽ ac cæremoniam obseruant. Capitibus eorum gossipium, pennas & baculos supponunt: quibus significant, futurum, vt in viros fortes ac strenuos aliquando euadant. Suis potiùs quàm sibi benefacere student. Iesuitas inprimis charos habent, propterea quòd liberos suos Musicam & artẽ canendi docent. Quando hospes ad amicum venit, vt eum inuisat, ploratu & eiulatu à mulieribus excipitur. In ingressu, rete ipsi panditur, cui insideat: postea mater cum filiabus, quarum humeri capillis sparsi sunt, accedit: illæ tacitæ circumsident: mox hospitem manibus contrectant, & lachrymas cum clamore effundunt: deinde ordine cõmemorant, quid ipsis à postrema visitatione euenerit, quos labores, quæ pericula atq; incõmoda sustinuerint: quidquid deniq; mærorẽ atq; ægritudinẽ homini afferre potest, in medium afferunt. Ille verò tacitus sedet. Quando omnia cõmemorarũt, lachrymas abstergunt, & silent: post aliquod interuallum, mutuò se salutant & hospiti poculum amicitiæ propinatur. mox vnà comessantur & heluantur. Quibus omnibus peractis, hospes caussas sui aduentus exponit. Viri etiam lugubri voce habituq; plangere solent, quando amicus aliquis morte ipsis est ereptus, aut quando grauis quædam calamitas ipsos oppressit. Cæterùm laudabile & decorum existimant, si quis aduenas & hospites lautè accipiat, iisq; donum aliquod, vt arcum, sagittas, pennas, & similia, absq; vlla remuneratione largiatur. *Ædes.* *Mulieres stantes pariunt.* *Quomodo amicos qui ipsos inuisunt, excipiant.*

Incolæ horum locorum, fumũ petigmæ, seu herbæ sanctæ, affatim hauriunt. Eam siccatam in pampino, tubuli instar conuoluto, incedunt, & fumum eius bibunt. Quibusdam hic fumus est noxius, quibus caput veneno inficit: aliis est salubris, quibus immodicum humorem extrahit. Mulieres, præsertim vetulæ & ægrotæ, eo etiam interdum vtuntur: nam tussi, doloribus capitis & imbecillitati ventriculi medetur. Quapropter Lusitani eum initio pro eximio ac singulari medicamento habuerunt, quem tamen hoc tempore non magni faciunt. *Fumum petigmæ affatim hauriunt.*

Pecuniam nihil æstimãt, sed omnia emunt ac vendunt cõmutatione merciũ. Si quis operariis ad a- *Pecuniam floccifaciunt.*

ad agrum suum colendum aut alios labores subeundos indigeat, amicos & vicinos conuocat, qui simulac opus vsque ad decimam horam ante meridiem fecerunt, domum abeunt, & compotando se reficiunt. Hoc pacto vicinorum operâ aliquot diebus, cum bona ipsorum gratia, vti licet: hac eadem ratione Lusitani terram excoluerunt, & saccari arundines plantarunt: imò candidis piscium marinorum testis, floribus ac sertis captiuos suos, à barbaris alioqui deuorandos, redemerũt.

Ornatus eorum in festis & publicis conuentibus.

Festis diebus & in solennibus conuentibus hoc modo se ornant: Candidis testis, sertis, tiaris, pennis, nec non gemmis, smaragdis & crystallo, quæ inferiori labro inserunt, se magnificè comptos & ornatos putant. Insuper manicas ex conchis confectas, & candidum lapidem, spithamæ magnitudine, loco inauris, gestãt. In his ornamentis omnes ipsorũ diuitiæ, quas in pretio habent, consistunt.

Amant & tuentur vxores.

Vxores suas vehementer amant, nec ipsis aliquid deesse patiuntur. Eas haud facilè pulsant, nisi sint ebrij: posteaq; culpâ in vinum reiectâ, pacem cum ipsis componunt: ira ipsorum citò deflagrat: nec facilè cum quoquam altercantur. Quãdo rus prodeunt, maritus præcedit, vt si hostis occurrat, cũ eo dimicet, dũ vxor fugã corripit: quando rure reuertuntur, vxor ob eandẽ caussam præit: quãdo autẽ in pago aut loco tuto versantur, mulier semper anteit, vt maritus eam ob oculos habeat, nec ipsa circumuagari possit.

Cantu & saltatione delectantur.

Etsi naturâ sint melãcholici, tamẽ omnes, præcipuè iuuenes & pueri cãtu & saltatione delectantur, ita tamẽ vt vtrumq; decenter ac modestè, sine scurrili sermone & rixa, peragant. A iuuentute à parentibus cantando & saltãdo exercentur. Nulla tamen est venustas in ipsorum saltationibus: nã aut stantes saltant, aut in orbem circumeunt, & terrã pede pulsant, aut caput corpusq; motant. Instrumentum quoddam habent, in quo sunt lapilli aut fabæ, quibus sonum edũt. Secũdùm hunc sonũ, cui cantum admiscent, centũ sæpenumero saltitãt, ita vt alter tergo alterius imineat: deinde diuidũt se, & ad metam præfixam currunt, ad quã omnes rursum conueniũt. Si ex hostibus aliquẽ capiant, qui sit Musices peritus, ei propter artem parcunt. Mulieres modò cũ viris, modò inter se saltãnt, prout sors tulit, & brachia ac capita multò mirabiliùs torquent, quàm viri. Suã quoq; peculiarem vocem in cantando habent.

Ratio sepeliendi ac lugendi mortuos.

Quando aliquis ex ipsis vltimũ vitæ diẽ claudit, omnes amici, qui ei adstant, tãto impetu in rete, in quo cubat, ruunt, vt sæpè ægrotum, animã agentẽ, præfocent, & enecent. Qui verò, propter circumstantium multitudinẽ, in rete & mortẽ irruere nequeunt, eâdem violentiâ in terram se prosternunt: atq; in tanta hominũ turba, dũ vnusquisq; super ægrotum aut mortuum se conijcere tẽtat, nõ raro accidit, vt alter alterum exanimet. Si defunctus alicuius notæ fuit, omnes incolæ illius pagi cõvocãtur: aliàs amici tãtùm ipsius cõueniũt. Ibi omnes defunctum lugẽt & deplorãt: qui verò non luget aut plorat, eum execrãtur. Tum mortuum abluunt, & variis coloribus pictum gossipio inuoluunt ac circumtegunt: postea eum in scrobẽ iniiciunt, & cum eo omnes ipsius opes & res pretiosas sepeliunt. Si defunctus, dum viueret, aliquod donũ ab vno aut altero accepit, illud ei, qui donauit, redditur: quod nisi fiat, donum istud, quãdo & vbicũq; illud videt, repetere potest. Sepulchrum apertum relinquitur, quod cognati quotidie visitãt, & cibis replẽt. Nã aiunt, defunctum, quãdo saltãdo defessus est, eò loci venire, & cibum sumere. Quãdo aliquẽ genere sibi proximum sepeliuerunt, eum per mẽsem integrum lugẽt, & cuiq; certum lugendi tẽpus definitum est. Eo tẽpore interdiu nihil comedunt, sed noctu tantùm cibum capiunt, & sua retia sub vno tecto suspẽdunt, sub quo omnes dormiunt. Post vigesimum diẽ mulieres capillos suos detõdent, mẽse exacto, cõuiuium instruũt, & luctu perfunctæ frõtẽ exporrigunt. Vxor, primo marito defuncto, raro ad secundas nuptias trãsit; quãuis viri adeò sint lasciui, vt à mulieribus ægrè abstineant.

Ipsorum instrumenta.

Ante aduentũ Lusitanorum, ex lapidibus & dentib⁹ piscium omnis generis instrumenta fabricarũt, quibus terram coluerunt, & arbores effoderunt ac secuerunt. Multũ commodi percipiunt ex ferro, quod apud ipsos inuenitur. Arma ipsorum sunt arcus & sagittæ. Arcus ex optimo ligno, quod habent, affabrè conficiunt: sagittas ex arundinibus, quibus aculeos lapideos præfigunt. Quamuis autem sagittæ istæ non magnam vim habere videantur: tamen militis thoracem penetrant: imò vidi, huiusmodi sagittã hominem transuerberatum, & ipsam terræ infixam fuisse. Sagittas mittendo à iuuentute exercentur: qua in re tam sunt expediti & industrij, vt auem volantem feriant. Atq; ob hanc caussam vicinis sunt formidabiles, non tantum quia pugnaces sunt & iaculandi periti, sed etiam quia sagittas veneno inficere solent.

Prorsus sunt feri: nam nudi in siluis oberrant. Visu & auditu sunt acuto. Hominem & aliam creaturam dimidij milliaris spatio videre & discernere possunt. Ex indicio Solis ducentis & trecentis milliaribus densos & opacos saltus peruadunt. Adhæc piscatui operam dant, & natandi sunt peritissimi: adeoq; diem & noctem sine cibo & potu natando & remos impellendo durare possunt. Habent quoq; ligneos enses: quæ sunt arma perniciosissima. Nam licet illis nullum vulnus infligant: tamen tam grauem plagam incutiunt, vt ea difficulter admodùm curari possit.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De ritibus & festis ipsorum, quando captiuos necant, aut Nobiles creant.



ÆC gens inter alia omnia magno honori ducit, & pro sumō gaudio habet, si victoriā contra hostes potiatur, & eos in suā potestatem redigat. Nam quando aliquem ex hostibus suis căptiuū inhaniter obtruncare & deuorare volunt, id cæremoniis admirabilibus peragunt, & eiusmodi festū celebrant, quale alioqui apud ipsos non est in vsu. Hoc autem modo istud exequuntur. Quem ex hostibus in bello ceperunt, eius collo laqueum iniiciunt, aut si metuunt, ne elabatur, manum sub mento ligant, atq; ita ipsum in eum locum ducunt, vbi victor habitat. Antequam verò iter ingrediantur, supercilia, frontem & barbam sibi pingunt, ac flauis postea peñis tam artificiosè tegunt, vt pili ipsorum ab illis discerni nequeant. Vbi ad locum, quo tendebant, peruenerunt, mulieres ipsis occurrunt, & sublato clamore, captiuo pugnos in os ingerunt. Porrò ipsum in carcerem non coniiciunt, nec alia ratione vexant, nisi quòd laqueum collo eius indunt, ad quem duos alios funes, binas spithamas longos, & ab vna aure ad alteram super dorsum dependentes, annectunt. Si sint in pago, captiuo genua fune, loco catenæ, colligant. Id tamen ipsum non impedit, quo minùs in pago, campo & siluis ambulare, ac funem cultro dissecare possit. Pro custode habet primarij cuiusdam viri filiam, cum qua obambulat. Si is, qui eum cepit, ipsi cibum ac potum non affatim præbeat (qua in re rarò aliquid desideratur) cum sua custode huc illuc in siluas abit, & si in via in gallinas, anseres & simile quid incidat, fas ipsi est, absque vllo impedimento ea mactare, & in suum cibum conuertere. Per id tempus cibo & vino se ingurgitat, nec vel somnus vel meditatio mortis inde eum auocat. Nam miserum esse censent, naturali morte interire, ac post mortem terræ mandari, atq; à vermibus corrodi. Fæmina, quæ captiuum custodit, ex stirpe eorum est, qui principem locum inter suos obtinent, quibus etiam ille agnatus est, qui captiuum postea necat. Nam alioquin fieri posset, vt custos cum captiuo aufugeret, aut illi ansam & opportunitatem fugiendi præberet. Quod si captiuus elabatur, illa, quæ eum custodire debuit, verberibus malè multatur: contra verò, si captiuum diligenter custodiuit, & benè saginauit ad mactationem, magno honore afficitur. Quando captiuus satis est obesus, certum tempus mactationi ipsius destinatur: & tunc mulieres omnis generis vasa afferunt. Ad hanc mactationem amici & primarij viri etiam ex iis locis, quæ decem milliaribus distant, inuitantur. Hospites inuitati cum vxoribus ac liberis magno numero aduolant, & toto triduo ante mactationem vino, sine quo festum frigeret, pantices irrigant. Cæterùm cum cantu & tympanis ad locum mactationis veniunt. Tum ritus suos exordiuntur, quorum singuli diem requirunt. Nam primo funes xylinos parant, & eorum decem artificiosè contorquent, quibus se mutuo per plateam in cisternam ducunt. Postero die arundines ferunt, sarissæ longitudine, quas sub vesperam accumulant, & igne comburunt. Circum ignem illum saltitant, eo, qui victima est futurus, inter ipsos & ignem collocato. Quòd si tunc ille aliquem ex saltatoribus comprehendere potest, eum ad se attrahit, & sibi adstare cogit. Tertio die viri & mulieres choreas agunt: & ibi quidam loco tibiæ calamum inflat, atq; ipsis præcinit saltandi modum. Sicut autem inter saltandum vocem in astra tollunt: sic in proxima silua iuuenes quosdam constituunt, quorum horrendis resonat clamoribus æther. Multos præterea mirabiles ritus & incantationes adhibent.

Fæminæ custodes captiuorum.

Mirabiles ritus, qui in mactatione captiuorum obseruantur.

Quarto die, summo mane ante diluculum, captiuum ad flumen ducunt, & totum corpus ipsius abluūt & expurgant: quod tanta celeritate peragūt, vt simulac lucescit, iā in pagū sint reuersi. Quando captiuus pagū cum ipsis ingreditur, oculos ab omni parte circūfert: nescit enim ex qua domo sit erupturus, qui ipsū à tergo adoriri, & cū eo luctari debet. Mortē quidē non extimescit, imò eā vehemēter exoptat: interim ipsi per vnam aut duas horas cū suo antagonista luctandū & certādū est: ac licet fune sit arctè colligat9, tamen duos aut tres nonnunquā in platea prosternit, donec ita defatigetur, vt ab vno superari possit. Mox agmē fæminarū iuuenculārū ei occurrit, quæ in candida patina supradictos funes ad pedes ipsius deponūt: & postquam nonnihil quieuerūt, præcipua inter ipsas cantū orditur, quem omnes aliæ sequuntur. Interea viri ac iuuenes collo captiui supradictos laqueos añectunt, ita vt pleriq; à tergo ipsius pendeāt quos postea fæmina suis brachiis imponit: tū simul per plateā progrediuntur, carmē amæbæū canentes. Priores aiunt: *Nos sumus eæ, quæ accipitri collum constringunt*: posteriores respondent: *Si tam noxius psittacus fuisses, certè auolasses*

His peractis, captiuū in magnam domū ducunt, vbi aliquot vini amphoræ sunt collocatæ. Ibi incipiunt potare, cantare, saltare, & ebriorū more ineptire. Post hæc ablutū captiui corpus pingūt: ac primò quidē succo quodam arboreo, qui quouis glutino tenacior est, illud illinunt: tum puluerem ex ouorū testis cōfectū, inspergūt: post atro colore illud inficiūt, & rubris peñis cooperiūt, quæ succo agglutinātur. Hoc modo captiuus grādior apparet, quàm reuera sit: facies ipsi9 est tumida: oculi

Quomodo barbari ad mactationē captiui se compa ent

parui

paruſ: ſpecies horrenda. Quo colore autẽ captiuũ iam iamq; mactandum tingunt, eodẽ machæram, qua feriendus eſt, imbuũt. Machæra illa ſimilitudinẽ virgæ habet: acies eſt inſtar triãguli: manubrium octo ſpithamas longum. Eam magni faciunt, & ſuâ linguâ *Iugapinambin* vocant. Sub veſperam cubiculum pro captiuo ex palmitibus inſtruunt, in quo ei nucem vnius diei ſpatio veſcẽdam præbent, quæ hanc vim habere putatur, vt ſanguinẽ exſiccet, & carni iucundũ ſaporẽ conciliet. Quinto die, ſummo mane, captiui concubina ſeu cuſtos ei valedicit, & luctum ſimulat, ob inſtãs ipſius ſuppliciũ. Mera tamen fraus eſt & hypocriſis. Secundum hæc caterua quædam iuuenum ædes carnificis accedit, qui eos ante fores exſpectat. Terrâ quâdam totus dealbatus eſt, veſtem gerẽs ex peñis artificioſè conciñatam, & ſub pectore ipſi alligatam. Illis ſalutatis tripudiat, donec ad locum, vbi captiuus ſeruatur, perueniat. Inter ſalutandum, oculis, manibus, totoq; corpore tam mirificè geſticulatur, vt ſatis appareat, eum ſummo deſiderio, corui inſtar, neci captiui inhiare. Interea captiuus ſuo loco funibus arctè conſtrictus, à pluribus tenetur, atq; hoc puncto carnificem ſuũ exſpectat, in quem coniicit quidquid arripere poteſt. Interdum etiam adſtantes ipſi lapides & ſimilia porrigunt, vt iis carnificem petat: atq; hoc modo periculũ faciunt, an ille ad officiũ iſtud ſatis ſit idoneus. Carnifex autem tanta agilitate modò huc, modò illuc ſe vertit, vt ictus omnes facilè declinet: mox cũ ſua machæra accedit, & ſe ad lat⁹ ſiniſtrũ captiui ſiſtit, vt tantò faciliùs eo ſuperior eſſe poſſit. Captiuus de ſe actum eſſe videns, ſibi gratulatur, quòd mortem ſubire debeat: atq; ita ſecũ: Age, inquit, moriar: plures iam ante me mortẽ oppetierunt: Mei amici & cognati, quos ſuperſtites relinquo, meam mortem vlciſcentur. Quibus dictis, carnifex ſingulari celeritate & induſtria ictus ingeminat, à quibus captiuus, quantum poteſt, ſe auertit: & quanquam funibus ab vtroq; latere conſtrictus tenetur, tamen caput & corpus inclinans, efficit, vt carnifex ſemel atq; iterum aberret, & aliquot eius ictus ſint inanes. Quando machæram ſublatam cernit, ocyùs ſe flectit, eumq;, qui ipſum fune conſtrictum tenet, attrahit: interdum machæram carnifici è manibus eripit: qua ex re varia vaticinandi argumentum ſumunt. Tandem, ſi carnifex ſuccumbat, reliqui eũ fune in terram pertrahunt: atq; ibi carnifex collum ipſius ferit, & humi ſternit, ac macherâ caput ipſius tam diu diuerberat, donec animam efflet. Inter præſagia, quæ ex morte occiſi captant, hoc non eſt poſtremum: ſi ille in dorſum cadat, id ſiniſtri ominis loco habent, & breui ſequuturum carnificis interitum exiſtimant. Porrò cadauer occiſi ad ignem trahunt, ibiq; illud excoriant, & carnifici tradunt, qui ventrem aperit & pueris inteſtina rapiendi facultatem concedit: quo quiſq; potitur, id ipſius eſt: reliqua inter adſtantem multitudinem diſtribuuntur, exceptis quibuſdam partibus, quæ primariis hoſpitibus donantur. Has illi domum ſecum aſportans, poſteaque exſiccant, & amicis in conuiuio apponunt.

Mactatio captiui.

Modus nobilitandi.

Carnifex pallium ſuum plumeum cũ machæra abiicit, & domũ redit. Ibi eum Iudex ſeu præfectus, arcum manu tenens, exſpectat, & ſimulat, quaſi in eũ ſagittam mittere vellet. Ille verò ſubitò ad latus in ædes irruit. Iudex indignanti ſimilis, quòd illæſus domum peruenerit, futurũ prædicit, vt in hoſtes ſuperior euadat. Tum mulieres omnes pagi vicos peragrant, atq; ita clamãt: *Mi fratris nomen eſt N.* Quod ſi recens creatus Nobilis bona & facultates habeat, amici eũ inuiſunt, & omnia auferunt: quo facto, frondes ex arbore, quã *Pilan* nominant, in terra ponunt, quibus eũ, velut attonitum, per totũ diem inſiſtere oportet: ſub veſperã caput occiſi ipſi adferunt, ex cuius oculis venas extrahunt, & nouo equiti arterias collinũt: tum os à capite illo abſcindunt, quod precioſæ armillæ inſtar dextro brachio hominis modò nobilitati appendunt, qui poſt hæc in ſuũ cubile ſeu rete ſe recipit, morbũ fingens, ſeu (vt ego arbitror) reuerâ ægrotans: metuitq; ne occiſi anima ipſum inuadat, & fauces dormienti elidat, quoniã fortè non per omnia, ſicut debebat, ſe geſſit.

Inſignia nobilitatis.

Poſt aliquot dies ad ipſum redeunt, & inſignia nobilitatis non ſcuto, ſed cuti eius imprimũt: quam ad rem dente *Cotiæ* vtuntur. Si nobilitatus ſit vir ſtrenuus & præſtans, flores & alia artificioſa cuti ipſius inſculpunt, & lineas rectas ſuper eam ducunt, quod nonnulli ſummâ patientiâ tolerãt: alij verò propter ſummos dolores quiritantur, & os diſtorquent. Deinde vulneribus puluerẽ ex carbone, cum ſucco, quẽ *Broamerape* nuncupant, mixtum inſpergunt: quod ipſis vehementẽ dolorem & tumorem excitat. Hunc dolorem nobilitatus aliquot diebus perferre cogitur: nec cuiquam licet toto eo tempore ipſum alloqui. In iſto ſilentio aqua & farina cum quadam nuce, cibi loco, ipſi apponitur. Nam per id tempus non fas ipſi eſt piſces aut carnes guſtare.

Elapſis aliquot menſibus, amici eius rurſum nobilitatũ adeunt, vt poculis cum eo certent, & ipſi de noua dignitate gratulentur. Tunc etiam comã abſcindit, & corpus atro colore imbuit. Ab eo tẽpore hoſtes ſuos aperto Marte & abſq; dolo occidẽdi ius habet, & ſe palàm pro viro nobili gerere poteſt. Quando aliquem ex hoſtibus capit, duos colaphos ei impingit: quo facto, domum ſe recipit: reliqui vero, qui adſunt, captiuũ capite truncant: poſtea mulieres, quæ liberos ſuos dorſo geſtant, eum conueniunt, & ſanguine occiſi conſpergunt. Hic honos ipſis habetur, quo maximè

ſuper-

superbiunt: & ex eo diuersa nomina ac titulos, quos studiose ambiunt, consequuntur. Nam *Abades, Marubixaba, Mozacata*, (quæ sunt nobilium epitheta) appellantur.

CAPVT TERTIVM.

De varietate linguarum & populorum in Brasilia, & quæ sit regionis natura atque conditio.



IN Brasilia sunt diuersi populi ac linguæ: illa tamen gens præcipua est, quæ ad littus maris habitat, cuius linguam Lusitani facillimè addiscunt. Hæc regio decem prouincias complectitur, quæ in multis rebus discrepant. Iesuitæ de iis maxime ad fidem Christianam conuertendis laborant, quorum linguam intelligunt. Qui littus incolunt, initio Lusitanis maximè fauebant, eosq; contra alios barbaros, sibi finitimos, defendebant. Tantus erat ipsorum numerus, vt exterminari non posse viderentur: sed posteaquam Lusitani ipsorum ope non ampliùs eguerunt, tam inhumaniter eos tractarunt, vt ex centum vix vnus inueniatur: nam omnes aufugiunt.

Inter hos primas tenent domini de *Parayba*, qui *Pitiguareni* appellantur, & triginta circiter milliaribus à Pernambuco domicilium habent. Hic etiam optimum lignum Brasilianum inuenitur. Hi olim cum Gallis amicitiam coluerunt, & matrimonium contraxerunt. Verùm anno 1584. Parayba à Iacobo Flares, Hispanicarum copiarum supremo duce, occupata, & Galli eiecti fuerunt. Hispani præsidium centum militum illic reliquerunt. Lusitani quoque suum præfectum, Fructuosum Barbosam, illic habuerunt, qui, ope præcipuorum Pernambuci incolarum, Pitiguarenis eodem tempore per terram bellum intulerunt. *Pitiguareni.* *Galli ab Hispanis eiecti.*

Prope hos *Viatani*, gens populosa & præpotens, horumque amici & cognati habitant. Sed astu Lusitanorum, qui Pitiguarenos Viatanis deuorandos præbuerunt, armis se mutuo lacessiuerunt. Postmodùm graui fame oppressi & afflicti fuerunt. Nam Lusitani, qui ipsis suppetias ferre debebant, ipsos captiuos cum omni annona auexerunt. Quam ob caussam Lusitanos vicissim deseruerunt, & ex improuiso magnam frugum copiam cum multis mercibus aliquoties ipsis abstulerunt. Sed hoc quoque periculo iam defuncti sunt. *Viatani.*

Alia præterea gens est, quæ *Tupinimbanorum* nomen gerit. Hi prope *Illeos* degunt: suntque etiam inter se diuisi, Pernambucensium hostes acerrimi. Ad fluuium S. Francisci *Caaetes*, Pernambucensibus quoque infesti, colunt. Ab Illeo vsque ad portum S. Spiritus Tupinaquines habitant, qui à Pernabucensibus originem trahunt, parua initio gens, quæ tamen hodie numero viribusq; plurimùm excreuit. Olim religionem Christianam prorsus aduersabantur: sed à paucis annis eam magno studio ac zelo amplexi sunt. Hos vicini ipsorum, *Itateni* seu *Guaracayeni*, capitali odio persequuntur. *Tupinimbani.* *Caaetes.* *Tupinaquines.*

Timivi, quibus *Tupinaquineri* infensi erant, ad S Spiritum commorabantur: sed iam magna ex parte extincti sunt: *Tamupi*, fluminis *Ianuarij* accolæ, à Lusitanis deleti fuerunt: qui superfuerunt, in continentem concesserunt, & iam *Ararapenses* dicuntur. Insuper alia quædam gens est, ampla & potens, octoginta circiter milliaribus à *S. Vincente* remota, quæ magnis agminibus in continenti & ad littus maris vsque ad *Paraginum*, vbi Castilienses consident, vagatur. Omnes hi populi eâdem linguâ vtuntur, sed animis vehementer dissident: Iesuitas tamen in pretio habent: quam ob caussam Lusitani, insatiabili lucri cupidine stimulati, illorum vestem habitumque assumunt, quo incolis imponunt, eosque ad mare & naues suas alliciunt: quò pertractos aut vendunt, & perpetuæ seruituti addicunt, aut, quia sibi ab illis metuunt, trucidant: atque hoc pacto sæpè integram familiam de medio tollunt. Qua fraude & crudelitate religionis Christianæ progressus non parùm impeditur ac retardatur. *Timivi.* *Iesuitæ à barbaris magni fiunt.*

Sunt præterea aliæ permultæ gentes, linguis discrepantes, quæ communi nomine *Tapupani* appellantur. Proximi à Tupaquinesibus sunt *Guamures*, per octoginta circiter milliaria ad littus sparsi, qui, quoties lubet, in siluas vsque ad continentem excurrunt. Sunt illi procero ac robusto corpore: & quia in siluis perpetuò oberrant, duram admodum cutem habent, quâ valde gloriantur: atq; vt puerorum ac liberorum suorum cutis indurescat, eos carduis & fruticis aculeatis cædere solent. Agriculturæ prorsus sunt ignari, & viuunt ex rapto. *Mandiccam* crudam comedunt, quæ tamen ipsis non nocet. Arcu prælongo vtuntur, quo lapides tam peritè ac validè contorquent, vt eos, quos feriunt, interimant. Piscandi & nauigandi artem non tenent, quia victum suum in siluis quærunt. Quando hominem capiunt, carnem arundine abscindunt, ossibus & inte- *Guamures.*

stinis relictis. Si puerum nanciscantur, quem propter hostes persequentes viuum abducere nequeunt, crebro ad proximam arborem alliso eum necant. Si fœminâ grauidâ potiantur, vterum eius resecant, & fœtum in eo repertum assant: quod genus edulij in deliciis habent. Sunt enim supra modum feri & immanes. Portui securo & minoribus insulis, præsertim *Camamu*, multum damni inferunt. Lingua ipsorum tam barbara est, vt eam addiscere non possimus.

Obacoatiacami diu sub aquis hærent. *Nani.*

Præter hos alij adhuc sunt populi, qui à *Tapupis* oriuntur, linguis plerunq; distincti, & graues secum inimicitias exercentes. Sunt omnes *Connibali*, exceptis *Cucupesiis*, Pauci agros colunt: nullas domus habent. *Camacurranorum* vxores tam grandibus vberibus turgent, vt ea supra vmbilicum propendeant: quando currunt, ea in tergum reiiciunt, & leuiter adstringunt. *Obacoatiacani* qui in insulis ad fluuium S. Francisci vitam agunt, insequentibus hostibus, in aquam desiliunt, & natando euadunt: diu quoque sub vndis hærent. Iaculis vtuntur, sine arcu: suntque homines bellicosi. Alia insuper gens est, quam Lusitani *Nanos*, incolæ autem *Tapyguirenos* vocant. Hi sunt pumili, nanorum instar: attamen grandes tibias, pectus & tergum crassum habent. *Savaitacani*, qui littus inter portum S. Spiritus & fluuium Ianuarij insident, magno studio terram colunt. Nam totum diem cum domesticis rusticantur: vesperi domum redeunt. Deniq; gens inter ipsos quædam est, *Noxea* dicta, latâ facie deformis. Hi populi venenatis plerunque sagittis vtuntur, cum quibus interdum ignem adhibent.

Vitam ad centum annos producunt. *Hyemis & æstatis initium.*


Brasilia est regio valdè temperata, iucundum & salubrem aërem habens. Incolæ vitam plerunque ad nonaginta, centum & plures annos producunt. Nec æstus, nec frigus est intensum. A flumine Ianuario vsque ad portum S. Vincentis pustulis & vlceribus, quæ tamen non diu durant, crebrò infestantur. Cælum, præcipuè noctu, sudum est ac serenum. Luna hominis valetudini prodest, aliis rebus plurimùm nocet. Tempus matutinum saluberrimum habetur. Vtrumque crepusculum est breuissimum. Nam simulac lucescit, Sol oritur: & eo occidente, lux quamprimùm euanescit. Hyems mense Martio incipit, & Augusto desinit. Æstas Septembri init, & vsq; ad Februarium durat. Dies & noctes toto ferè anno æquales sunt.

Damnum ab aquis. Arbores semper virent.

Brasilia admodùm humida est, & propter magna flumina crebrasq; ac vehementes pluuias quæ hyeme frequentes sunt, maris eluuionibus obnoxia. Siluæ vbiq; vernantes conspiciuntur: nam arbores toto anno virent. Cibus & potus illic vsitatus, plerunq; optimus est, & facilis digestionis. Vestium non magna hîc copia: nam nihil præter gossipium reperitur. Animalium verò, quæ esui apta sunt magnus est numerus. Inter portum S. Spiritus & S. Vincentis magna est lapidum penuria: alibi in littore sunt multi & alti montes, ex quibus lapides erui possunt. De animalibus, quæ hæc regio fert, alibi diximus.

CAPVT QVARTVM.

Quomodo Parketus, Anglorum dux S. Vincentem & portum bellum aggressus sit, & occuparit.


Vilhelmus Parketus, dux belli strenuus, anno Domini 1621. cum duabus grandioribus nauibus & vna liburnica ex Anglia soluit. Prætoria, cuius nomen *Prudentia*, & cui Parketus ipse præerat, centum onerum capax erat, & totidem classiarios vehebat. Subprætoria, *Margarita* nomine insignata, sexaginta onera capiebat, & totidem classiarios portabat: cuius præfectus erat Robertus Rauelins. Liburnica viginti onerum erat, octodecim classiariis instructa. Præter centuriones & ordinum ductores, viri aliquot fortes è præcipua nobilitate nomen huic militiæ dederant, sicut postea intelligemus. Apud promontorium S. Vincentis in Hispania, liburnica, cum quindecim hominibus, subitæ procellæ vi oppressa ac submersa fuit. Inde vecta ad insulas promontorij Viridis contenderunt: quò cum appulissent portum & pagum S. Vincentis cum centum classiariis confestim obsederunt, & nullo negotio ceperunt. Pagus militum direptioni concessus, & postea igne crematus fuit.

Portus S. Vincentis à Parketo captus.

Post littus legentes, ad *Margaritæ* & *Raucheriæ* insulas, iuxta quas *Cubagua*, parua insula, in qua margaritas piscantur, sita est, prouecti sunt, ibiq; præfectum Cumanum cũ copiis obuium habuerunt: nihilominus exscensione factâ aliquandiu cũ eo dimicarunt: in quo certamine complures ab vtraq; parte fauciati fuerunt: tandẽ loco cum hostiũ antesignanis & tredecim nauibus potiti sunt Angli. Omnem tamen prædam hostis redemit, exsolutis quingentis libris Anglicanis, quarum valorẽ in margaritis repræsentauit. Inde ad promontorium *de la Vela* progressi, in nauẽ Lusitanã ducentorum & quinquaginta onerum capacem, in qua centum & septuaginta classiarij erant, inciderunt, quam è vestigio egressi, facilè superarunt. Centurione Lusitano retento, & dimissis

classia-

classiariis ac remigibus, *Ensenadan de Alte* peruexerunt. Paullò post cursum versus Occidentem & insulas *delas Caberas* flexerunt: quò Parketus centum & quinquaginta classiarios, duabus nauiculis impositos, misit: ipse ad insulas de *Bastimientos* contendit, & exscensione facta, noctu in Portum bellum delatus est.

Cùm Angli portum illum ingressi essent, ex eleganti castello, quod S. Philippo dedicatum est, & trigintaquinque maioribus tormentis instructum erat, quæsitum fuit, vnde venirent? Illi, Carthagenâ, responderunt. Mox ipsis imperatum fuit, vt anchoras iacerent, & subsisterent: quod illi fecerunt. Post horam Parketus cum duabus nauibus & totidem nauigiis actuariis, in quibus triginta ex primariis ipsius comitibus erant, aduerso flumine, ascendit, quantumuis vehementer reclamantibus, qui in propugnaculo S. Iacobi erant, ac demùm prope pagum *Triana* in terram descendit: Etsi vero Hispani ad arma conclamarent, & se ad pugnam accingerent: tamen ille perrexit, & deuictis hostibus, locum igne deleuit. Deinde transmisso fluuiolo, ad opulentissimum pagum *Portum Bellum*, contendit: quo capto, illico regium ærarium petiit: vbi aliquot milites obuios habuit, quorum aciem perrupit, & duas ipsis machinas ademit, tantaque fortitudine in hostem impressionem fecit, vt locum in potestatem suam redegerit, quamuis à ducentis quinquaginta præsidiariis, præter magnum incolarum numerum, teneretur.

Interea reliqui centuriones cum suis classiariis in duobus nauigiolis ipsi subsidio venerunt. In eo conflictu Samuel Barnetus, Parketi legatus, & Ægidius centurio grauiter sauciati fuerunt. Dum apud ærarium pugnaretur, Petrus Melindes, præfectus oppidi, ab altera parte accurrit, vt suis opem ferret: cui Parketus cum nouem militibus occurrit, & fauente diuino Numine accidit, vt præfectus cum suo primipilari ictu tormenti lethaliter vulneraretur, qui ob eam caussam in ærarium retrocessit, & illud vsque ad posterum diem defendit. Tum Parketus Wardium cum delecta manu ærarium oppugnare iussit. Facto impetu, multi Hispani sauciati fuerunt, & Melindes ipse octo vulnera accepit, quem Parketus, loco potitus, viuum cum aliis ducibus accepit. In hoc certamine Wardus multique Angli vulnerati fuerunt.

Supererat palatium regium, quod præsidiarij, qui in eo erat, fortiter defendebant, nec vlla ratione deditionem facere volebant, donec plerisque occisis, reliqui capti fuerunt, inter quos fuit Secretarius regius. Hîc quatuor horis pugnatum fuit: & Parketus oppido, palatio regio, atq; ærario potitus est, captis præfecto Melinde, Secretario, multisque aliis nobilibus viris. Solus Alcade, qui sub initium pugnæ cum aureo torque ex oppido profugit, euasit. His feliciter peractis, Parketus excubitores vbique disposuit: & ærarium ingressus, decem ducatorum millia in eo reperit: quæ erat exigua summa pro ea spe, quam conceperat. Nam omnes thesauri ex Peru & Chile eò comportari, ibique asseruari solebant. Si Parketus septiduo citiùs venisset; centum & viginti ducatorum millia nactus fuisset, quæ paullò ante duobus nauigiis Cartagenam transmissa fuerat. Quidquid igitur in ærario inuenit, sibi seruauit: reliquam prædam, quæ in oppido parta fuerat, militibus suis concessit.


Palatium regium occupatum.

Petrum Melindem, propter insignem fortitudinem, quâ se defenderat, acceptis vndecim vulneribus, non solùm à suo chirurgo diligenter curari iussit, sed etiam sanitati restitutum absque vllo redemtionis pretio dimisit, & libertate donauit: tametsi auus ipsius multos Anglos & Gallos olim in Florida immaniter trucidasset. Oppidum habebat duo egregia & magna templa, ac septem plateas, in quarum duabus opifices atque opulenti mercatores habitabant. Ab vno latere tria erant pulchra & munita propugnacula: ab altero stabat elegans castellum S. Philippi. Omnia hæc Parketus flammis tradere ac deuastare poterat: sed ab eo abstinuit, quòd inde multum quidem damni ad alios, nihil autem commodi ad se rediturum sciret: quasdam tamen barbarorum domos, ad eos terrendos, incendit. Insuper duas naues, quæ in flumine erant, diripuit, & tria ex iis tormenta abduxit, quibus munimentum, quod ad Occidentem erat, oppugnauit.

Sub vesperam cum duabus liburnicis & totidem nauibus, quas hosti eripuerat, omnique præda inde discessit. In abitu, ad littus versus Occidentem, vbi multi ex hostibus excubabant, & eum exspectabant, grauiter sauciatus fuit. Quamuis autem viginti octo tormentis peteretur: tamen saluus cum suis euasit, præter opinionem hostium, qui certò sibi persuadebant, fore, vt illic naufragium faceret. Illinc tutò & absq; omni periculo ad paruam insulam, quæ non procul à littore versus occidentem ad S. Iacobum sita est, prouectus, in anchoris illic substitit. Quò ad eũ sub prætoria cum duabus aliis nauibus accessit. Sub lucem anchoras apud castellum S. Philippi iecit: cumque omnes suos recensuisset, Secretarium regium cum multis aliis nobilibus Hispanis, quos captiuos abduxerat, sine lytro in terram expositos libertati restituit.

Postero die è conspectu Portus belli, qui sub 10. grad. latitudinis Septentrionalis situs est, in altum vela dedit, & Cartagenam versus nauigationem direxit.

Sed in oppido Sambo, quod versus ortum duodecim à Cartagena milliaribus distat, anchoras fixit, vbi nouo comeatu naues suas instruxit, & spatium quiescendi viresque recolligendi suis concessit. Tredecim dies illic hæsit, & aliquot naues, quæ Cartagenam tendebant, deprædatus est. Quamobrem præfectus vrbis, Petrus de Coronna, duas liburnicas & phasellum cum aliis aliquot nauibus contra eum emisit, quæ tamen ad iactum lapidis ipsi appropinquare non audebant. Præfectus, cum ea, quæ Parketus in Portu bello gessisset, & quòd eum occupasset, cognouisset, adeò indignatus fuit, vt barbam sibi euulserit, & iureiurando interposito affirmauit, se libenter mulum aureo onustum daturum, vt ducem istum cum suis militibus sibi intueri liceat. Nam virtus etiam in hoste laudanda est. Parketus, Sambo relicto, ad insulas de Iamaica nauigauit, & tandem ad Acores peruenit. Ibi suam subprætoriam, omni comeatu ad duos menses probè instructam, cum duobus minoribus nauigiis reliquit, vt porrò fortunæ aleam subiret: ipse in Angliam velificationem conuertit, & sextâ die Maij, anno 1622. Plimmuthum appulit.



QVIN-

QVINTA SECTIO.

De Guiana.

Quæ hîc de Guiana retulimus, ea ex commentariis Roberti Harcurtij, nobilis Angli, excerpsimus, qui anno 1608. cum tribus nauibus eò profectus est, vt nouam illic Anglorum coloniam conderet: vnde feliciter reuersus, hanc istius regionis atque incolarum descriptionem ante paucos annos Serenissimo Magnæ Britanniæ Principi, qui nunc eiusdem regnum tenet, exhibuit.

CAPVT PRIMVM.

De miseranda cæde 77. Anglorum apud insulam Sanctæ Luciæ patrata, cùm in Guianam tenderent, & de mirabili nauigatione reliquorum.



POsteaquàm vir strenuus, VValtherus Ravvleigk, omnia ferè littora in Guiana peragrasset, multaq; alia loca, hactenus Christianis incognita, explorasset, inter alia partem & fluuium *VViapoco* pro Rege Angliæ cum consensu incolarum, selegit, eique attribuit, relictis ibidem aliquot fabris, quibus promisit, se intra spatium quorundam annorum non exiguum hominum numerum ipsis submissurum; quorum ope non tantùm se & incolas contra communes hostes, qui *Charibes* dicuntur, tueri, sed etiam terram tantò meliùs excolere, & nouis colonis implere possent. Sed aduersâ sorte præpeditus, promissis suis, vt maximè cuperet, satisfacere non potuit, neq; erant, qui, quamuis enixè rogati, negotium hoc suscipere atq; exequi vellent, donec Carolus Leagh, ordinum ductor, cum duabus nauibus, vt promissis staret, in viam se dedit: qui anno 1604. non sine magno labore ac periculo eò venit: vbi postea aliquot annis inter barbaros est commoratus, & sæpè in summum discrimen ac maximas angustias incidit. Quapropter auxilium fratris, Oliphi Leagh, equitis Angli, implorauit, quod etiam proximè sequenti anno impetrauit. Nam Oliphius in naui, quæ *Flos Oliuæ* nominabatur, centum classiarios, præter nautas, sub imperio Catilinæ & Nicolai *Sainct Iohn*, belli ducum, ipsi submisit. Hæc nauis die 14. April. anno 1605. ex Anglia soluit. Sed in itinere, reluctantibus ventis & horrendis tempestatibus, sic agitata fuit, vt à via prorsus aberraret, & spem omnem ad optatum portum perueniendi amitteret, deficiente præsertim annona, & vi ventorum, qui eam modò huc modò illuc impellebat, non intermittente. Quapropter habitâ deliberatione decretum fuit, vt Dominus *de Sainct Iohn* cum omnibus, qui constituissent cum Carolo Leagh *VViapogi* habitare, in proximam & fertilissimam insulam, quæ *Sancta Lucia* appellatur, delati, viam, quam Deus & fortuna ipsis monstrarent, sequerentur.

VValtherus Ravvleigk hæc loca explorauit.

Carolus Leagh eò proficiscitur.

Secundùm hæc septuaginta Angli, die 3. Augusti, cum ensibus, scloppetis, puluere nitroso, vno falconello & dolio nautici buccellati pleno, versus insulam S. Luciæ vela dederunt, & postero die littus contigerunt. Excensione factâ, exiguum vallum, quo se contra vim defenderent, construxerunt, & cum barbaris egerunt, vt sibi victum pro pretio subministrarent. Hîc magnam copiam *Cassavi*, *Potatoenorum*, *Plantanenorum*, *Popaye*, *Peponum*, *Calabassi*, *radicis Nicotianæ* & aliorum eduliorum inuenerunt: multas insuper perdices, pelicanos, alcedines iaculati sunt, & comederunt. Præcipuum alimentum ex *Turtosiis* habuerunt: ad quos capiendos singulis noctibus seni in proximam arenam ad mare se contulerunt, ibiq; duos aut tres interdum ceperunt: sæpè etiam vt retulerunt, septingenta oua simul coaceruata inuenerunt. Hisce sæpè sex aut septem hebdomadas in suis tentoriis se sustentarunt. Tandem cùm dux eorum animaduertit, barbaros quadratas armillas ex metallo brachiis suis gerere, ex aurifice quæsiuit, vnde confectæ essent, qui respondit, tertiam partem ex puro auro constare. Ostensus quoq; ipsi fuit locus, ex quo metallum istud foderetur, nempe ex monte versus Caurum sito: quamobrem ille cum dimidia parte suorum nauim conscendit, locum illum exploraturus, certò promittens, se proxima die Sabbathi (Deo dante) reuersurum.

Qui in vallo relicti erant, triduo nullum ex barbaris viderunt. Nam & illi (vt arbitror) egressi erant, vt tanquam speculatores, Anglos obseruarent, & iis insidias struerent.

 Postridie

Poſtridie (qui dies Veneris erat) quidam Angli duos Turtoſios in arena mactarunt, vbi magnam multitudinem Indorum conſpexerunt, qui vt nefarium ſuum conſilium celarent, Anglos adierunt, & ipſis in perferenda in locum ſuum præda adiumento fuerunt. Quoniam verò Angli ipſis non fidebant, & malitioſum eorum ingenium perſpectum habebant, toto eo die diligenter excubias egerunt, & ſibi ab Indis cauerunt, præſertim cùm animaduerterent, alios Indos, præter eos, quos conſpexerant, terra marique circumuagari. Interea Indi magno numero ad Anglos in ipſorum tentoria venerunt, & vinum cauſticum ad humum Nicotianæ cum illis hauriendo ſe oblectarunt: ſub veſperam autem omnes diſceſſerunt, præter Indorum anteſignanum, qui cum patre, ſene decrepito, illic manſit, & ſumma humanitate Anglos in ſequentem diem in ſuas ædes inuitauit, vt in iis edendo ac bibendo ſe exhilararēt: quo nullo prætextu ipſis honeſtè denegari poterat.

Barbarorū fraus & aſtutia. Poſtridie igitur frater centurionis, qui ad montem modò dictum perluſtrandum, & metalli fodinam explorandam abierat, cum octodecim ex ſuis ſociis, vehementi Indorum rogatu perſuaſus, animo otioſo, & nihil mali ſuſpicans, viæ ſe commiſit, & ludibundus Indorum anteſignanum præceſſit. Nam licèt anteſignani pater enſem ex ligno Braſilienſi ad latus geſtaret: tamen anteſignanus ipſe inermis erat, & neuter arcum aut ſagittas habebat, conſulto ita incedentes, vt Anglos ſecuros redderent, & ipſis omnem periculi metum adimerent. Vbi primùm Anglorum dux ad barbarorum ædes venit, trecentos Charibes, qui in inſidiis erant, conſpexit: eos autem non vidit priùs quàm Indorum anteſignanus enſem comprehendit, & pater ipſius clauam ſuam ex ligno Braſilienſi productam tam validè capiti ipſius impegit, vt viſu atque auditu priuatus in terram concideret. Mox ſagittæ confertim ex proxima ſilua in Anglos immiſſæ fuerunt. Quâ re illi territi, & quid agerent incerti, cùm præ metu funiculos ſcloppetis imponere, eaque in barbaros diſplodere non poſſent, diffugerunt: donec dux ipſorum viribus reſumtis, ſocios ad pugnam fortiter capeſſendam hortatus



est, eosque certò ordine disponit. Verùm id frustra fuit. Nam illis non tantum à fronte cum Indis pugnandum fuit: sed etiam à tergo magna eorum multitudo cùm vehementi sagittarum procella incubuit: ita vt ferro sibi viam patefacere cogerentur, & multos ex barbaris sternerent, ac letho darent. Dux ipsorum cum duobus aliis viris nobilibus tanto impetu eos adortus est, vt agmen ipsorum disturbarit. Ipse tamen cum vno ex sociis occubuit. Nam postquàm se strenuè defendisset, plus quàm centum vulneribus acceptis, concidit, & generosam animam Deo reddidit. Alter ex sociis in angustum callem se subduxit, vbi quinque alij Angli ei occurrerunt, cum quibus se in tutum recipere volens, aliud barbarorum agmen obuium habuit, quod tot sagittarum ictibus eos obruit vt reliquis omnibus interfectos, ipse solus euaderet. Nam cùm in proximam siluam se recepisset, &, Deo fauente, ad fluuium quendam peruenisset, eo superato, quamuis tribus sagittis confossus esset, ad vallum Anglorum rediit, & sociis Indorum perfidiam ac proditionem narrauit. Barbari quidem fugientem properè insequuti sunt: verùm vnico in eos tormento disploso, terga verterunt, nec intra triduum postea comparuerunt.

Sequenti die Lunæ, mille & trecenti aut quadringenti barbari, facto vndique concursu, Anglorum vallum coronâ cinxerunt: cumque Angli nihil aliud haberent, quod barbarorum sagittis opponerent, quàm suas cistas, ex octodecim, qui in vallo relicti fuerant, duodecim, octidui spatio, grauiter vulnerati fuerunt. Barbari autem suis sagittis ignem in vallum coniecerunt, quo Anglorum cistæ & tentoria conflagrarunt. In hoc tumulo cùm barbari in vallum eniti, & illud expugnare conarentur, falconello in eos disploso, pedem confestim retulerunt, non secus ac si Orcus ad eos absorbendos os aperuisset, & lamentabili voce clamitare cœperunt. Cistis & tentoriis igne consumptis, Angli casulas sibi exstruxerunt, & arenâ constrauerunt, vt ab igne & sagittis barbarorum tanto tutiores essent.

Barbari vallum Anglorum oppugnabant.

Sic barbari cum suis armis & nauibus discesserunt: vnus tamen ex iis rediit, & cum eo quatuor Carybes, qui cum Anglis de pace agere cupiebant Atque vt illi fidem eorum minùs suspectam haberent, in pacis signum arcus & sagittas in sublime extulerunt, deinde in terram deposuerunt. Quod conspicati Angli, hanc occasionem auidè arripuerunt: nam omni cibo & comeatu iam destituebantur: neque vllam rationem eius comparandi norant: quin etiam retibus suis aliisque instrumentis ad pisces & cætera animalia esculenta capienda spoliati fuerant, neque absque præsenti vitæ discrimine ex vallo suo prodire poterant. Quapropter, signo illo pacis dato, tres ex suis cum securibus, sertis, cultris & similibus ad barbaros ablegarunt, qui mox cum magna ciborum copia redierunt. Cùm ab eo tempore barbari Anglos per septiduum non inuisissent, & Anglos iterum annona deficeret, illi signum pacis erexerunt, quo conspecto barbari reuersi, omnis generis cibos ipsis attulerunt.

Hostium animi ad Anglos benefaciendū mirabiliter à Deo sunt conuersi.

Posthæc Angli nutu & verbis quibusdam Gallicis, quæ barbari intelligebant, illis significarunt, si nauim sibi suppeditarent, se cum pace abituros. Quam conditionem barbari amplexi sunt: nam ab Anglis, licèt perpaucis, vehementer sibi metuebant. Rebus igitur omnibus ad discessum paratis, Angli iter ingressi sunt: & quia neque pyxidem nauticam, neque alia similia instrumenta penes se habebant, interdiu Solis, noctu Lunæ ductum sequuti, inter Occidentem & Meridiem vela fecerunt. Cæterùm tridui spatio cibus & aqua dulcis ipsos defecit. Vni ex ipsis parum orizæ in cado superérat; quod alij nesciebant. Hanc ipse aquâ marinâ nonnihil conspersam, inter socios distribuit, binosque quotidie pugillos vnicuique admensus est. Hoc pacto decem ipsos dies vitam tolerarunt. Interea grauis tempestas coorta est, quæ illos propter admixtam pluuiam vtcunque exhilarauit. Nam manibus, pileis, aliisque vasis aquam exceperunt, eâque haustâ se refocillarunt. Nihilominùs decima die vnus ex illis fame extinctus est: & reliqui per imbecillis viribus erant. Sub vesperam littus magna cum lætitia conspexerunt: quod tamen ante noctem attingere non potuerunt. Ne verò insperato infortunio ab eo repellerentur, etiam noctu ad illud contenderunt. Quoniam autem per arenam & scopulis ipsis nauigandum erat, nauis fracta est: omnes tamen Angli salui in littus euaserunt: quidam arbores, alij scopulos conscenderunt, atq; ibidem noctem transegerunt.

Exiguus commeatus pro octodecim hominibus.

Vnus ex ipsis fame interit.

Postridie manè nauim, vt potuerunt, refecerunt, quinq; in littore relictis, qui terrā lustrarēt. Hi per multos fluuios transiuerunt, & propter crocodilos aliaq; monstra multum periculi subierunt. Tandē, cùm putarent sibi fama pereundum esse, singulari prouidentia Dei in quadā specu cumulū farinæ inuenerunt, quā cū aqua coxerūt, & pultē inde confectā vetres esuriētes pauerūt.

Post biduum tres Hispani cū sex Indis se ipsis obuiam obtulerunt. Erant illi mercatores, qui multos secum mulos, equos & merces ducebant. Hi cùm Anglos miserabiliter incedentes viderent, depositis sarcinis, Anglos humaniter exceperunt, & cibo potuq; recrearunt. Eosdem equis suis impositos aliquousq; secum duxerunt. Reliqui

Hispanorū erga Anglos afflictos humanitas.

Quinq; Angli fame enecti. Reliqui quatuordecim Angli, qui in littore manserant, quindecim dies cochleis, aquâ salsâ & fumo Nicotianæ ægrè se sustentarunt, & quinque ex illis, qui fumum istum haurire non poterant, fame enecti sunt. Qui hoc modo mortem oppetierunt, illius corpus primùm intumuit: deinde rursus extenuatum & emaciatum fuit, ita vt capitibus in sinum reclinatis, duodecim horarum spatio interirent. Decimaquinta die vnus ex Anglis Hispanos ad insulam, in qua socios reliquerat, duxit, & omnis generis cibos secum attulit: quos vbi Angli famelici gustarunt, sibi moriendum esse arbitrati sunt, propterea quòd ob summam stomachi imbecillitatem cibos concoquere non possent. Postero die Hispani eos suis equis *Tocoyam* perduxerunt, & ea, quæ Angli habebant, in suam fidem & custodiam assumserunt. Illic debiliores reliquerunt: cæteros *Corum* duxerunt. Post quindecim dies, ij, qui Tocoyæ substiterant, vbi ab Hispanis bene curati fuerunt, ad reliquos adducti fuerunt. Illic Hispanicus gubernator eos examinauit, quæsiuitque, vnde venirent, & quo tenderent? Ad quæ interpres Batauus, qui ab annis sedecim illic captiuus attinebatur, & linguam Anglicanam callebat, commodè respondit, & Anglos excusauit. Sciebat enim, si Anglorum consilium & propositum, Gubernatori indicaret, futurum, vt vel capite plecterentur, vel remis & perpetuæ seruituti manciparentur. Quapropter eos purgauit, dixitque, Anglos nauigationem non eò instituisse, sed vi ventorum & aduersa tempestate in istum locum actos fuisse: tum pericula, incommoda & damna, quæ in itinere passi essent, exaggerauit. Eorum commemoratione Hispani obstupefacti sunt: & quidam ex iis dixerunt, eos, qui talia passi essent, non homines sed diabolos esse aut mirabiliter à Deo conseruatos fuisse, qui mererentur, si non essent Lutherani, vt in sanctorum numerum referrentur,


Huic examini præcipui ex nobilitate Hispanica & alij præfecti vrbis interfuerunt, qui omnes fortunam Anglorum admirati, eos custodiendos susceperunt, & non vulgarem humanitatem ipsis præstiterunt. Vnus ex Anglis apud Franciscum Lopezium hospitium habuit: cùmq; correptus esset, Perosus, Lopezij gener, qui Medicinæ peritus erat, eum quotidie in cubiculo, in quo decumbebat, adiit, ipsique venam secari curauit, & vxori mandauit, vt omnia necessaria ipsi subministraret. In summa Anglis apud Hispanos & Indos liber accessus patebat: & Indi eos cum gaudio exceperunt, varios ipsis cibos, vt carnem ferinam, suillam & similia, quibus illic abundant, largè suppeditantes. Quamuis autem Anglis quoad victum aliaque necessaria nihil deesset: tamen duo ex ipsis hoc in loco vitam cum morte commutarunt.

Regionis conditio. Potus ex tritico inebrians. Regio circum Corum multum saccari, mellis, zingiberis, resinæ ac tritici profert. Triticum si cum Indorum *Naize* & arundine saccari misceatur, optimum panem reddit: & ex eorum Maize ac radice *Potatoen* Indi potum seu vinum conficiunt, quo inebriantur. Dum hîc morarentur Angli, Hispanus cum fratre in villam abiit, vbi multos Indos habebat, qui radicem Nicotianæ plantabant. Vbi vnus ex præcipuis Indis securim, quam dono acceperat, in manus sumsit, & quæsiuit, quanti ea constaret, simulque eâ caput Hispani, præter omnem opinionem, diffidit. Quo facto, Hispani frater ad gladium suum respexit: sed Indicæ mulieres eum subtraxerant: atq; ita ille sagittis repentè confossus fuit. Barbari è vestigio ad proximos montes confugerunt, & Indos illic habitantes contra Hispanos instigarunt, quorum vxores illis promiserunt, si sibi auxilium ferrent. Verùm hi Indi confestim à centurione Peroso, militari stratagemate oppressi, & triginta ex ipsis inter edendum ac bibendum capti, Corumque abducti fuerunt, vbi crudeli supplicio affecti sunt. Quibusdam ex illis Hispani pollices absciderunt, & venas digitorum dissecuerunt, ne arcu ampliùs vti possent.

Interea Angli ab Hispanis benignè habiti fuerunt, qui ipsis bonorum, quæ possiderent, partem, & filias suas in matrimonium obtulerunt, si apud se manere vellent. Verùm Anglis patria tam chara erat, vt illud comiter recusarent, & pro beneficiis sibi præstitis humillimè gratias agerent, conscensaq; naui Cartagenam, & inde Angliam peterent.

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo Harcurtius in Guianam nauigauit, & de variis illius regionis prouinciis ac fluminibus.



Vm Angli post reditum in patriam omne infortunium, quod pertulissent, commemorassent, cunctos ad misericordiam commoue-runt, totoque triennio nemo repertus fuit, qui eò proficisci vellet. Tandem Harcurtius, re maturè deliberatâ, cum tribus nauibus, quas suis sumptibus instruxit, anno 1608. eò iter instituit, vt colonias in eo loco amplificaret & conseruaret: & *VViapoco* feliciter appulit. Quid in itinere ipsi acciderit, non opus est hîc percensere, cùm nihil in eo sit singulare, & alij, qui eandem viam emensi sunt, omnia promontoria, insulas, regionesque accuratè descripserint. Quapropter ad huius regionis descriptionem rectà me conuertam.

Harcurtius, cùm eò venisset, à barbaris summa humanitate ac beneuolentia exceptus fuit. Nam ea, quorum indigebat, liberaliter ipsi subministrarunt. Colloquio aliquandiu cum Indorum principibus habito, in terram se contulit, & ab Indo quodam, qui diu in Anglia vixerat, & linguam Anglicanam probè intelligebat, perbenignè & amicè habitus fuit. Hic Harcurtium, & vnum ex præcipuis ipsius comitibus, virum nobilem, hospitio excepit, cæteris per vicinas ædes distributis. Post paucos dies Harcurtius, regionem contemplatus, commodum sibi locum ad munitionem delegit: & omnibus diligenter perpensis, apud pagum *Caripo*, in monte saxoso, ad quem nullus, nisi per circuitum, accessus patebat, consentientibus Indis, magnum aggerem excitauit, qui eo magis ipsi placuit, quòd sub monte naues suas commodè tutari poterat. Cùm autem festa aliquot inter Indos & Anglos celebrarentur, in iis petiit, vt regio Guiana Regis Angliæ potestati ac tutelæ se committeret: quod etiam facilè impetrauit. Ab eo tempore Harcurtius operam dedit, vt regionem penitus exploraret ac lustraret: & ab eo accepimus, quæ hîc de regione ista litteris mandauimus.

Harcurtius à barbaris humaniter excipitur.

Guinea regis Angliæ potestati se dedit.

Nobilissima regio & amplissimum regnum Guianæ terminatur ab Occidente, montibus *Peru*: ab Oriente & Meridie, celeberrimo fluuio Amazonum: à Septentrione, mari ipso, & magno flumine *Orenoque* (sicut in Tabulis Geographicis videre est) vbi Waltherus Rawleigh multa explorauit. Ostium Occidentale fluuij Amazonum, quod etiam ad mare porrigitur, vocatur *Arrapoco*, in cuius littore multi sunt principatus, digni, qui diligentiùs explorentur & perlustrentur.

Versus Septentrionalem partem fluminis Arrapoco, ingens amnis est *Arrevvary*, cum amplissima & opulentissima prouincia. Ab *Arravvary* vsque ad *Cassipurogh* sita est prouincia *Arricary* quæ tres principatus complectitur, nempe, *Arravvary*, *Maicary* & *Corsebery*: quorum supremus dominus est *Anakyury*, genere *Taias*, qui ex finibus *Orenoque* metu Hispanorum, quos summè odit, pulsus fuit: nunc autem in prouincia *Arricary* habitat. Versus *Caurer* in mare se exonerat fluuius *Conaisini*, principatus *Coosheberi* terminus: Hîc lapides inueniuntur adamantibus simillimi. Quapropter Harcurtius centurionem cum aliquot aliis delectis & primariis viris eò misit, vt quid rei esset, certò cognoscerent.

Lapides adamantibus similes.

Prouinciam *Coosheberi* eo tempore gubernabat, sub imperio modò dicti *Anakyury*, Indus quidam, cui nomen *Leonhardo Ragapo*, qui olim cum Walthero Ravvleigh in Angliam profectus, ibique baptizatus fuerat. Is centurionem Fischerum, quem Harcurtius ad ipsum miserat, perbenignè excepit, & aliquos Indos ipsi adiunxit, qui eum ad locum illum, in quo eiusmodi lapides inueniuntur, ducerent. Centurio ille, terrâ interfaciens, multos amænos & fertiles agros vidit: tùm magnus mons se ipsi obtulit, ab Indis *Covvob* dictus, in cuius cacumine (vt illi aiunt) ampla est piscina, multis & variis piscibus referta. Lapides verò isti non erant adamantes, sed Topazij, qui si auro inserantur, maximum splendorem emittunt, & adamantibus similes sunt. Verùm in monte *Tenaseren*, præter topazios etiam multi adamantes reperiuntur.

Harcurtius igitur, intellecto, regionem adeò fertilem, & cælum salubre esse, Indi illius, qui Anglos valdè amabat, & in magno pretio habebat, instigatu, quosdam ex suis in prouinciam *Cooshebery* misit, vt nouam illic coloniam conderent. Prouinciæ *Arravvory* & *Mozovvnia*, quæ ad continentem campestres & fructuosæ sunt, versus Caurū, procul ab Occidente, à flumine *Cassipurogh* vsque ad fluuium *Arracovvo*, & versus continentem atque Occidentem, vsque ad fluuium *Arvvy* se extendunt. Prouincia *Arravvorii* valdè populosa est: sed inter incolas eius & *VViapocenses* non est firma amicitia: quamuis nunc bello aperto se mutuo non persequantur. In *Mozovvnia*

Mons Callipury figuram habet Pyramidis.

quoque nulla est incolarum penuria. In hac prouincia mons est altissimus, quem *Callipury* vocant: is à natura ita formatus est, vt Pyramidē repræsentet. Ex hoc monte prouinciæ & regiones vndique ad centum milliaria vsque conspici possunt.

Longè vltra *Mozovvniam*, versus Meridiem, sita est regio *Arvvy Norrakorenorum*, sub ditione eius, quem suprà diximus, *Anakyury*. Incolæ eius sunt *Charibes*, *Mozovvinnensibus* & *VViacopornensibus* infestissimi. A fluuio Amazonum vsque ad vrbem *VViapoco*, hi amnes in mare influunt: *Arrapoco* (ostium fluuij Amazonum) *Arravvary*, *Micary*, *Conassini* & *Cassipurogh*. Supra vrbem Wiapoco, versus Orientem, in mare labuntur fluuius *Arracovv*, & qui in hunc se exonerat, *VVattu*. Ad Septentrionalem vrbis *VViapoco* partem, æstuarium est, *VVianary* dictum, quod itinere vnius diei in terram se effundit. Totus ambitus huius prouinciæ á *VViapoco* vsque ad *Apervvacam* nominatur regio *VViapovvornensium*, & duos præterea principatus complectitur, *VViapoco* & *VVianary*. Infra cataractam *VViapoco*, quæ quadraginta milliaribus à mari abest, sunt multi *Taienses* & *Arvvoecani*. In *Taienses Carasana*, in *Arvvoecanos Arriguoma* imperiū tenet. *VVianarii* pauci sūt incolæ.

Versus Occidentalem partem vrbis *VViapoco*, fluuij *Apurvvaca*, *Covvo*, *VVio* & *Caiane* in mare se exonerant. Primus fluuius est ingens: secundus vacuus: tertius, per multa milliaria nauigabilis, vtrinque fertili ripâ cingitur. Fluuius *Caiane* tutum pro omnis generis nauibus, cuiuscunque sint magnitudinis, portum efficit, qui ab Anglicano centurione *Keymis* dictus est *Port-hvvard*. Ad dextram insula se obiicit, quam *Muccumbro* vocant, cuius circuitus est sedecim milliarium. In hac insula duo sunt altissimi montes, quorum vnus *Muccumbro* appellatur, à quo hæc insula nomen accepit: alter *Cillicedomo* nuncupatur, Ab vtroque monte maxima pars insulæ conspici potest, quæ amæna prata, siluas, & magnam ceruorum, qui diuersi sunt generis, multitudinem continet. Ab altero latere iacet insula *Mattoory*, quæ magnitudine & fertilitate priori parùm cædit, duo habens munimenta, in quibus maiora tormenta ad defensionem portus collocari possunt. Incolæ prouinciæ *Caiane* sunt *Charibes* & *Arrivvacary*. Præfectus huius loci Anglis admodùm fauet, & Harcurtium semper benignè habuit, eique ex suis quosdam, linguæ addiscendæ caussâ adiunxit.

CAPVT TERTIVM.

De politia, quam incolæ pace ac bello obseruant, de anni tempestatibus, religione incolarum, natura regionis & animalium.



ÆC regio versus continentē, propter paucitatem incolarum, multis locis non habitatur. Nam pleriq; barbarorum ad ripas fluminum suas sedes & domicilia habent, vbi suis nauiculis huc illuc vehuntur. Nulla singularis aut vera politia inter ipsos est. Habent quidem ducem & præfectum, sed ei obtemperant quando volunt. In vnaquaque prouincia est *Cassique*, seu Capitaneus, qui titulum præfecti seu regis gerit. In singulis pagis est Iudex, qui homicidium & adulterium capitis supplicio punit: cætera crimina & flagitia manent impunita. Indi supra modum sunt zelotypi: & quando aliquis ex ipsis vxorem adulterij conuincere potest, eam statim, absque vlla gratia & misericordia, morte afficit. Is primum inter ipsos locum obtinet, qui plures vxores habet. Nam iis pro ancillis vtuntur, præsertim quando consenuerunt: & illæ ipsis panem, cibos & similia apparare, atq; in mensa, vt & alibi, ministrare coguntur.

Homicidium & adulterium apud barbaros capitale.

Hæ prouinciæ *Taios*, *Arovvaccas*, *Sappaios*, *Paragotos & Charybes* suas peculiares linguas habent. Charybes sunt indigenæ: cæteri ex *Trinadado* aliisque finibus *Orenoque* ab Hispanis fulsi fuerunt. Quoniam verò inter se sunt concordes, tantis viribus pollent, vt etiam contra Charybium voluntatem irrepserint, & illic nidulati sint pace cum iis, qui ad littora maris habitant, firmatâ, Charybes autem, qui in montibus & versus continentem degunt, eos crebrò magnis agminibus inuadunt, & domos ipsorum diripiunt, abductis pecoribus & vxoribus: nam de his maximè inter ipsos certatur. Idipsum Angli in *Cooshabery* experti sunt. Nam quatuor ex ipsis, qui cum supradicto Indo, *Leonhardo Ragapo* in hanc prouinciam profecti erant, huiusmodi direptionis spectatores fuerunt. Charybes enim cum ducentis ex suis in Indi istius, qui *Taius* erat, ditionem irruperunt, quosdam ipsius pagos incenderunt, multos incolas mactarunt, alios cum vxoribus & liberis totaque familia captiuos abduxerunt: Leonhardum quoque Rapagum acriter persequuti sunt, qui cum quinquaginta hominibus obuiam ipsis processit, & Anglos, vt sibi cum suis scloppetis opem ferrent, accersiuit. Vt autem vidit, hostem magno numero aduentare, suos hoc modo in aciem eduxit. In fronte quatuor Anglos cum suis scloppetis & ardentibus funiculis collocauit: hos sequebantur aliquot Indi, ligneis machæris & scutis probè instructi: post

Pugna inter Indos.

quos

quos incedebant alij, sagittis armati: extremum agmen claudebant, qui longas clauas gestabāt. Charibes, conspectis Anglis, qui in fronte stabant cum suis scloppetis, magno terrore perculsi fuerunt: quod animaduertens Leonhardus Indus, suos consistere iussit: ipse verò cum gladio, quem Angli ipsi dederant, & altera manu scutum tenens, ad hostem progressus est, & euocatis centurionibus, eos grauiter increpauit, quòd in suam ditionem irruptionem fecissent, & seuerè minatus est, se eos ferro persequuturum, nisi quamprimùm ablata restituerent, & finibus suis excederent: quòd si vnum ex Anglis læderent, exitium ipsis denunciauit, auxilio Anglorum, quos *VViapaco* ad se euocare vellet. Qua oratione Charibes ita consternati fuerunt, vt pace cum eo facta, sine mora, ex territorio ipsius discesserint.

Incolis ad magnam paucitatem redactis, vires eorum multum imminutæ sunt: neq; alia arma habent, quàm ea, quorum supra mentionem fecimus. Pauci inter ipsos sunt, qui scloppeta tractare norint: quod tamen ab exteris, cum quibus conuersantur, quoad possunt, addiscunt.

Anni tempestates pro diuersitate locorum variant. Nam in locis, quæ in Guiana versus Ortum & Amazones sita sunt, sicca tempestas, quam æstatem nominant, mense Augusto: humida & pluuiosa ac procellosa, quæ ipsis hyems est, mense Februario incipit. In locis versus Occidentem & *Orenoque* sitis, æstas, seu siccum tempus, mense Octobri: ventosum ac pluuiis madidum, siue hyems, mense Aprili init. Est tamen inter hæc anni tempora exigua differentia, propterea quòd regio Æquinoctiali vicina est, vbi dies & noctes ferè semper sunt æquales. Plerunq; fit, vt quando Sol ad Tropicum Capricorni conuertitur, cælum sit sudum ac serenum, & tempestas maximè sicca: quando autem Sol ad Tropicum Cancri reuoluitur, pluuiæ & venti paullatim insurgunt: neq; tamen id certo tempore & eodem momento semper accidit, sed modo citius, modo tardius: modò vehementius, modò remissius: quæ diuersitas etiam à siderum motu & vi, quâ in hæc inferiora agunt, proficiscitur: quo fit, vt terra aliquando sit humidior, aliquando siccior: interdum calidior, nonnunquam frigidior. *Anni tempestates in illis locis à nostris discrepant.*

Vix aliquod discrimen temporum obseruant, nisi quòd Lunæ mutationes attendunt, & dies numerant. Numeros ita referunt: vnum, duo, tria &c. decem, decē & vnum, decem & duo, &c. quos numeros quando indicare volunt, tot manuum digitos in altum tollunt: quando autem ad vigesimum & vlteriorem numerum progrediuntur, manibus pedes addunt, & eorum quoq; digitos ostendunt: quod in numerando sæpè quadragies repetunt. Quando aliquid certo tempore se soluturos aut daturos promittunt, creditori grana quædam seu alias res minutas secundùm numerum dierum, quem ad solutionem præstandam definiuerunt, tradunt, totidemq; sibi seruant: singulis autem diebus vnum remouent: & qādo nihil amplius superest, eo admonentur, tempus solutionis adesse.

Religionem fermè nullam habent, nisi quod Solem & Lunam, quos animatos esse, & viuere existimant, venerantur. Neutrum tamen adorant, neq; vni aut alteri sacrificia offerunt, præterquàm diebus festis, quibus sua Bacchanalia celebrant. *De religione incolarum.*

Quaodo aliquis belli dux, aut vir dignitate præstans, aut amicus, quem viuum magni fecerunt, ex hac vita migrat, peculiaria festa instituunt, in quibus peragendis generosissimum vinum quod *Parranovv* nominant, adhibent. Istud festum triduum aut quatriduum, plus minus durat, pro copia vini, quòd ipsis suppetit: totumq; illud tempus, cantando, saltando, edendo & bibendo traducunt. Nā omnes alias gentes bibacitate & ebriositate superant: & qui primus inter ipsos inebriatur & indormiscit, is palmam fert. Dum ita pergræcantur, mulier quædam, defuncto cognatione iuncta, assidet, quæ cæteris bacchantibus & tripudiantibus lamentatur & eiulat: deficiente autem vino, festo quoq; finis imponitur. Certum etiam est, ipsorum sacerdotes & hariolos cum Diabolo, quem *VVattipa* appellant, consuetudinem habere, eumq; consulere: sed ab eo turpiter falluntur; nihilominus eum metuunt, & odio prosequuntur, eumq; insignem nebulonem & præstigatorem appellant, neq; id iniuriâ. Nam sæpè eos verberibus malè accipit. De mortuis hoc creduut, probos post hanc vitam rectà in cælum, quod *Caupo* nominant, migrare: improbos autem & impios in terram descendere. Quando belli dux aliquis decedit, vnum ex captiuis, qui ipsi ministrauit, interimunt: si talis eo tempore non adsit, vnum ex seruis ipsius morte afficiunt. *Mos sepeliendi defunctos.* *Festum barbarorum cum vino finitur.* *Sacerdotes cum Diabolo consuetudinem habent.* *Quo mortui post hāc vitam migrent.*

Natura & conditio regionis Guianæ diuersa est. Ad littus maris humilis & depressa est, ac nimio æstu flagraret, nisi vehementi vento Orientali refrigeraretur. Quibusdam locis terræ humilitas incolis damnosa est, propter flumina, quæ tantò faciliùs exundant, & terram aquis mergunt. Plerisq; locis magna & nauigabilia sunt flumina, & solum fertile, incolis frequens. Inter montes solum maxima ex parte est sterile. Inueniuntur tamen loca quædam frugifera, vbi aër est tepidus & temperatus. Metalla illic tantâ copiâ scaturiunt, vt nullum sit regnum in tota India Occidentali, quod hac in parte ipsi præferri possit. Est & alius quidam in hac regione tractus, qui cæteris paullo altior est, illisq; salubritate & fertilitate longè antecellit. Nam iucundis pratis, lætis pascuis, fluminib⁹, fontibus & nemorib⁹ abundat: quæ res magnā cū voluptate vtilitatē coniūctā habent. *Regionis Guianæ natura & conditio.* *Metallorū copia.*

 Quoti-

Quotidianus incolarum cibus hic est. Ex radice arboris, quam *Cassavum* nominant, panem hoc modo conficiunt: radicem super lapidem conterunt, & in farinam redigunt: deinde succum exprimunt, & placentas inde digiti crassitudine formant, quas super lapidem coquunt: atque ita panem, qui præstantissimi est saporis pinsunt. Succum, qui per se venenatus est, cum pipere Guianensi excoquunt: vnde pretiosum aroma conficitur. Hic quoque genus magni tritici nascitur, quod quidam triticum Guianense vocant, vulgò tamen *Maiz* dicitur. Huius magna est hoc loco vbertas, estque illud admodùm frugiferum: nam pro vno grano sæpè mille, interdum mille quingenta reddit. Hoc triticum bonam farinam præbet, ex eoque præstans cereuisia coquitur. Ex radice arboris *Cassavi*, & ex hoc tritico potionem apparant, quam *Passiauw* nominant. Ea durabilis non est: ideoque intra quatriduum eam exhaurire oportet. Potio autem *Paranovv*, quæ ex radice Cassavi conficitur, vsque ad decimum diem vim suam & bonitatem retinet, & priore longè fortior est. Habent & alia multa potionum genera. Magna quoque hic mellis copia est, quod licet sit agreste, tamen nulli quod in Europa habetur, bonitate cedit. Ex hoc melle, atque ex cera mercatores magnum quæstum facere possent Nullæ hic sunt vites: nihil tamen impedit, quo minus cum bona spe prouentus pangantur.

Cereuisia ex tritico.

Quadrupedes.

In hac regione multa alia reperiuntur, quæ ad victum, alimoniam & sustentandam hominis vitam apta sunt. Ceruorum varia, aprorum duo sunt genera. Nam apri hic inueniuntur, qui ab Indis *Peckiero* dicuntur, & vmbilicum in tergo habent: alij, quos *Peingo* vocant, Europæis sunt similes. Habent quoq; magnum cuniculorum & leporum numerum, qui tamen à nostratibus discrepant: insuper tigres, leopardos, armadilios, maspurios, quorum caro nostram bubulam sapore refert: baremoes vel ant-vrsos, quorum caro cum nostra ouilla sapore conuenit. Sciuris & aliis similibus animalibus hæc regio affluit. Reliqua animalia, quorum hic magna copia est, quoniam nobis adhuc ignota sunt, suo tempore cum suis proprietatibus & qualitatibus fusè à nobis describentur.

Aues.

Nec minor hic auium multitudine cernitur: quales sunt anseres feri, anates, grues, ardeæ, perdices, columbæ, turtures, psittaci, multæque aliæ, nobis Europeis cognitæ. Vidi etiam hoc loco auium genus rapax, nostris vulturibus aliquanto maius, præter alias multas colore & forma elegantissimas.

Pisces.

Piscium omnis generis hic abunde est: præter eos, quos nos nouibus, quendam habent salmoni nostro persimilem: colore tantum differunt: nam qui salmonibus ruber, huic flauus est. Ostreæ hic nascuntur & pendent in frondibus arborum. Est & hoc loco mirabile quoddam genus piscis, qui *Casseruus* ab Indis appellatur. In vnaquaque pupilla habet duo lumina, quorum vnum, quando natat, sub aquis condit, alterum supra eas extollit. Costâ & tergo homini similis est: magnitudine delphinum superat, saporis est gratissimi. Aliorum piscium, qui in fluminibus natant, nomina mihi nondum sunt cognita. Vnum adhuc piscem hoc loco memorabo, quem Indi *Coinmero*, Hispani, *Manati*, Angli, *Seacovv*, hoc est, vaccam marinam nominant. Saporem habet carnis bubulæ, & sanguine abundat. Si sale condiatur, nauigantibus commodum cibarium præbere, & diu asseruari potest. Ex hoc pisce oleum conficitur, quo Angli loco butyri vtuntur. Corium ad scuta contra barbarorum sagittas paranda conducit. Hic piscis vt plurimum in mari degit: hyeme autem & quando densi imbres cadunt, magnis agminibus in minores aquas se recipit, & victum in gramine ad littus quærit.

Casseruus piscis mirabilis.

Piscis Coinmero.

Fructus regionis.

Fructus huius regionis sunt diuersi generis. *Pina*, genus fructus est, cuius sapor similis est ei, quem Angli ex fragis, vino rubro & saccaro elicere solent. *Platana* cum præstantissimis pomis cōparari possunt. Potatæorum quoque vsum percepimus. Pruna dulcis sunt saporis, sed homini aliquantum noxia. Nam si largiùs comedantur, disenteriam & profluuium alui pariunt. Nuces quoque, quarum permultæ diuersi generis hic nascuntur, plurimum nocent, si quis illis vltra modum vescatur.

CAPVT QVARTVM.

De plantis ad medicinam idoneis, & de gigantibus latas aures habentibus.



SAccari arundines in hac regione permagnæ & prætaltæ sponte sua crescunt, ex quibus grande lucrum facere liceret. Gossipio, cuius multiplex est apud nos vsus eadem hæc regio exuberat. Multa quoque hic rara inueniuntur, quæ ad sericum & pannum tingendum fructuosè adhiberi possunt. *Annoto* sericum igneo colore perfectè inficit. Aliud quoddam terrâ nascitur, quod rebus cæruleum colorem inducit. Arbor quædam gummi fundit, quod flauo, eoque elegantissimo, colore rem imbuit. Lignum quoque est, à quo res purpureum: aliud, à quo rufum colorem accipit. Rursus alia est arbor seu lignum, cuius succus, si sit calidus, puerpureum: si sit frigidus, flammeum colorem dat. *Saccarum. Gossipium. Colores, ad pannũ tingendum.*

Præterea varij generis gummi hic colligitur, quod magni pretij est, & ad medicinam, inprimis ad sananda vulnera adhibetur: quale est *electrum flauum, gummi Lemnium, Baratta, Colliman,* & similia. Quantum ad Colliman, eius vsus in Medicina Anglis notus est. Hoc gummi atrum est, friabile, pici non absimile. Si quid ex eo ardenti pruinæ imponatur, totam domum suaui odore complet. Si quis eo caput bis terue in die fumiget, vertiginem pellit, humores ex capite destillãtes exsiccat, & peralysin auertit. Cataplasma ex eo factum, & renibus applicatum, dolorem sedat, quem mulieres plerunque sentiunt. Prodest ad tumores, vlcera & similia curanda. *Baratta* est instar salutaris balsami, quod recentibus vulneribus medetur, & gratissimum odorem fundit. Alia præterea hæc regio suppeditat, ex quibus suauem & salubrem suffitum facere licet. Ad medicinam conducentia hæc largitur: spicam nardi, cassiam fistulam, sene, bolum Armeniacum, terram Lemniam, variasque herbas, quarum vires nobis nondum sunt exploratæ. Est & hic fructus quidam, qui quoniam vescentibus profundum somnum conciliat, ab Indis & Anglis, pomũ somniferum appellatur. Si quis ex hoc pomo vnicam guttam sumat, ea grauem saporem inducit, & vehementer purgat: sicut Anglus quidam, qui eius rei primus periculum fecit, expertus est. Vix aliquid ex eo sumserat, cùm gingiua eius graui dolore affecta est: quapropter illud exspuit: nihilominùs gutta in corpus ipsius lapsa est, ex qua totum triduum somno oppressus fuit: cumq; postea expergisceretur, sexagies aluum euacuauit. Bacca, quam Indi *Kellete* nominant, sanguinẽ sistit. Succus folij, quod Indis *Vppee* dicitur, præsens est remedium contra venenatas Indorum sagittas. Sed si omnia & singula describere vellem, multis chartæ voluminibus opus esset. *Gummi, quod ad medicinam adhibetur. Quam vim habeat gũmi Colliman. Baratta. Pomum somniferũ. Kelette.*

Non possum tamen hoc loco, silentio præterire arborem, cuius ope Indi pisces capiunt. Hæc arbor plerumque circum Indorum ædes crescit: qui quando piscari volunt, aliquot folia ex ea decerpunt, quæ lapidibus conterunt: & nudi in flumen aut ostium maris, quod ubique piscosum est, insilentes, manus iis perfricant, eaque postea in aquam coniiciunt: qua ex re pisces ita obtorpescunt, vt adnatantes manibus se capi patiantur. Hac ratione Indi breui tempore & nullo negotio naues suas piscibus complere possunt. Insuper hoc loco multi lapides, qui ad varia conducunt, inueniuntur: inprimis porphyrites, iaspis, lapis renum. Radicis Nicotianæ tanta est copia, vt anno 1610. eius magna vis, pro sexies mille libris Anglicanis, hinc in Angliam inuecta sit. *Folia arborum quæ pisces obstupefaciunt. Lapides. Radix Nicotianæ.*

De auro & argento nondum constat, quatenus eius hæc regio sit ferax. Harcurtius tamen narrat, Indum sibi frustum metalli donasse, cuius tertia pars aurum fuerit. Eiusdem fragmentum ab alio accepit. Quidam bracteam ex huiusmodi metallo, aquilæ formâ effigiatam, pro securi dedit. Vtique vulgò aiunt, regionem hanc auro abundare. Idem Harcurtius prope quandam rupem multum scoriæ reperit: sed nec tempus nec adminicula habuit vlterius perscrutandi: nihilominus spes est, auri & argenti fodinas non defuturas. *Spes auri & argenti.*

Magnanimus iste vir, Harcurtius, in explorando flumine *Marawine* multum operæ & laboris impendit. Illic fruticem seu arundinem inuenit, quæ præter animam vegetantem, etiam sentienti prædita erat. Nam quando Harcurtius folium eius digito attingebat, retrocedebat, & se conuoluebant, caput inclinans, quasi mortuum esset. Si quis folium vnum amputet, reliqua omnia exarescunt: quæ tamen spatio quadrantis horæ reuiroscunt, & quodammodo reuirescunt. Id autem sæpius accidit: quod argumento est, hunc fructum sentire. Testatur hoc Harcurtius in sua narratione de regionis Guianæ natura & proprietatibus, quam Serenissimo Principi Angliæ exhibuit: vbi addit, se hoc ipsum quadraginta aliis Anglis, quorum multi adhuc in viuis sint, ostẽdisse: qui id suis oculis viderint. Quin etiam se duas istius fruticis plantas secum in nauim assumsisse ait, vt eas in Angliam perferret: sed eas ab animalibus quibusdam, quæ in naui habebat, fuisse corrosas & enectas. Qui verò ipsi fidem non habet, legat ea de re Scaligerũ lib. 181. Exercitat. sect. 28. nec non in Bartasio primum diem secundæ hebdomadis. Nam ambo hi præclari auctors fruticis istius meminerunt. *Frutex animam habẽs sentientem.*


Gigantes. Ad hunc fluuium *Marawin*, supra *Taupuramnenses*, magna vrbs Indorum condita est, quæ *Moreshego* appellatur: varij item & potentes populi, qui, vt Harcurtius refert, staturâ omnes alios Guianæ incolas superant, & prout sunt supra modum proceri, grandes quoq; arcus & sagittas gestant: atque, vt Indi narrant, quater sunt cæteris Incolis maiores. Aures suas, genas, nasum & inferius mentum magno hiatu perforant, quibus deinde omnis generis quisquilias, bullas, apinas & puerilia oblectamenta appendunt. Aures plus quàm asininas habent, quæ vltra axillas ipsis dependent. Ad fontem fluuij *VViapaco* gens habitat, *Marashevvaccas* dicta, quæ immanes & supra fidem longas aures habet. Ibidem grande idolum lapideum inuenitur, quod tanquam Deum colunt & adorant. In eius honorem domum exstruxerunt. Hoc idolum, ad hominis similitudinem effictū, calcaneo pedum suorum insidet, cubito genibus innititur, manus supra caput eleuat cultu in cælum conuerso. Quare hoc idolum ita formatum, & huiusmodi gestus ei attributus sit, ipsimet Indi ignorant.

Indorum lõga aures. Idolum eorundem.

In confinio huius gentis altus & vastus mons iacet, *Gomeribo* dictus, quem fertilissimus tractus, in quo magna radicis Nicotianæ, tritici & vini copia crescit, ambit. Huius loci possessionem Harcurtius nomine Regis Angliæ coram multis Anglis nobilibus, cum consensu Indorum, occupauit: cui etiam Guianam antea asseruerat. Harcurtij verò frater, postquam fluuium *Arrawary*, cum multis aliis prouinciis, ad fluuium Amazonum sitis, diligenter explorasset, possessionem istius loci cum gleba & viridi fronde, pro veteri consuetudine, eidem Regi vindicauit.

CAPVT QVINTVM.

Descriptio fluuii Amazonum, quem Guilhelmus Dauies, Anglus, exploratum iuit.



FLuuius Amazonum sub linea Æquinoctiali in superiori parte Indiæ, quæ versus occidentem sita est, labitur. Nautæ hoc obseruarunt, quadraginta milliarum longitudine, ad littus aquam sex, septem & octo pedes profundam inueniri: postea aquam, quoad colorem, rubescere: quoad saporem, dulcescere: quod indicium qui probè animaduertit, facilius in eo progredi potest. Ad ostium fluminis aqua est profundissima. Ibi arbores conspiciuntur: nam terra admodùm humilis est, nec tribus pedibus altiùs supra aquā extat. Quando autem mare cursu suo consueto se effundit, terra vltra centum milliaria aquis obruitur. Ad hunc fluuium decem hebdomadas sum commoratus, vt incolarum mores habitusq; nec non regionis ingenium ac naturam tantò meliùs cognoscerem.

Varia animalia. Hæc regio siluis abundat, in quibus varij generis feræ, vrsi, leones, lupi, leopardi, sciuri, mirabiles apri, simiæ, cercopitheci, multaq; alia animalia, quorum nomina mihi partim adhuc ignota sunt, partim non occurrunt. In iisdem siluis sunt omnis generis volucres: psittacorum maior est numerus, quàm columbarum in Europa: suntq; illi, vt expertus sum, edules, & grati saporis. Habet eadem regio multa præclara flumina, quorum vnicuiq; peculiaris rex imperat. Est & illa tempestatibus, tonitru grandini, & pluuiis valdè obnoxia: nam sæpe sedecim, octodecim & viginti quatuor horis continuis pluit. Præterea sunt in ea plurimi lacus, in quibus Guianenses aligatores, hydri, & omnis generis pisces reperiuntur. Hic etiam paruæ muscæ circumuolitant, *Muskitæ* dictæ, quæ eos, qui piscatum eunt, valdè infestant.

Pluuiæ frequentes & diuturnæ.

Incolæ nudi incedunt. Incolæ, tam viri quàm mulieres, prorsus nudi incedunt, nec vllum corporis membrum tegunt. Viri calamum vnius pollicis crassitie, & duorum longitudine accipiunt, cui præputium suorum pudendorum inserunt, eumq; filo, ex arborum corticibus facto, alligant: quod filum postea per medium corpus circumducunt, & nectunt. Si vrina sit reddenda, filum illud soluunt. Vtraq; aure calamum ex cygneis pennis confectum gerunt, qui longitudine medium hominis digitum æquat. Talem quoq; in inferiori mento gestant. In narium intersepto filum habent, ad quod fibula, coraliū, aut simile quid annexū est. Illud supra os propēdet, & quando loquuntur, huc illuc agitatur. Eo se maximè ostentant, ac sibi placent. Crines in orbem sibi tonderi curant, vt coronam clericalem repræsentent: iidem ab vtroq; latere supra aures ipsorum dependent. Hic est præcipuus virorum ornatus. Mulieres ornatum negligunt: comam promissam, & in tergum effusam alunt: vbera habent trans vmbilicum propendentia. Viri & mulieres rubrâ quâdam terrâ se vngunt & illinunt, ne à muscis illis mordacibus pungantur.

Vbera mulierum trās vmbilicum propendentia.

Barbari hoc loco sunt ingeniosi, astuti, perfidi, & in sagittis mittendis tam agiles & exercitati, vt similes nunquam viderim. In victu quadrupedibus, quas mactant, auibus & piscibus vtuntur. Arcus ipsorum duarum circiter vlnarum, sagittæ septem pedum longitudinem habent.

Arcus

Arcus ex ligno Brasiliensi pulchrè & affabrè confectus est: sagittæ, ex arundine: neruus, ex cortice arboris: aculeus sagittæ ex osse piscis. Quando venantur, stant sub arbore in vmbra, & feram obuiam sagittâ feriunt: quam postea ex cruoris indicio tamdiu persequuntur, donec eam comprehendant. Auem vel minimam ictu sagittæ ex arbore decutiunt. Sic etiam ad littus maris consistunt, & pisces sagittis petunt. Simulac piscis percussus est, sagittam in aquis sequuntur, eamq; cum pisce extrahunt. Quando hoc modo victum quærunt, quinquaginta aut sexaginta ex ipsis se coniungunt: & vbi aliquid nacti sunt, duas arboris frondes sumunt, quarum vehementi attritu ignem eliciunt: mox rogum instruunt, ad quem vnusquisque cibum suum apparat, & carnibus coctis sine sale & pane, cuius illi prorsus sunt ignari, vescitur, nullo alio potu adhibito, quàm aquæ & radicis Nicotianæ. Gallinarum maximus apud ipsos est numerus: earum vnam re quadam nihil ab ipsis redemi, quam quatuor florenis aureis vendere noluerant. Hîc quoque fructus eximij reperiuntur: nempe *platinæ, gnouæ, potatoæ*: quorum quantum collo gestare poteram, vili munere, nempe testâ vitreâ, consequutus sum. **Indorum cibus.**

Si de lectis barbarorum quæris, hoc breuiter habe. Rete, ex cortice quodam confectum, *Hamac* ipsis dictum, quod tres passus longum, & duos latum est, arbori vtrâque orâ ita alligant, vt sesquiulnam supra terram extet. In eo securè cubant & dormiunt. **Lecti barbarorum.**

Rex vniuscuiusque fluminis, in quod dominatur, ab homine plebeio hac ratione discernitur, quod caput ipsius diademate ex versi coloribus psittaci pennis contexto redimitum, medium autem corpus torque ex dentibus & vngulis leoninis composito circumdatum est: manu autem ligneam machæram gerit. Hæc sunt regiæ Maiestatis apud hoc barbaros insignia. Reges in nauiculis dimicant, & victor captiuum deuorat. Nauiculæ ipsorum ex arbore excauata sunt fabrefactæ. Atque hæc ferè sunt, quæ decem hebdomadum spatio, quibus inter barbaros istos sum conuersatus, obseruaui, quæque notatu digna esse putaui. In reditu aliam viam sequutus sum. In priori enim violentis ventorum flatibus agitatus fueram. **Regium diadema.** **Victores captiuos suos diuorant.**



SEXTA



SEXTA SECTIO,

De Terra Australi incognita.

Petrus Ferdinandus de Quiros, Lusitanus, peritißimus nauarchus, ex Peru cum duabus nauibus ad Insulas Salomonis nauigauit: cumq; ag fretum Magellanicum peruenisset, continentem explorauit, vbi ad Octoginta milliaria littus legit, donec 15. grad. à linea Æquinoctiali versus Austrum attigit: vbi regionem inuenit non modò peramænam & iucundam, sed etiam gemmarum, auri, argenti & omnis generis præstantium atq; vtilium frugum feracißimam: prout ex ipsius relatione pluribus intelligemus. Quapropter domum reuersus, instantißimè petiit & vrsit, vt Rex Hispaniæ colonos eò mitteret, qui regionem illam habitarent & excolerent: ex cuius supplici libello, quem Regi obtulit, hæc, quæ sequuntur, excerpsimus.

CAPVT PRIMVM.

De magnitudine regionis, incolarum moribus, gestibus, ingenio, proprietatibus & armis: nec non de regionis eiusdem fertilitate.

Regionis magnitudo.



Agnitudo harum regionum recéns inuentarum, quantum ex eo, quod meis oculis vidi, & Ludouicus Pazius Torresius, classis meæ præfectus, ad Tuam Maiestatem, Rex serenissime, retulit, coniicere licet, tanta est, vt longitudine totam Europam & Asiam minorem, vsque ad mare Caspium, æquet. Hæc terra Australis, quæ vulgò incognita dicitur, est quinta pars globi terrestris, & tam latè patet, vt verisimile est, quòd duplo plura regna & dominia contineat, quàm Tua Maiestas nunc possidet. Eadem nec Turcas, nec Mauros, nec quamcunque aliam gentem, à qua bellum aliquod metuendum sit, vicinos habet. Regiones, quas nos perlustrauimus, sunt omnes intra Zonam Torridam: quædam vsque ad circulum Æquinoctialem pertingunt, qui 90. gradibus supra ipsorum horizontem est eleuatus: minùs tamen in quibusdam locis: & si euentus exspectationi respondeat, antipodes in illis reperientur, melioribus partibus Affricæ, toti Europæ, & optimæ parti Asiæ oppositi. Sed notandum est, quòd quemadmodum terra, quam nos explorauimus, sub 15. grad. latitud. præstantior est Hispaniâ: ita reliquas oppositas secundùm proportionem & analogiam paradisum quendam terrestrem esse oporteat.

Habitus incolarum. Totus iste tractus innumerabili hominum multitudine repletus est, quorum alij sunt candidi, alij fusci, iis similes, quos *Mulatos* seu *Semi-Mauros* appellamus: alij sunt coloris mixti. Multi habent crines nigros, promissos, sparsos: alij crispatos & densos: nonnulli aureos & lucentes. Quæ diuersitas certum indicium est, magnam inter ipsos esse consuetudinem & frequentia commercia. Hæc ratio, præter soli fertilitatem aliasque circumstantias, & quòd nullis tormentis ac scloppetis vtantur, nec in fodinis occupentur, in hanc sententiam me inducit, vt existimem, omnes istas regiones magna populi multitudine abundare. Omnium artium ignari esse videntur: mœnibus & munitionibus carent: sine rege ac lege viuunt. Simplices sunt homines, diuisi in factiones, & nunquam concordes. Arma quibus vtuntur, sunt arcus & sagittæ, quæ non sunt venenatæ, nec succo herbarum tinctæ, vt in multis aliis locis: item clauæ, scipiones, hastæ, iacula: atque hæc omnia ex ligno. A zona vsque ad medium femur se tegunt, cætera nudi. Mundiciei sunt studiosi, faciles, hilares, & admodùm grati erga eos, à quibus aliquod beneficium acceperunt, quemadmodùm sæpè expertus sum: quod mihi spem facit, fore, vt si benignè & amicè cum iis agatur, dociles & tractabiles se præbeant.

Domus eorundem. Domus ipsorum sunt ligneæ, foliis palmarum obtectæ. Ollas habent fictiles: textrinam exercent: scita quædam opuscula faciunt: marmora expoliunt: fistulas & tympana habent: cochlearibus

tribus ligneis vtuntur. Sunt ipsis oratoria, precibus dedicata, & cęmiteria: nec non horti, areolis eleganter distincti & exculti. Margaritæ & conchæ margaritiferæ magnum ipsis vsum præbent. Ex iis cuneos, forcipes, serras, vomeres & alia similia instrumenta conficiunt. Margaritas quoque col ligunt, quas collo appendunt. Qui in insulis degunt, nauiculas habent affabrè factas, & ad transuectionem aptas: quod indicio est, gentes quasdam politiores ipsis vicinas esse. Gallos gallinaceos more nostro castrant, & verres exsecant. *Oratoria & cœmiteria.*

Panem ex tribus radicum generibus, quæ illic magnâ copiâ nascuntur, nullo negotio conficiunt. Nam radices illas tantummodò percoquunt & torrent, quæ alimentum grati saporis, salubre, & magni nutrimenti præbent. Radices illæ sunt oblongæ, & reperiuntur nonnullæ, quæ vlnam longitudine æquent, & dimidiam vlnam crassæ sint. Optimi illic fructus & magnâ copiâ nascuntur. Sex inueniuntur genera platani, quatuor amygdalorum, & aliæ arbores, quas *Obios* appellant, fructu & magnitudine malis nostris cydoniis similes. Plurimas habent nuces, malos citrias, plurimisq; fructibus grandibus & eximiis, quos vidimus & gustauimus, affluunt. Multas etiam & magnas saccari cannas habent: nec pomis, qualia apud nos nascuntur, destituuntur. Eadem regio palmas innumeras fert, quæ succum reddunt, ex quo vinum, acetum & mel conficitur: suntq; nuclei earum prædulces. Habent præterea genus nucum, quas *Cocos* appellant, quæ cum sunt virides, funiculorum vsum præbent, & medulla similis est cremori lactis: quando maturuerunt, victum & potum suppeditant: quando flaccescunt & decidunt, oleū emittunt, quod lucernis ad lumen dandum infunditur, & vulneribus sanandis, balsami instar, aptum est, nec non ad cibos adhibetur. Quando fructus adhuc tener est, ex putaminibus lagunculæ & alia similia vasa conficiuntur. Ex interiori cortice stupa seu muscus sumitur ad rimas nauium stipandas & picādas. Funes quoq; & rudentes inde conficiuntur, quibus tormenta etiam trahi possent. Inprimis foliorum palmarum magnus vsus est, ex quibus contextis vela pro nauigiolis, & tenues storeæ cōficiuntur. Præterea in ædibus tegularum extrinsecus, & peripetasmatum intrinsecus vicem prę-stant. Ex truncis oblongis & erectis tigna & trabes ad exstruendas ædes, item hastilia & alia armorum genera, nec non remi & omnis generis suppellex domestica fabricantur. Insuper hæ palmæ vitium loco sunt, ex quibus toto anno vinum, sine labore & sumptu, quàm promptissimè hauritur. Inter herbas & fructus hortenses, cucurbitas, & betam maiorem ac minorem, aliasque herbas iurulentas, nec non fabas vidimus. *Panis & cibus.* *Vsus nucū quas Cocos vocant.* *Palmæ loco vitium.*


Quod ad carnes attinet, porcis qui nostris similes sunt, gallinis, capis, perdicibus, anseribus, turturibus, columbis, palumbibus & capris abundant. Boues quoq; & vaccas se habere Indi nobis dixerunt. Varia ibidem piscium genera capiuntur, hargi, persergi, lizæ, soles, trutæ, alosæ, macabisę, casanę, pampani, trichiæ, raiæ, cuculi, citeruiæ, anguillæ, porci marini, erythrini, masculi, cochleæ, & plurimi alii, quorum nomina mihi exciderunt. Sed nō dubium est, multos quoque alios esse, quandoquidem eorum tantùm mentionem feci, quos apud naues nostras cepimus. Quę omnia si attentè considerentur, ex tanta rerum omnium copia satis apparebit, illic suppetere, vnde delicatè atq; opiparè viuere liceat. Ibidem panis saccharites & quæuis fulgama confici possunt, vt non necesse sit vlla aromata aliunde aduehere. Nautę prętér ea, quę modo dicta sunt, pernas, acetum & varia condimenta hic inuenient. Notandum autem est, multa eorum, quę iam commemorauimus, similia esse iis, quæ in his regionibus habentur, & fortè maiori copiâ illic reperiuntur. Atque hinc facilè colligi potest, terram illam aptam esse producendis rebus omnibus, quas Europa gignit. *Magna carnium copia.*

Opes, quas illic vidi, sunt argentum & margarita. Classis meę præfectus, à me ad hanc terrā explorandam emissus, se aurū quoq; vidisse affirmat. Pręterea ambo illic vidim⁹ naues myristicas, mastichen, zingiber, piper & cinnamomum. Caryophilla quoq; illic reperiri probabile est, siquidē tot alia aromata inueniuntur, & hę regiones proximę sunt parallelo insularum Moluccarū, Ternatę & Bacchianę. Nec deest materia conficiendarū vestiū sericarū. Vidimus quoq; anisum nec non ebenum pręstantissimum, & alia ligna ad naues construendas. Ad vela & funes nauticos triplex illis materia suppetit, quarum vna non dissimilis est nostrę cannabi. Ex oleo, quod ex nucibus, quas *Cocos* appellant, stillare dixi, bituminis quoddam genus parant, quod *Galagalan* vocant, & quo piscis loco vtuntur. Habent etiam genus quoddam resinę, quo naues suas, quas *Piraquas* vocant, illinunt. Quoniam verę capræ & vaccæ illic reperiuntur, procul dubio, præter carnes, corium & sebum illis non deest. Apes, quas vidimus, fidem faciunt, mel & ceram ibidem inueniri: nec dubium est, multa alia, quæ nondum sunt cognita, illic esse: vt de forma & situ regionis nihil dicam. Ad hæc omnia si adiiciantur, quæ industria humana potest producere, cum tam multa tellus sponte proferat, & optima quæq; atq; vtilissima ex his regionibus & Peruana prouincia ac noua Hispania in eam inferri possint, illa regio vsq; adeò locupletabitur, vt non tantùm incolis & Americanis omnia ad hanc vitam necessaria largè sit suppeditatura, sed etam Hispaniam opibus cumulatura, & mirū in modū amplificatura: quemadmodum paratus sum ostendere, si quis sit, qui manū mihi porrigat, vt hoc opus ad exitū perducere possim. *Regio hæc auri, argenti & margaritarum ferax est.* *Aromatū copia.*

Quod autem nos, qui non penitius regionem illam penetrauimus, in ora & littore conspeximus, illud certo argumento est, ex eius possessione tot diuitias, commoda & emolumenta sperari posse, quot ex his locis percipimus. Præterea sciendum est, meum scopum saltem fuisse regionem illam, quæ amplissima est, aperire, & obiter lustrare: vt nihil dicam de morbis, quibus conflictatus sum, & aliis obstaculis, quæ me impediuerunt, quo minùs omnia, quæ volebam, cognoscerem: neque integer mensis suffecisset ad meum desiderium explendum. Cæterùm ex ingeniis hominum, qui in his regionibus degunt, non est coniectura facienda de Indis, qui illic habitant. Nostri homines variis cupiditatibus agitantur, multis necessitatibus premuntur, his & illis rebus delectantur, quas magni æstimant. Incolæ autem illarum regionum sunt homines simplices, paucis contenti, qui id operam dant, vt molliter vitam transigant, & quàm minimâ curâ & labore se fatigent, nec magni faciunt ea, quorum caussâ nos tantopere affligimus.

CAPVT SECVNDVM.

Quo sinus portus, insulæ & alia ad regionis descriptionem pertinentia Lectori ob oculos ponuntur.



Regionis conditio. Porrò tot illic commoda pro vsibus vitæ humanæ, tot deliciæ reperiuntur, quot à terra exculta, amæna & temperata exspectari possunt. Solum est pingue & fertile: argilla multis locis reperitur, ex qua confestim ædes exstrui, lateres & tegulæ aliaque similia excoqui possunt. Marmor quoque & ali lapides effodiuntur, vnde palatia & magnificas ædes condere licet. Ligni & materiæ ad quæuis opera à(statim est. Terra alibi in planitiem effusè porrigitur, alibi in collem assurgit: campi variis fluminibus irrigantur. Rupes illic excelsæ, multi torrentes & aluei, parui & magni fluuii, ad quos molæ exstrui possunt, quibus frumentum, saccarum & pannus tundantur: vt de fabricis ferreis & aliis machinis, quæ ad aquas erigi solent, nihil dicam. Ibidem salinæ inueniuntur: quod est indicium fertilitatis soli. Multis locis arundines prouenìunt, quarum nonnullæ quinque vel sex palmas crassæ sunt: quibus fructus proportione respondet. Summitas fructuum est tenuis & dura, cortex dulcis. Pyritæ, qui illic reperiuntur, nihil cedunt iis, quos Mantua Carpetanorum suppeditat. *Sinus S. Iacobi & Philippi.* Sinus S. Iacobi & S. Philippi viginti milliaria patet, & limo caret: facilis est in vtrumque die ac noctu ingressus: multa ædificia hunc & illum ambiunt, ex quibus interdiu fumus; noctu ardentibus lucernis, ignis conspicitur. *Portus Vera Crux.* Portus, qui Vera Crux appellatur, est mille nauium capax: fundum, vt dixi, minimè limosum, sed arenosum, nigri coloris. Nulla in eo vorago vnquam reperta: anchora, quacunque lubet, tutò iacitur, â quadraginta cubitis vsque ad dimidium, inter ostia duorum fluminum, quorum vnum non minus est Tarteso Hispaniæ, habetque limum sex pedes profundum: quod nostri lembi & scaphæ transmittebant. Quod ad alterum flumen attinet, quando nostri lembi ad hauriendam aquam illud subibant, tutò intrabant, & statim in introitu limpidam aquam inueniebant. Locus, in quo naues exonerantur, ad tria circiter milliaria glaream habet, paruis silicibus nigricantibus & ponderosis obtectum, quæ ad naues onerandas aptæ sunt. Ripa est recta & æquabilis, in qua herbæ prorsus virides conspiciuntur: vnde coniicere licet, mare illam non inundare: & cùm arbores sint erectæ atque integræ, istud indicium est, nullas illic tempestates exoriri. *Portus amænitas.* Prǽter eas quas modo dixi, portus istius commoditates, hæc cumprimis grata & iucunda est, quod sub diluculum ex vicina silua suauissimus concentus innumerarum auicularum omnis generis auditur: inter quas luscíniam, merulam, coturnicem, carduelem, hirundinem, perequirium, & psittacum, quem obseruauimus, multasque alias, vnâ cum cicadis & gryllis, intelleximus. Manè & vesperi suauissimum odorem ex magna diuersorum florum & herbarum copia, in quibus florem citri & basilicum notauimus, hausimus Hæc omnia & multa alia nobis persuadebant, aërem esse saluberrimum & temperatissimum. Hic portus & hic sinus ex eo magis etiamnum commendatur, quod vicinus est tot pulchris insulis, inprimis septem illis, quæ ducenta milliaria in circuitum patere dicuntur. Ac sanè vna ex illis, quæ duodecim ferè milliaribus à portu distat, quinquaginta milliaria in circuitu complectitur, in hoc portu & sinu, qui habet eleuationem Australem 15. grad. 40. minut. amplissimam & pulcherrimam vrbem sine more condere licet: & qui in ea habitabunt, omnibus, quas expetere poterunt, diuitiis & commoditatibus fruentur.

Magnæ commoditates pro Rege Hispaniæ. Tempus docebit quãtas hic locus habiturus sit oportunitates, ad quẽ naues ex Chilo Peruuia, Pauania, Micaraqua, Gattimala, Noua Hispania, Moluccis, & Philippinis, quæ omnes regiones tuo imperio subsunt, appellere, & suas merces exonerare poterunt. His regionib' si eas, quarũ supra mentionẽ feci, adiũgas, tuoq; imperio subiicias, tanti illas facio, vt existimẽ eas nõ solùm fore clauem omnium aliarũ, sed etiam instar regni Chinæ aut Iapponiæ: & omnes opulentas insulas,

quæ

quæ sunt ad illam oram Asiæ, raris & preciosis mercibus allectas, illic negotiaturas: vt nihil dicā de amplitudine tui imperii, quod possessione tantæ regionis mirum in modum se diffundet ac stabilietur: Quod dico, parum est præ eo, quod priuatim de illa regione sentio, & quod coram Mathematicis paratus sum ostendere. Istud quoque nunc taceo, quod illæ regiones primo statim aduentu viginti millia Hispanorum alere possunt. Denique, Rex serenissime, orbem terrarum tibi propono, cuius centrum est Hispania: tu ex vngue, si placet, leonem cognosce.

De salubritate & temperamento aëris ex iis, quæ iam dixi, iudicium facere potes: cuius hoc quoque non leue erit testimonium, quod licet omnes, qui mecum veherentur, essent peregrini, tamen nullus ex ipsis illic ægrotauit, etiamsi assiduè opus facerent, & sæpè sudarent aut madefierent, ac ieiuni aquam biberent, omnibusq;, quæ terra illa profert, vescerentur, neq; à cælo aperto, Luna aut Sole, qui illic non supra modum feruidus est, sibi cauerent, nisi quòd media nocte stragulo laneo, in quo cubabant, se tegerent. Et quoniam incolæ regionis sunt admodùm firmæ valetudinis, & quidam ex ipsis prouectæ ætatis, tametsi humi cubent, hoc argumentum est bonitatis ac salubritatis soli. Nam si vitiosus aliquis humor ei inesset, domus suas altius supra terram eleuarent, sicut faciunt Indi in insulis Philippinis, & aliis regionibus, quas perlustraui. Carnes quoque & pisces, licet sale non condiantur, biduum absq; corruptione seruantur. Sic & fructus, qui inde afferuntur, sunt saluberrimi: vt apparet ex duobus, quos attuli, tametsi nondum essent maturi, cùm illos decerpsi. Nullas illic vidimus terras arenosas, nullos carduos, nullas arbores spinosas, quarum radices essent detectæ, nullas paludes, nullas niues in montibus, nullos colubros aut serpentes, nullos crocodilos in fluminibus, nullas formicas, quæ in nostris regionibus tantopere fructibus nocent, & nobis in nostris ædibus tam molestæ sunt; nullos pulices, nullas erucas aut culices. Hęc longè maxima est pręrogatiua, quâ terra ista multis Indię regionibus pręferri meretur, quæ propter huiusmodi incommoda desertæ sunt, aut incolis tædium afferunt, vt ipse expertus sum. *Incolæ huius regionis.*

Hæc est illarum regionum, quas exploraui, præstantia: quarum possessionem tuo nomine & sub vexillo regio iam occupaui: quemadmodum apparet ex commentariis, quos penes me habeo: qua in re his cæremoniis vsus sum. Primùm ereximus crucem, & templum in honorem B. Virginis Lauretanæ exstruximus, in quo viginti Missæ celebratæ fuerunt. Nostri accurrebant, vt veniam delictorum impetrarent: supplicationes solennes instituimus: festum S. Sacramenti celebrauimus, quod longo circuitu, præcedente tuo vexillo, circumtulimus. Tua insignia tribus locis fiximus, in quorum singulis duas columnas ereximus, cum tuo symbolo, *Plus vltra*, quod hîc maximè conuenit. Hæc omnia feci, tanquam fidelissimus tuus subditus, vt Terræ Australis incognitæ nomen atque insignia cæteris titulis & imaginibus gentilitiis, quas geris, adiicere possis. *Possessio illius nomine Regis Hispaniæ occupata.*

CAPVT TERTIVM.

Sylloge quarundam rerum memorabilium ex postremo libello supplicii Ferdinandi Quirii ad Regem Hispaniæ.

PRæter insulas superiori capite commemoratas, sedecim alias inuenit & explorauit Ferdinandus Quirius, quibus hæc omnia imposuit: *Incarnatio*, *S. Ioannes Baptista*, *S. Guilelmus*, *Quatuor coronati*, *S. Michael Archangelus*, *Conuersio S. Pauli*, *Decima*, *Protectrix. Fugitiua*, *B. Virgo*, *De subsidio*, *Mouterrey*, *Tucopia*, *S. Marcus*, *Virga*, *Lachrymæ S. Petri*, *Porti Belen*, *El Pilat*, *De Saragossa*, *S. Raymundus*, *Insula Virginis Mariæ*, cum tribus aliis prouinciis, quas *Australia de Spiritu Sancto* appellauit. In his tribus postremis supradictus sinus & portus situs est. *Viginti tres insulæ.*

In quadam insula, *Taumaco* dicta, quæ mille ducentis & quinquaginta milliaribus ab vrbe Mexico distat, decem dies commorati sunt, vbi dominus & rex istius insulæ, cui nomen *Tamay* ad ipsos venit. Hic rex erat homo ingeniosus & astutus, corpore procero ac valido, colore subfusco, oculis nitentibus, naso aquilino, barbâ & comâ crispâ, vir denique spectabilis & ciuilis. Is cū uis penuriæ, quâ tunc Hispani laborabant, subuenit, & Ferdinandum archithalassum in ipsius naui adiit, cum quo per signa sermonem habuit. Archithalassus eum humaniter & benignè excepit, nauim suam cum omnibus armamentis ei ostendit, quæsiuitq;, an vnquam tale quid vidisset. Ad quod ille nutu ac gestu significauit, sibi nunquam eiusmodi nauem fuisse visam. Tum Archithalassus eum interrogauit, an aliæ præterea regiones huic insulæ, siue in vicinia, siue procul adiacerent, & an illæ incolis frequentes essent: cui ille respondit, plures quàm sexaginta insulas, cum amplissima regione quæ *Manicolo* appelletur, superesse. Inter colloquendū Secretarius *Descriptio insulæ Taumaco.* *Sexaginta insulæ cum ampla regione Manicolo.*

ex mandato Archithalaſſi omnia diligenter annotauit, vt ea tantò melius explorarentur & perluſtrarentur, periculo facto, an ea ita ſe haberent, quemadmodum Rex indicarat: ex quo ampliùs quæſitum fuit, verſus quam mundi partem hæ inſulæ atque illa regio ſitæ eſſent. Rex verò digitis innuit, quaſdam verſus Ortum, Meridiem & Septentrionem ſitas eſſe: adhæc digitis ſuis maiores & minores circulos duxit, quibus inſularum illarum magnitudinem ſignificauit: pro regionis autem cuiusque magnitudine brachia extendit. Vt autem diſtantiam earum indicaret, manus ſuas modò verſus Occidentem, modò verſus Orientem extulit. Cùm notum facere vellet, quot dierum itinere eò perueniri poſſet, caput in brachium recondidit: quo noctem denotauit: tum digitis numerauit, quoties in iſto itinere quietem capere oporteret. Inſuper aliis ſignis declarauit, quinam candidi aut nigri, quinam ſui amici aut hoſtes eſſent. Brachium quoque ſuum admordit, vt *Cannibales* ſeu barbaros, qui humanis carnibus veſcuntur, ſignificaret, ac ſimul indicium faceret, ſe illis infenſum eſſe. Hæc ſigna Archithalaſſus eum toties repetere iuſſit, vt tandem defatigaretur. Poſtea manu verſus Auſtrum eleuatâ, loca, quibus ipſe imperaret, deſignauit. Tandem feſſus, veniam abeundi petiit, quem Archithalaſſus magnis & eximiis muneribus ornatum dimiſit.

Cannibales.

Poſtero die Archithalaſſus eò profectus eſt, & omnia ita ſe habere comperit, quemadmodùm Rex *Tamay* ipſi ſignificârat. In regione *Manicolo* boues & bubalos, canes latrantes, gallos canētes, porcos, & id genus animalia, nec non margaritas & alia reperit. Cùm Archithalaſſus inde diſcedere vellet, quatuor Indos, præ cæteris formoſos, ſecum abduxit: quorum tres clanculum natando euaſerunt. Quartum autem, cui Petri nomen inditum fuit, diligenter de variis locis atque hominibus percontatus eſt, à quo hæc, quæ ſequuntur, reſciuit.

Quatuor Indi abducti.

Inſula Chicajana.

Ante omnia narrauit, ſe gente & origine Indum eſſe, in inſula *Chicajana*, quæ *Taumaco* maior eſſet, & quatuor dierum itinere per mare inde diſtaret, natū. Huius inſulæ, aiebat ille, ſolum eſt fertiliſſimum, frumenti & optimorum fructuum feraciſſimum. Quod ad incolas attinet, ſunt illi fuſco colore, & crines promiſſos ac tortos alunt: quanquam & alii colore candidi, & crine rufi ac criſpi inueniuntur: inter quos nonnulli ſunt magnitudine gigantibus æquales. Porrò ſe ſimul textorem & ſagittarium eſſe dicebat: multas & varias hoc loco conchas reperiri, quas *Toro* nominerit, margaritis, quæ ſint diuerſæ magnitudinis, refertas: quaſdam enim arenæ inſtar, alias lapillis, nonnullas granis, quas in lectorum fimbriis dependent, quaſdam globulis thoracum ſimiles eſſe. Eas ſe in aqua minus profunda capere: carnem, quam *Canoſe* nominent, comedere: ex teſtis patinas & cochlearia conficere: margaritarum minimas abiicere. Aliud præterea concharum genus eſſe retulit, quod *Taquila* appellent. Has prioribus multò maiores eſſe, in quibus etiam margaritæ magno numero inueniantur. Adhæc locum & omnes circumſtantias tam exactè ediſſeruit, vt quæ commemoraret, omninò veriſimilia eſſe viderentur. Quæ ſi ita ſe habent, vt minimè dubito, neceſſe eſt hanc inſulam margaritis affluere, atque ea in re multis aliis inſulis lōgè præferendam eſſe.

Margaritæ diuerſæ magnitudinis.

Inſuper narrauit, bidui itinere à ſua inſula *Chicayna* aliam iacere, *Guaytopo* dicta, ad quam facilis ſit per mare tranſitus In ea homines eſſe, albedine noſtratibus ſimiles: viros crine rufos, quoſdam nigros eſſe, omneſque rubro colore vſque ad vmbilicum pictos. Incolas eâdem cum iis, qui in inſula *Taucalo* ſint, & cum ſuis popularibus linguâ vti, & pacem atque amicitiam cum ipſis colere. Fœminas in hac inſula admodùm formoſas eſſe, & veſtem ſericam à capite vſque ad pedes demiſſam gerere.

Inſula Guaytopo. Incolæ huius inſulæ candidi, & mulieres formoſæ.

Alterius quoque inſulæ, cui *Tucopio* nomen, mentionem fecit. Hanc per mare quinq; dierum itinere à *Tamaco*, bidui autem à regione *Manicolo* abeſſe. Magnitudinem illius comparatione cum *Acapulco* & aliis quibuſdam maioribus inſulis adumbrauit, dixitque, inſulas fuſci coloris & breuis ſtaturæ eſſe, qui licet peculiari lingua vtantur, tamen amicitiâ cum ſuæ inſulæ incolis deuincti ſint, neq; eſſe *Canibales*, qui carnem humanā vorent. In hac inſula magnos ſcopulos & fluuios eſſe, qui non niſi nauibus tranſmitti poſſint. De huius inſulæ fertilitate multa narrauit: nam ſe in ea ſæpè fuiſſe aiebat. In eadem ſinum eſſe dixit, eo, qui à S Iacobo & Philippo denominatur, multo maiorem, in quem quatuor flumina influant: circumquaque magnam hominum multitudinē habitare. Littus hîc ſpatioſius eſſe, quàm in *Mexico* & *Acapulco*: fundum iſtius ſinus eſſe arenoſum. In inſula *Tucopio* omnis generis margaritas reperiri.

Regio Manicolo, & eius incola.

Inſula Foncſolo.

A *Taumaco* tridui, & ſi ventus ſit ſecundus, bidui itinere aditum ad inſulam *Foncſono* patere, quæ rurſus in alias minores inſulas diuidatur. Hanc inſulā incolis & fluminibus abundare. Incolas eſſe fuſcos, proceræ ſtaturæ, qui propriâ linguâ vtantur, nihilominùs pacificè cum ſuis vicinis viuant. In hac inſula magnam vim concharum, & in iis plurimas margaritas inueniri. Cùm in ea commoraretur, ſe huiuſmodi conchas collegiſſe, & in ſuum vſum conuertiſſe. Hoc loco in mari multas eſſe voragines, fundo carentes: non tamē omnes eiuſdem eſſe profunditatis. Iuxta hanc inſulam duas alias eſſe, quorum vnam *Pilen*, alteram *Pupam* nominent. Præter has, multas alias inſulas

sulas margaritiferas esse affirmauit, quarum nomina recensuit, in quibus conchæ, humili aqua, manibus capi & colligi possint. Nec pauca de amplissima regione *Pouro* retulit, quam tamen se vidisse negauit, sed multa de ea à perito nauclero se audivisse dixit, eam esse populosam, incolas fuscos, strenuos, pugnaces & contentiosos. Sagittam quoque, quali incolæ illius regionis vtantur, se vidisse narrabat, cuius aculeus argenteus fuerit, instar cultri acuminatus; quod non semel, sed aliquoties asseuerauit. *Pouro amplissima regio.*

Quòd hæc regio argenti sit feracissima, ex eo conijcere licuit, quòd ex sinu S. Iacobi & Philippi lapides oblati fuerint, in quibus argentum repertum est. Cùm ab hoc Indo quæreretur, an eadem in ipsius insula invenirentur, respondit, & hæc & multa alia singularia in ea reperiri, præter omnis generis fructus, quorum supra meminimus, cùm de Terra Australi à S. Spiritu nominata loqueremur. Quod ad tempestates anni attinet, aiebat, hyeme frigus non esse diuturnum. Porrò homicidas capitali supplicio affici, & suspendio puniri perhibebat. *Ea auri atq; argenti ferax est.*

Denique hoc addebat, Diabolum, quem *Terua* vocabat, secum & cum popularibus suis atque incolis regionis, invisibili formâ, colloqui: noctu dormientibus adstare: & si quis eum comprehendere velit, nihil præter aërem sese offerre: quod tremebundus & attonitus narrabat. Postquàm verò Christianam fidem amplexus est, ab istis Diaboli præstigiis liberatus fuit. Idem *Terua* seu Diabolus ipsis prædixit, fore, vt Hispani venirent, & vitæ atque opibus ipsorum insidiarentur. Hic Indus in Baptismo nominatus fuit Petrus & paullo pòst obiit. Magno desiderio tenebatur in patriam redeundi, vt amicos, cognatos & vicinos ad agnitionem veri Dei & fidem in Christum adduceret, ipsisque exponeret, quàm benignè & liberaliter ab Hispanis habitus fuisset. Sed morte præventus, voti sui compos non est factus, & anno 26. suæ ætatis in Mexico decessit. *Diabolus cum incolis loquitur.*

CAPVT QVARTVM.

Quid Ioannes de Onate in Nova Mexico explorauerit.

IOANNES DE ONATE, gente Hispanus, cum exercitu quinque millium hominum, in quo etiam mulieres ac pueri fuerunt, è veteri Mexico discessit, magno apparatu, nempe aliquot gregibus caprarum, ovium, boum, multoque commeatu, quantus ad alendam tantam hominum multitudinem requirebatur; nec minùs equis, armis & quæcunq; ad huiusmodi iter necessaria erant, instructus. Cùm quinque milliaria progressus esset, in varias gentes & populos, ac mirabiles barbarorum ædes incidit, à quibus sicut cum gaudio exceptus fuit, ita vicissim eos in fidem & clientelam Regis Hispaniarum accepit. In hoc itinere ad pagum, in rupe inaccessa situm, venit: vbi etiam omnem beneuolentiam est expertus. Nam qui in pago erant, non tantùm ea, quibus opus haberet, se promptè subministraturos promiserunt: sed etiam si aliquot dierum moram apud se facere vellet, comeatum abundantissimum ad longinquum, quod instituisset, iter obtulerunt. Postquàm igitur Ioannes de Onate aliquandiu apud ipsos substitisset, vt commeatum illum acciperet, constituto die nepotem suum cum aliquot militibus in pagum misit, & promissi eos admonit. Cùm nepos pagum ingressus esset, omnes ferè incolas in foro congregatos offendit. Eo autem cum quibusdam loquente, perfidi Indi impetu in ipsum & socios facto, sex eorum obtruncarunt: quamobrem reliqui fugam cum magno vitæ discrimine arripuerunt, & graviter fauciati ad suum ducem redierunt. In eo conflictu quidam etiam ex Indis ceciderunt. Quo cognito, Ioannes de Onate, nullâ interpositâ morâ, cum delecta manu pagum infestis armis petivit, & post obstinatum certamen expugnavit. Mox incolas omnes ferro trucidauit, & pagum incendio delevit, ne vlla perfidorum istorum memoria superesset. Nomen pagi fuit *Acoma*, in cuius obsidione nullus Hispanorum desideratus fuit. *Acoma obsessa & expugnata.*

Hoc insigni facinore perpetrato, perrexit, donec ad magnam vrbem peruenit, quã cum circumjacentibus pagis in Regis Hispaniarum potestatem redegit: quod tanto faciliùs perfecit, quoniam recens destructi pagi exemplum ipsis ob oculos versabatur.

Inde vlteriùs progressus, ad aliam vrbem admovit, quam certis conditionibus Regi suo subiecit. Continuato itinere quosdam ad *Boves Cibolenses* misit, quos iampridem Vasques de Coronado descripserat, nemo autem hactenus satis certò exploraverat. Illi armentum obvium circumdederunt, cum quo ipsis pugnandum fuit: neq; tamen victoriâ potiri potuerunt, propterea quòd boves illi celeritate cursus præstarent. Nihilominùs quosdam ex iis occiderunt, quorum carnes confertim in castra pertulerunt. Nec quisquam fuit, quin eorum descriptionem miraretur. Secundùm hæc deliberarunt, quo pacto ea, quæ occupaverant, conseruarent, memores istius versiculi: *Boves Cibolenses.*

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Itaq; pagum, quem S. Ioanni dedicarunt, exstruxerunt, & cũ incolis amicitiam, quàm arctissimè potuerunt, pepigerunt, ibiq; consederunt, inventis aliquot auri atq; argenti fodinis, & operã dederunt, vt incolas, auxiliante Deo, ab idololatria ad fidem Christianam converterent.

Tandem, exactis duobus annis, Ioannes de Onate quosdam ex suis illic reliquit, & cum cæteris versus Aquilonem contendit, vt celeberrimum fluvium, octo milliaria latum, exploraret & lustraret: quod etiam perfecit, ab incolis, quocunque veniret, humaniter exceptus. Nec multo pòst amplissimum lacum, *Conibas* dictum, de quo antehac multa litterarum monumentis tradita fuerunt, & in littore istius lacus sinum, qui septem milliaria in longitudinem & duo in latitudinem patet, vidit. Domus, ad illum sinum extructæ, artificiosè conditæ & à se invicem distinctæ, nec non multis arboribus & elegantibus hortis circumdatæ, tum sulcis aquariis aptè sejunctæ erant. Nullus tamen incolarum in conspectum eius venit. Quapropter Ioannes de Onate in loco munito se continuit, & quosdam milites speculandi caussâ in proximam vrbem misit, qui cùm per aliquot magnas & longas plateas transiissent, neminem mortalium viderunt: postremò longiùs provecti, in ampla & spatiosa area magnam ciuium multitudinem, vallo circumseptam, conspexerunt. Quapropter pedem retulerunt, & sociis suis significarunt, se ad pugnandum cum tanta multitudine impares esse: atque ita vrbis obsidionem in aliud tempus & meliorem opportunitatem distulerunt.

Lacus Conibas.

Insuper intelleximus, mandato & sumptibus Proregis in Nova Hispania, littora maris versus Austrum & promontorium Mendocinum explorata, & prope Californiam commodos & amplos portus, qui nobis hactenus incogniti fuerunt, repertos esse: vbi etiam suo tempore arces, castella & munitiones ad loci defensionem excitabuntur: sicut eas Hispani in tabulis chorographicis eleganter depinxerunt.



SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

De expugnatione vrbis S. Salvatoris in Brasilia.

Quandoquidem in hac decima tertia parte Americanæ historiæ, præcipuè autem in quinta Sectione, regionis Brasiliæ, & locorum, portuum, ac navalium, quæ in ea sunt, crebra mentio occurrit, celeberrimus autem in ea portus Omnium Sanctorum cum vrbe S. Salvatoris, anno 1624. ab Hollandis, sub imperio Archithalassi VVillekesii, occupatus, posteaq; à Lusitanis recuperatus fuit: ad complendam historiam, integram huius expeditionis narrationem, ephemeride accuratè descriptam, & ab eo, qui ei præsens interfuit, diligenter consignatam, vnà cum Relatione Hollandorum, & tabula cum numeris æri incisa, huic parti inserere volui, certa spe fretus, fore, vt Lector, historiæ studiosus, parem cum voluptate vtilitatem ex ea capiat. Ergo auctorem ipsum huius narrationis loquentem audiamus.



EGo Ioannes Georgius Aldenburgicus, cùm à iuventute meâ incredibili desiderio peregrinas oras peragrandi & perlustrandi, atq; in iis aliquid, quod mihi prodesset, discendi flagrassem, & certis de caussis ex inclyta Academia Ienensi in patriam reversus essem, anno 1623. mense Augusto, cupido me incessit, honestum meum propositum exequendi: atque in eum finem Coburgo per Thuringiam, periculosis admodùm temporibus, in inferiorem Saxoniam profectus, & Neostadii ad Visurgim aliquandiu commoratus sum. Interea cognoui, magnam classem Amstelrodami instrui, quæ in Indiam Occidentalem vela factura esset. Quapropter nihil cunctatus, simulac in Hollandiam saluus appuli, nomen meum vna cum multis aliis, claro & obscuro loco natis, inter eos, qui vnà navigaturi essent, professus sum.

Supremus classis præfectus erat Dominus à Dort: primarius centurio, Albertus Prætorius: Amstelrodamensibus Helmut, Ioannes Isenacensis, Burscho; Selandis Arnoldus Prætorius Bastefeldius, Burstellus; Frisiis Vogelsang & Ernestus Kiff præerant. Ex diuersorio Amstelrodamensi atque ex aliis provinciis & vrbibus omnes secundùm catalogum eorum, qui lustrati fuerant, phaselum ingredi iubebantur. Ante Amstelrodamum biduum in æstu maris hæsimus: tertiâ die, sublatis anchoris, Texellam petivimus, vbi complures vidimus phocas. In itinere vehemens procella nobis incubuit: & jam in eo eramus, vt rudentes propter agitationem, quam anchoræ non sistebant, discinderemus. Postridie, refluente mari, ad nostras naves cursum direximus, in quas postea distributi fuimus. *Phocæ.*

Die 22. Decembr. novi styli, anno 1623. omnes naves vela dederunt. Sed Iacobus Willekesius, archithalassus, anchoram suam ægrè tollere poterat: quâ magno labore sublatâ, tempestas in mari Aquilonari inter Doveram Angliæ, & Caletum Galliæ coorta est, quâ sub noctem nauis, cui Spei nomen antenna cum maiori velo mali confracta fuit, atque ipsa propemodùm vadis Flandriæ, cum certa pernicie, illisisset, nisi Deus nos singulari gratiâ conservasset. Quo factum est, vt hæc navis à reliqua classe divelleretur, & sola velificaret. *Archithalassus. Navis per tempestatē disiecta.*

Post aliquot dies in canali Angliæ præsidiaria navis Anglicana nobis occurrit, quæ mercibus onerata domum ex Turcia redibat. Postridie sedecim naves, quæ aliquot à nobis milliaribus aberant, in mari conspeximus. Illis Hamburgenses & Dunkerckani, qui in Hispaniam tendebant, vt postea resciuimus, vehebantur. In eo tractu octo irides per aliquot horas in cœlo vidimus, quas mox sæva vis ventorum sequuta est. *Navis Anglicana ex Turcia. Sedecim naves. Octo irides.*

Inde

Pisces volantes.

Inde ex Hispanico mari in Oceanum delati sumus, vbi pisces magno agmine volantes conspeximus, quorum nonnulli ad oram navis in subligaculis consederunt.

Hi pisces halecibus magnitudine pares sunt, & capita habent pinnata. Non vlteriùs quàm 30. aut 40. orgyias volare poterant, quando pinnæ erant madidæ: quibus exsiccatis, protinus in mare concidebant. Habent illi suos hostes, qui eos persequuntur, & comprehensos deglutiunt, nempe *Pennitas*, quod est genus piscis, trium pedum longitudine.

Biqua, insula Canaria.

Hinc juxta insulas Canariæ, atque inprimis B*iquam*, quę magnitudine insignis est, provecti sumus. Hæc insula tantæ altitudinis est, vt ab aliquot gradibus in alto Oceano perspicuè nobis appareret. Ex ea Rex Hispaniæ præstantia vina accipit. Hæ insulæ in altitud. 28. grad. versus Austrum sitæ sunt: & quindecim milliaria in vno gradu numerantur.

Insula S. Antonii.

Eundem cursum tenentes ad insulam S. Antonii peruenimus, ad quam sub vesperam appulimus: metu autem arenarum, scopulorum & tempestatis anchoras illic non fiximus, sed in altum vecti sumus. Media nocte cursum versus insulam S. Antonii reflextimus, solo maiori velo cum dolone expanso: proximam insulam S. Vincentii, vento reflante, attingere non potuimus: & quia ventus ab eodem semper loco spirabat, totis quatuordecim diebus cursum aliquando nobis oberrandum fuit, donec, mutato vento, ad insulam illam evasimus, & ponè eam anchoras jecimus.

Hadi & capra silvestres.

Dum in statione illius insulæ quiesceremus, navim purgauimus, & funes reparauimus. Tum lembum nostrum eduximus, cui quindecim remiges, brevioribus hastis armatos, cum duobus minoribus tormentis, imposuimus, vt terram explorarent, & aliquid fructuum ad nos refocillandos afferrent. Egressi in littus, nusquam aptum exscensioni locum inuenerunt, propterea quòd fluctus intumescerent, qui lembum ad scopulos impegerunt. Quapropter nostri lembum vnco firmarunt, & in terram enatarunt, vbi multos hædos & capras silvestres viderunt: quos cùm equites esse putarent, ad mare properè reuersi, in lembum se receperunt, quo ad navem vecti, quid vidissent, nunciarunt. Eo audito, præfecti centurionem cum aliquot scloppetariis & nautis in terram emiserunt, vt quid rei esset cognoscerent, qui se nihil præter hædos, capras & feles silvestres conspexisse retulerunt.

Feles silvestres.

Rursus lembus cum aliquot scloppetariis, nauclero & remigibus emissus fuit, qui verum loci sinum explorarent. Quoniam vero mare tunc pacatum erat, circiter milliare à littore versus Austrum vecti sunt. Ibi subita tempestate mare commotum fuit, adeò vt nautæ animum despondentes, non ampliùs remigare vellent, sed Deo se commendarent. Quos vnus, qui in navi erat, ad fortitudinem & meliorem spem cohortatus effecit, vt remis denuò incumberent, & periculo se sociosq; eriperent. Cùm sub vesperam ad navim, corpore languidi & vultu pallidi, rediissent, quid sibi accidisset & quo in discrimine fuissent, narrarunt.

Navis, cui nomen citria malus.

Die 29. Ianuar. anno 1624. manè cum tympanum pulsaretur, navim in mari conspeximus. Quare, solutis anchoris, vela dedimus, & machinas atque arma expediuimus, vt ad pugnam parati essemus tamdiu cursum obliquantes, donec nobis constaret, vtrum amici an hostes essent. Erat autem navis ex nostra classe, quæ Citriæ mali nomen gerebat. Eam tribus tormentorum ictibus, pro more, salutavimus: quæ totidem ictibus nobis respondit. Nos verò ad portum obliquis cursibus contendimus. Mox Archithalassus cum multis navibus adnavigavit, ad quem lmbum nostrũ confestim misimus, eiq; significauimus, quomodo per tempestatem à classe divulsi, & quibus casibus in itinere iactati fuissemus. Illic jactis anchoris, inter insulas S. Antonii & S. Vincentii tamdiu substitimus, donec tota classis conuenisset. Nam hic locus, in quo omnes naues congregarentur, dictus erat. Ambæ hę insulæ Americanæ sub altitud. 55 grad. 12. minut. iacent.

Archithalassicum multis navibus aduentus.

Descriptio insula S. Vincentii.

Insula S. Vincentii vt hoc addam, omnibus incolis tunc destituebatur. Arbores in ea sunt hominis staturâ aliquanto proceriores. Earum folia & succus napellum referunt, ex quorum contactu classiarii & milites veneno ita infecti fuerunt, vt qui oculis manus admovissent, omnem visum amitterent, non sine magnis doloribus, quos chirurgi aquâ rosaceâ absterserunt.

Arbores venenata, qua homines excæcant.

Colocynthides.

Humi colocynthides, gustu peramaræ, crescebant. Hîc etiam in Quadragesima multos coruos bifurcos, qui longas & acutas caudas instar forficis bifidatas habent, nec nō aues rapaces, quarum caudę diductę sex pedes complectuntur, vidimus.

Quoniam verò hędorum & caprarum siluestrium magnus hîc erat numerus, venatu nos exercuimus, & aliquot centena cepimus, quæ ad naves attulimus: vt iis soci, nostri se reficerent.

Serpentes & insecta. Testudines.

Multa quoque insecta, maiores & minores serpentes, qui noctu pręsertim inquieti, & sibilando nobis molesti erant, oculis nostris se obtulerunt. Item plurimę testudines, tantæ magnitudinis, vt vni tres viri insisterent, quos illa ab vno loco in alium transportare poterat. Earum operimentum tantæ firmitudinis est, vt plaustrum, iis illæsis, per illud transire queat. Vivunt illæ in mari

& insulis: mense Maio ad littus accedunt, & ova in arena ponunt; quæ à calore Solis excluduntur. Cæterum hoc modo in Oceano capiuntur. Quoniam lentè natant, piscatores cum cymbis accedunt, & eas invertunt: quo facto, quia progredi nequeunt, illi eas in cymbam conijciunt, & ad littus advehunt. Operimento remoto, carnes pinguissimæ reperiuntur, ex quarum aruina liquor exprimitur.

Sæpè nobis occurrebant pisces rapaces, *Tanina* dicti, octo vel novem pedes longi, à quibus nautæ, quando eos vident, omnia captant, quòd tempestates & procellas præsagiant. Nonnunquam, instar hædorum, ex aquis exsiliebant, quamuis sæviente tempestate. Duæ pinnæ, quas dorso gerunt, duobus cornibus similes sunt. **Tanina.**

Vidimus quoque *Capitones*, quorum multi apud & ante naves nostras obuersabantur. Piscis genus est immane: Sole lucente, ludebant in aquis, easque flatu in tantam altitudinem eiiciebant, quasi syringe aliqua actæ fuissent. Nec abs re Capitones dicuntur: sunt enim crassi, rotundi, & ab anteriori parte latum caput habent: in superiori geminus vt apparebat, tubus eminet, quo aquam, vt diximus, emittunt. Nos harpagonibus instructi eos observabamus, aliquando etiam scloppetorum ictibus petebamus. **Capitones.**

Insuper vidimus *Hevios*, noxium & malitiosum piscium rapacium genus, qui non parùm damni dabant, vt postea intelligemus. Nihil desuper capere possunt, nisi supini jaceant, quia superior pars capitis eorum prælonga, & os subtus est, cum acutis dentibus. Hos pisces catenis illigatos, & magnis hamis ferreis, quorum in mari vsus est, & quibus frustum carnis annexum erat, inuncatos, cum labore in navim pertrahebamus, & securibus ad necem percutiebamus: quibus postea pellem detrahebamus. Minores pisces coquebamus, & inter nos comedebamus: maiores cum iis, qui in aliis navibus erant, partiebamur. Superiores caudarum extremitates prælongæ, inferiores perbreues erant. Fætus extrinsecus à corporibus magno numero dependebant. **Hevii.**

Denique cætos immanes & monstrosos vidimus, qui hac illac sub Zona torrida & frigida in portus se recipiunt. Sole lucente, & mari tranquillo, aquam in altum magnâ copiâ emittunt, & sæpè per dimidiam horam vno in loco consistunt: caudas exporrigunt, quibus mare percutiunt, ita vt spumet. Quando natant, caudas in latus inflectunt. Hunc piscem in mari ludentem, propter magnitudinem trium milliarium spatio cernere poteramus. **Ceti.**

Quando autem Xiphiam, hostem suum, animaduertunt, in fundum se quamprimùm demittunt, ne ab eo lædantur & interficiantur. **Xiphia.**

In capiendis cetis Lusitani hunc modum observant. Simulac cetum conspicantur, ad eum cum tribus cymbis navigant. Vbi ille se in altum extollit, confestim ex vna cymba harpaginem, qui tridenti Neptuni similis est, vna cum fune centum orgyiarum ei iniiciunt: si alicubi hæreat, funem remittunt, ne cymbum euertat aut in fundum pertrahat: tum altera cymba accedit, quæ etiam suum harpaginem, laxato fune, in eum contorquet, donec tertia sequatur, quæ idem facit. Interea ille se jactando & volutando fatigat, vsque dum vires eum deficiant. Tum longum & latum cultrum, ensi similem, & peracutum costis eius infigunt, ipsumque interemptum magnis funibus & cochleis, quas vt minimum triginta homines versant, ad littus attrahunt; eoque dissecto ex arvina eius liquorum coquunt: ex quibusdam etiam pretiosam *amagrim* hauriunt. Succidia, quam sub pinnis habet, edulis est. **Modus capiendi cetos.**

Dum ad insulam S. Vincentij in anchoris staremus, multi ex nostris cum retibus ad littus navigarunt & quando ea in mare immissa educebant, magnam vim piscium, quorum forma diuersa & mirabilis erat extrahebant: qua ex re prouidentiam divinam agnoscebant, & in hæc verba erumpebant: Quemadmodum Deus trinus & vnus prata, hortos, agros & silvas variis floribus, arboribus & animalibus ornavit: sic mare piscibus variè formatis & coloratis locupletauit. Nam ex iis quidam cærulei, candidi, flaui: alii rubri, luteo colore striati: nonnulli sanguinei, cum flavis oculis: quidam tres, alii sex & plures pedes longi erant. Dentes habebant humanis similes. Quid memorem anguillas cum rostris prælongis, quales sunt ciconiarum, echinos marinos crasso corpore, cum longis aculeis & caudis, sine pedibus, & similia mirabilium piscium genera, quorum nomina referre nequeo: item, cuculos, seu gallos marinos, qui simulac tangebantur, canere incipiebant? In hanc insulam omnes, quos habebamus ægros exposuimus, iisq; tentoria ereximus, vt se recrearent, & ab æstu ac pluviis tuti pristinam valetudinem recuperarent. Hîc naupegi septem lembos fabricarunt, quibus classiarii ad littus veherentur. **Pisces varii generis.** **Anguillæ rostratæ.** **Echini marini.** **Cuculi.**

Adhæc quotidie ternis hominibus in vnaquaque navi mandabatur, vt gerras ex cedris conficerent, quarum viginti cum cratibus ad fossas ducendas contexuimus, & nauibus contulimus, vt conatibus nostris adjumento essent. In insula S. Vincentii milites singulis diebus exercebantur, arma eorum lustrabantur, defectus sarciebantur: vniuscuiusque centurionis nomen ac militum

ipsius numerus non tantum in scloppetis, sed etiam galeis eorum annotabatur & insculpebatur. Epibatae cados ex nauibus in terram advehebant, vt eos aquâ replerent: adhaec ligna ad focum in culina exstruendum secabant. Tunc navis, Tigris nomine insignita, appulit, cuius ambulacrum tempestas in Hispanico mari decusserat, ex quo famulus Praetorii in navim ejectus, & cerebrum ipsius in ea sparsum fuerat. Quamvis autem ejusdem famuli dominus à fluctibus è navi abreptus fuisset: tamen ab iis in eam reiectus, & Germanici proverbii veritas in ipso comprobata fuit: Cui guttur laqueo elidendum est, is non submergitur.

Tigris navis.

Hollandia navis. Samson navis.

Dominus à Dort, qui in navi Hollandia erat, vnà cum navi Samson, non poterat propter ventum adversum portum subire. Cum nos ex montibus & scopulis vtramque navim in anchoris stantem è longinquo conspiceremus, rati, hostes esse, duas naves bellicas cum liburnica emisimus, vt explorarent quinam essent: atque ecce amici erant, ex nostra classe: ad quos duas celoces misimus. Sequenti nocte tanta tempestas ac procella ingruit, vt navis Hollandia, quâ Dortius, classis praefectus, vehebatur, cum celoce disiiceretur, nec sciremus, quid ipsi factum esset, aut quò abiisset: multaque lignorum, malorum, contorum, trochlearum, palangarum & pergularum fragmenta cum cadaveribus ad nos advolvebantur, vt non dubitaremus, Dortium ad scopulum impegisse & cum sua navi periisse. Samson autem periculum evaserat, & in tuto erat. Reliquae omnes naves cum gaudio portum ingressae sunt, velis & vexillis coram Archithalasso demissis. Subpraefectus & Praetorius noctu tres ictus honorarios ex tormentis disploserunt: idem ab Archithalasso & omnibus aliis navibus cum jubilo factum. Tubicines & tympanistae laeto clangore actonitu modulabantur. Sola navis, cui Aureae Stellae nomen erat, tristis appulit, nec vllum, displosotormento, laetitiae signum dedit. Vexilla eius inclinata dependebant. Caussa huius tristitiae erat mors navarchi, multorumque classiariorum & nautarum: plerique etiam, qui supererant, aegrotabant. Id oeconomo imputabatur, qui dulcem aquam cum marina miscuerat, & cibos omnes aquâ marinâ coquendos curauerat: qua ex re quidam oscedine, alii dysenteria laborare coeperunt. Qui è vivis excesserant, in insula S. Vincentij, more militari, honorificè sepulti fuerunt.

Dortius, classis praefectus, per tempestatem disiectus.

Naves laetitiâ exultant.

Aurea stellae navis.

Proscripti in insula S. Antonii.

Insula S. Antonii, non procul inde dissita, scopulosa est. In ea habitant proscripti ex Hispania, Lusitania, Piscetra, &c. qui mortis supplicium meruerant, aut grave aliquod maleficium perpetraverant. Illi eò missi sunt, ut terram colant, & ex ea tributum solvant. Pellibus haedorum, piscium arvinâ, & sale negotiantur. Sal ipsorum Sol ex aqua marina excoquit. Ibidem cardui xylini, bombyces, iucundi fructus, nempe mala aurea, citrea, Medica, ficus, calabassae &c nascuntur. In scopulis ad oram maris pumices, spongiae, & alia, quae ipsis vsui sunt, & ex quibus quaestum faciunt, inveniuntur.

Ad insulam S. Antonii trecenti scloppetarij missi fuerunt, qui exscensionem tentarent: sed eorum conatus irritus fuit. Nam littus tam altum & petrosum erat, vt nullus in terram aditus pateret. Tandem classiarii ad alium locum deflexerunt, vbi exiguus pagus cum sacello in scopulis aedificatus, & hominibus atque animalibus vacuus erat. Ibi angustum callem invenimus, per quem aliquot praefecti cum manu militum repentes ascenderunt. Quo cognito, proscripti ab altero monte cum suis molossis, strictis gladiis & bipennibus accurrerunt. Vestitus ipsorum erat ex corio Hispanico, rubro & flauo: capiti cristas imposuerant. Cùm ad nos venissent, quaerebant, quid vellemus? Ad id respondimus, nos amicè cum ipsis acturos, & nihil nisi mala aurea, citrea, Medica, ficus & similia pro pretio petere. At illi dixerunt, Hoccine est amicè agere, quòd cum armis hanc insulam invaditis? Atque ita nullus cum ipsis tractatus institui potuit. Sub id miles Germanus, nobili genere natus, sub Ernesto Kiff centurione, longiùs ad scopulos evagatus fuit: quem illi circumventum trucidarunt. Nos asinum & molossum nacti sumus: asinum mactavimus, vt latrantem stomachum placaremus. Quo viso, proscripti gladios & bipennes circum caput vibrantes, inclamarunt: An Christiani essemus, qui jumentum, quo ad perferenda vitae alimenta vterentur jugularemus. Nos scloppetis in ipsos displosis, cymbas nostras repetiimus, quibus ad naves reversi sumus.

Proscriptorum in insula S. Antonii incessus.

Supplicium in navi, quae Spes dicebatur, de maleficis sumptum.

Sex poenarum genera in navibus vsitatis.

Mense Martio, anno 1624. Iacobus Willekesius, archithalassus, tormenti displosione, signum nautis dedit, vt se accingerent. Eodem tempore in nostra navi, quae Spei nomen gerebat, justitiae severè litatum fuit. Nam quidam, qui deliquerant, cippis & catenis vincti, multi jam hebdomadis in prora attinebantur, & pane tantùm atque aqua pascebantur. Quidam ex iis aquis mersi, alii alio supplicio affecti fuerunt. Vt aliquid hoc loco de paenis in nauibus vsitatis addam, sciendum est, earum sex genera esse:

1. Primò, si quis maledicto aliquo se obstringat, aut obscaenum aliquod verbum proloquatur, natibus ad malum aliquoties truditur, vt sine dolore sedere non possit.

Secundò,

Secundò, si quis aliquod gravius delictum perpetravit, aliquot diebus aut hebdomadis carceri, qui in prora est, & in quo, fluctuante mari, aquis conspergitur, & solo pane atq; aqua victitat, includitur. 2.

Tertiò, si classiarius aut nauta pugionem vel cultrum contra aliquem stringat, arma illa per manum rei ad malum adiguntur, & manus ipsius hoc pacto perterebratur. 3.

Quartò, qui aquis mergitur, ei funis circum corpus ligatur, quo per rotulam in supremum malum evehitur, vnde aliquoties in mare demittitur, & nisi pedes coniunctos teneat, in illo lapsu facile grave damnum accipere potest: denique vdo corpore ad malum stat, vbi denso fune aliquoties cæditur, & crimen à Deo, Justitia, Magistratu, præfectis atque omni populo deprecari cogitur. 4.

Quintò, reus funi alligatur, aliquot centena pondo corpori ipsius appenduntur, brachium olivo vnctum, cum pileo nautico ad os adstringitur, vt spiritum sub aqua ducere possit: tum aliquot orgyiis in mare mergitur, & aliquoties, pro grauitate delicti, sub alvum navis transversus trahitur. Hæc est proxima à capitis supplicio pœna. Si respirare potest, salva res est: sin minùs, vitam finit. 5.

Deniq; palus perforatus prope malum minoris veli erigitur, ad quem maleficus strangulatur, & cadauer in mare abiicitur. 6.

Die 25. Martii Jacobus Willekesius, archithalassus, tormento disploso, omnes, qui in terra erant, ad naves redire jussit. Sub id Gallus quidam, qui suum centurionem percusserat, in insula S. Vincentii, à nemine habitata, expositus, ipsique panis nauticus ad octiduum cum igniario præbitus fuit.

Die 26. Martii archithalassus iterùm tormentum displosit. Itaque, solutis anchoris, à statione discessimus, & cum fluxu maris, Euronoto flante, vela dedimus. *Insulæ, Elitomai, S. Iago, Porto santo.*

Die 29. Martii, media nocte, tres salis insulas, *Elitomai, S. Iago, Porto santo,* in quibus proscripti ex Hispania habitabant, prænavigamus. Tunc venti posuêre, & mare tranquillum fuit. Posthæc duas naues procul in Oceano versus Ortum conspeximus. Ob eam caussam cursum obliquavimus, donec ad eas appropinquaremus. Ex iis vna erat navis præsidiaria Anglicana, altera liburnica, quæ demissis velis classi honorem exhibuerunt. Archithalassus, missâ ad eos cymbâ, imperauit, vt quidam ex ipsis ad se accederent. Cùm venissent, aliquid ciborum attulerunt, nunciaruntque, navem Hollandiam cum celoce apud insulam *Sierra Liona* in anchoris stare. Illis liber ad suos reditus concessus fuit. *Duæ naves Anglicanæ.*

Die 17. April. Dei auxilio eò vsque perueneramus, vt sub linea Æquinoctiali versaremur, sub qua octiduum, propter summam maris tranquillitatem, mansimus. Multi ex impatientia in nostris navibus obierunt. Tuncquoq; nauta in navi Vltrajecto phrenesi correptus, cultro ter in collum impacto, mortem sibi consciuit. Sub hac linea Æquinoctiali non parùm à tempestate nobis metuebamus. Nam simulac nubecula sub ea in cælo apparebat, tempestas exoriebatur, quæ nos vela contrahere ac deducere propter vehementem navium agitationem cogebat. Hoc loco Sol radios perpendiculariter mittebat, atque obseruatum fuit, Sole directò in Austrum tendente, nullam à corpore solido vmbram spargi. Paullo pòst nauta quidam noctu in navi quatuor Hemsii liberorum desideratus fuit, ita vt nemo sciret, vtrùm Diabolus eum abripuisset, an ipse se in mare præcipitem dedisset. *Sol nullam vmbram spargit.*

Die 28. April. cùm classis nostra sextum gradum lineæ Æquinoctialis versus Austrum attigisset, & altitudinem vrbis Phernambuco in regno Brasiliæ assequuti essemus, archithalassus post displosionem tormenti, aperto Oceano factam, vela & vexilla in maiori suæ prætoriæ malo ter subduxit: quo significauit, se cum navarchis, belli ducibus, & præfectis, deliberationem instituere velle. Cùm illi omnes ad prætoriam convenissent, sub meridiem horâ duodecimâ litteræ, quibus consilium de invadendo regno Brasiliæ perscriptum erat, ipsis prælectæ, & secundùm eas mandata quamprimùm per omnes naves data fuerunt.

Die 29. April. rursum deliberatio in plena mari habita fuit, ducibus & præfectis ab archithalasso per tormenti displosionem noctu convocatis: quibus mandatum fuit, vt milites sua arma expedirent, & sua scloppeta pulvere ac globulis farcirent: vt singulis præter 30. globulos, libra pulueris nitrati & funiculi sex orgyarum traderentur: vt rei tormentariæ præfecti omnes machinas, maiores & minores, exonerarent, ac purgarent: vt pilas, forcipes, jacula ignita, pyrobolos, hastas ardentes, malleolos, & quidquid est eius generis telorum in promptu haberent: vt navarchi suas naves ad pugnam instruerent, mundarent, contos in parato haberent, vela suis quæque locis disponerent, signa militaria in malis erigerent, loricis & cratibus vimineis naves munirent: vexillum pugnæ, in quo brachium cum ense depictum est, explicarent: omnes ægros, quorum aliquot centeni erant, peculiari navigio, trecentorum onerum capaci, imponerent, & à tergo classem sequi jube- *Litteræ aperiuntur, quibus consilium de invadenda Brasilia continebatur.*

juberent. Ex iis multi, qui nondum caput ter inclinarant, piscibus cesserunt. Item, vt plumbum & muscus vrinatoribus daretur, quo naves rimosas aut ictibus hostium perforatas constiparent. Adhæc mandatum fuit, vt simulac majus tormentum disploderetur, omnes rursus ad navem prætoriam convenirent.

Die 12. Maij rursus tormentum displosum, & vexillum in navi prætoria vibratum fuit. Coacto consilio, mandatum fuit, vt classiarij omnes quatuor navibus imponerentur.

Brasilia in America detecta.

Die 13. Maij sub meridiem liburnica, quæ nomen Vulpis gerebat, Brasiliam prima detexit: cuius rei signum tribus tormentorum ictibus dedit. Regio non admodum edito loco sita est. E vestigio omnes classiarii cum armis in quattuor naves distributi fuerunt. Nos triduo cursum obliquavimus, vt portum Omnium Sanctorum exploraremus. Quod quia moram aliquam temporis requirebat, interea navis prætorea ad eam, quâ Samson vehebatur, allisit. Prætoriæ antenna inter velificandum rupta fuit: Samsonis navis illæsa & indemnis evasit.

Concursus duarum navium.

Die 16. Maij Belgica classis ad portum pervenit, & horâ tertiâ matutinâ ostium sinus Omnium Sanctorum subiit, jactisque juxta se mutuò anchoris omnes lucernas accendit, ita vt incolæ eas videre possent, qui conspecta classe ignes in singulis montibus excitarunt, vt hostem adesse significarent, cui occurrendum esset. Manè horâ sextâ classis anchoras solvit, & sinum, cœlo sereno, ingressa est. Mox incolæ tormentis ex castello in eam fulminare cœperunt: Illa verò eò vsq; progressa est, donec pulchrum & arenosum fundum inter castellum & palatium, in quo multi Lusitani & Mauri erant intraret. Inde in littore nudi oberrabant, & novam classem attoniti spectabant. Indi in littore nudi oberrabant, & novam classem attoniti spectabant. Hîc quatuor ex nostris navibus, quibus classiarii in terram exscensuri vehebantur, anchoras fixerunt, & tormentis adversus castellum vsque ad noctem vehementer intonuerunt. Paullo pòst duo equites loricati cum lanceis se ostentarunt & equos suos agitarunt, tubis in classe clangentibus & tympanis resonantibus. Cùm autem sex aut septem tormentorum ictibus peterentur, pavimento tam calido non diutius insistendum rati, pernice cursu recesserunt.

Hostis in castello S. Antonii tormentis fulminatur.

Impetus classiariorum.

Pars navium Belgicarum ad magnum propugnaculum, quod in aqua ad littoris oram ante vrbem stabat, & novem tormentis ac falconellis nostros incessebat, provecta est. Subprætoria navis in fundo hæsit: navis Grœningensis septuaginta ictibus ab illo propugnaculo quassata: Andreæ Colmariensis, qui huius consilii auctor fuerat, caput pilâ decussum fuit. Subprætoria autem contrariâ ejaculatione omnes hostium loricas, gerras & machinas dejecit, iisque potita est, & aliquot lembos cum armatis nautis eò misit, qui, quòd Brasilienses strenuè se defenderent, machinas ipsorum clavis confixerunt, cumq; ab vrbe scloppetis & catapultis graviter infestarentur, in naves se receperunt. Alia pars navium cum Lusitanorum navibus & celocibus coram archithalasso dimicabat: & quoniam illæ se dedere nolebant, eas incendit & in fundum egit: pars fugientes hostium naves persequebatur, donec eas in suam potestatem redigeret: pars vrbem, directis in eam tormentis, pulsabat: ita vt conflictus iste à tempore matutino vsq; ad noctem durauerit.

Pugna navalis.

Pugna terrestris.

Inter castellum S. Antonii & supradictum palatium, quod vnius horæ itinere ab vrbe S. Salvatoris distabat, Lusitani copias suas contraxerant, qui tormentis & scloppetis ex castello, palatio, aggere & saltu, qui in monte erat contra nos certabant. Nostri, qui in prima acie erant, conscenso monte, impetum in eos fecerunt, quos pugnando tamdiu detinuerunt, donec postrema acies ad littus adveheretur. Tunc galeatos illos lepores ex suis speluncis exegimus, & vexilla nostra in desertis ipsorum stationibus fiximus: postea ex ducum imperio rursus descendimus: & totus exercitus, structa acie, ad pugnam se comparauit.

Obsidio vrbis S. Salvatoris.

Prolatis ex navibus aliquot machinis & scalis, vrbem S. Salvatoris terrâ marique obsedimus, directis in eam quingentis tormentis. Centum classiarii ex vnaquaque cohorte delecti, & scloppetis rotariis armati, quos Helmut, tribunus militum, ducebat, ad vim faciendam destinati erant. Hi sub noctem horâ octauâ, per viam, quâ tantùm quatuor simul incedere poterant, absque tympani sonitu in suburbium irruperunt, & inde ad Occidentem vrbis portam penetrarunt. In suburbio præstantia vina, atq; in quodam monasterio mensam, argenteis pateris cum pretiosis condimentis structam, invenerunt. Nocte autem illa diligenter excubias agerunt.

Deditio eiusdem.

Die 17. Maii sub diluculum, cum tympanum pulsaretur, Lusitanus, erecto ante portam candido vexillo, vrbem dedidit. Nos illico in eam ingressi, aciem in foro struximus, excubitoribus ad omnes portas & stationes dispositis, & singulis sua hospitia assignavimus. In hac vrbe S. Salvatoris nullos nisi Mauros offendimus.

Præda ampla.

Cæterùm insignes torques, gemmas, aurum, argentum, amagrim, moschum, balsamum, holosc-

holosericum, sericum, vestes auro & argento textas, corium Hispanicum, saccharum, salgama, aromata, radicẽ Nicotianam, vina Hispanica, Lusitanica, Corinthiaca, Cretensia, &c. nec non varias ciborum fructuumque delicias nacti sumus. Quidam se in Fortunatis insulis aut media Batauia esse putabant, & bibendo se inuitabant: tum pileis aurum & argentum distribuebant, erantque qui trecentos aut quadringentos florenos vni aleæ iactui committerent.

Die 19. Maii munitissimum S. Antonii castellum occupauimus, cui sclopetariorum manipulum præsidii loco imposuimus. *Castellum S. Antonii occupatum.*

Die 20. Maii, Dortius, classis præfectus, cum sua naui Hollandia & celoce, ex Sierra Liona in sinum Omnium Sanctorum ad nostram classem appulit.

Die 21. eiusdem mensis, hoste se in armis ostentante, ad arma fuit conclamatum: sed ille mox pedem retulit.

Paullo post liburnica cum aliquot celocibus, quibus 200 classiarii vehebantur, ad insulam in qua Lusitani erant, missa fuit. Cum iis de pace actum, quæsitumque fuit, an fœderatorum Ordinum Belgii fidei ac tutelæ se committere, ipsorumque imperio se subiicere vellent. Illi cum lembo ad nostros accesserunt, & dati fuerunt vtrinque obsides. Postridie responsum ab illis accepimus, sibi certum constitutumque esse, pro Rege Hispaniæ pugnare, viuere, mori: nec esse, quod ab ipsis aliud, quàm vim hostilem, exspectaremus. Quapropter, receptis obsidibus, anchoras sustulimus, & machinas omnes in ipsos displosimus: atque ita in sinum Omnium Sanctorum reuersi sumus, vt quid responsi à Lusitanis tulissemus, Dortio, classis nostræ præfecto, referremus. *Irritus cum Lusitanis tractatus.*

Interea castella S. Philippi & Tapesiepe in manus nostras deuenerunt, quorum vni præsidium imposuimus. Posthæc, Dortius in Lusitanos duxit, qui nos quotidie adoriebantur, & castra nostra oppugnabant, vt illis disturbatis, vrbs à nobis capta tantò liberior esset. Idem mandauit, vt tertio quoque die singulæ cohortes in excitandis munitionibus, propugnaculis, prætenturis & sepimentis opus facerent. *Castella S. Philippi & Tapesiepe occupata.*

Mense Iunio, cum duabus liburnicis & aliquot celocibus, in quibus Dortius ipse erat, Lusitanorum insulam aggressi sumus. Sed, vento aduerso, in terram exscendere non potuimus. Accidit etiam propter sæuitiam tempestatis, vt liburnica Roterodamensis, quæ viris & sarcinis admodum onerata erat, in latus incumberet, & tormenta, quæ Balistarii incuriâ non alligata fuerant, loco mouerentur, tum aqua per foramina iaculatoria irrumpente, liburnica in eo esset, vt pessum iret. Vt huic incommodo remedium afferretur, vela contraximus, donec aqua ex liburnica illa exhauriretur. Quo facto, vela rursus pandimus, & ventum captauimus: nihilominus ad littus peruenire non potuimus. Ibi Dortius anchoras iterum iecit, ventum secundiorem exspectans: sed spe frustratus fuit. *Dortius cū 300. classiariis insulā Lusitanorū inuadit, nullo successu.*

Sub vesperam Dortius anchoras rursum soluit, vt sinum Omnium Sanctorum repeteret. Quid fit? Cùm aliquò vsque prouectus esset, anchoras noctu iterum demittit, accensis lucernis, vt reliqui nauem ipsius in tenebris conspicere possent. Interea Roterodamensis liburnica, in nauem Dortii, quam non animaduerterat, plenis velis inuehitur, & antennam cum scapo abripit: machina quæ ad latus stabat, inter vtramque liburnicam compressa diffringitur, & in fundum labitur. Cùm Lusitani & Mauri resciuissent, duas liburnicas cum celocibus & parte classiariorū egressas esse, in vrbem S. Saluatoris impressionem fecerunt, & noctu in cœnobiis, quæ in suburbio erant, cãpanas pulsarunt, totaque nocte manus cum nostris conseruerunt. Nostri ex vrbe, quæ tunc adhuc aperta, necdum munita erat, strenuè se defendebant, & tormenta contra hostem displodebant. Qui in nauibus erant, hunc tumultum & tormentorum fragorem propter ventorū ac fluctuum fremitum non audiuerunt, alioquin Dortius suppetias nostris tulisset. Mane circa septimam Dortius, quid ante vrbem gereretur, perspexit, & classicum ante Occidentalem portàm cani intellexit: quocirca suos è vestigio in terram exposuit, qui viritim per excelsum scopulum ascenderunt, & hostes à fronte & à tergo inuaserunt. Eorum impetum cum Lusitani & Mauri sustinere non possent, fugâ sibi consuluerunt. Nostri, quorum aliqui venenatis sagittis sauciati fuerunt, quoscunque ex hostibus assequi potuerunt, obtruncarunt. *Lusitani vrbem S. Saluatoris inuadunt.* *Eorum fugâ & clades.*

Non multo post ex castello S. Philippi erupimus, vt equos quosdam caperemus, quibus ad turmam equitum sclopetariorum instituendam vteremur: tametsi non magnus sit hoc loco, propter saltus frequentes, equitum vsus. In hoc conatu Lusitani nobis gnauiter restiterunt. *Eruptio ex castello S. Philippi.*

Hoc mense duæ naues præsidiariæ Vlyssippone, Lusitaniç metropoli soluerunt, quæ cùm putarent, sinum Omnium Sanctorum adhuc in Regis Hispaniæ potestate esse, in nostrorum manus inciderunt. Illæ quidem simulac locum à nostris teneri senserunt, cursum reflexerunt, & *Naues Vlyssippone appellunt.*

omnibus velis expanſis è ſinu elabi moliebantur: ſed nos veſtigiis earum cum noſtris celocibus, phaſellis & liburnicis ſumma celeritate inſtitimus: & quanquam tormentis ſuis ſe defenderent, tamen ſumma vi in eas inuecti ſuperiores euaſimus, illaſque eo adegimus, vt vela demitterent, & vexillum Hiſpanicum remouerent. Nos ipſis viciſſim incolumitatem promiſimus. Erant illæ farinâ triticeâ, boum pellibus inſutâ, holoſerico, ſerico, oliuis, Hiſpanico, Luſitanico & Canarienſi vino, atque oleo, cadis aſſeruato, oneratæ. Sub id Luſitani magnum tumultum excitarunt, & noctu excubitores noſtros ſcloppetorum ictibus petiuerunt. Nos autem, eruptione facta, illos diſpulimus.

Luſitani pulſi.

Nauis Vulpes nuncium in Hollandiam affert.

Hoc tempore liburnica, Vulpis nomine inſignita, in Hollandiam miſſa fuit, vt nuncium de capto ſinu Omnium Sanctorum Ordinibus & Mauritio, Principi Arauſionenſi, cum pictura obſidionis expugnationis vrbis S. Saluatoris, & aliis rebus pretioſis, afferret.

Mauri ab Hollandis armantur.

Cùm autem multi ſerui & Mauri à Luſitanis ſubacti ad nos transfugerent, quoſdam ex ipſis ad opus faciendum adhibuimus: reliquos ſagittis, arcubus, vetuſtis enſibus, clypeis, haſtis & cultris armauimus: atque ita cohortem Maurorum formauimus, quorum dux erat Franciſcus quidam Maurus. Tympani loco, quo ſocios ad arma vocarent, tintinnabulo vtebantur, quod bacillo pulſabant. Horum nullus alius vſus erat, niſi vt hoſtem explorarent, viam monſtrarent, & ſaucios ac mortuos milites in caſtra deferrent. Nullum ordinem ſeruabant, ſed nudi, pecudum more, vagabantur, conſpectoque hoſte ſaltando & clamando mirè geſticulabantur.

Paullo poſt in ſuburbio S. Saluatoris complures ædes exuſtæ & in cineres redactæ fuerunt, ne hoſtis deinceps in iis ſe occultaret, & vt commodius ſpatium eſſet ad ſtruendas munitiones. Tunc Luſitani & barbari piſcatores noſtros prope caſtellum S. Philippi trucidarunt.

Menſe Iulio quidam Luſitani veniam ex vrbe exeundi petiuerunt: quâ conceſſâ, vnus ex ipſis ab excubitore deprehenſus eſt, qui puluerem pyrium & plumbum penes ſe habebat. Is captus, & in vincula ductus fuit.

Eodem menſe quatuor naues præſidiariæ, ex mandato archithalaſſi, in Hollandiam vela fecerunt. Erant illæ holoſerico, ſerico, ſaccharo, radice Nicotiana, pretioſis vinis, auro & argẽto onuſtæ: quas res Americanæ Societatis Curatoribus attulerunt: quibus etiam Proregem regni Braſilienſis & Gubernatorem vrbis S. Saluatoris, cum Ieſuitis, Monachis, præfectis & mancipiis tradiderunt.

Dortii cædes.

Porrò cùm hoſtis ad Baſtefeldenſem portam magnis copiis compareret, Dortius, ducentis ſcloppetariis comitatus, in eos erupit. Ipſo præcedente, cum tubicine & pediſequo, ac longiùs aliquantò à ſuis per viam ſaltuoſam, in qua ſe vertere non poterat, prouecto, Luſitani cum Mauris & barbaris eum opprimunt, & venenatis ſagittis conficiunt. Tubicen, qui & ipſe ſagittâ percuſſus erat, & pediſequus, ſublato clamore, ſcloppetarios hortati ſunt, vt gradum accelerarent, & ducis ſui necem vlciſcerentur. Illis accurrentibus, vtrinque certatum fuit, non exiguo noſtrorum damno: tandem hoſte recedente, Dortii equus, quamplurimis ſagittis confixus, primò repertus fuit: deinde eiuſdẽ cadauer, quod immanes illi barbari capite truncauerant, eique naſum, aures & manus abſciderant, vt ea vel in triumphum ducerent, vel more ſuo deuorarent. Noſtri admodùm triſtes cadauer cum capite in vrbem retulerunt, & poſt biduum in nouo templo honorificè, more militari, terræ mandarunt, tormentis omnibus, quæ in vallo & nauibus erant, in eius honorem diſploſis.

Noua Officia.

Secundùm hæc Albertus Prætorius, primarius centurio, à toto Conſilio bellico creatus eſt dux legionis in veteri foro: frater autem ipſius Arnoldus Prætorius ad primarii centurionis munus euectus fuit. Res peracta eſt magna ſolennitate: & milites in ipſorum honorem ſua ſcloppeta ter diſploſerunt. Omnia quoque tormenta per vrbem in nauibus diſploſa fuerunt. Guilhelmus Dortius patris defuncti cohortem cum imperio regendam accepit.

Iacobi VVillekeſii archithalaſſi diſceſſus.

Iacobus Willekeſius, archithalaſſus, cùm à nobis diſcedere vellet, exiguum nobis commeatum reliquit, & fame nobis pereundum fuiſſet, niſi aliquot naues, de quibus mox dicam, præter ſpem nacti fuiſſemus. Ipſe ſigno dato cæteris nauibus, vt anchoras ſoluerent, cum ſua naue, cuius nomen erat *Nigra Phoca*, poſtquam nobis valedixiſſet, & nos ei felix iter comprecati eſſemus, vento & fluxu maris ſecundo, ex ſinu Omnium Sanctorum egreſſus eſt, vt Hollandiam repeteret. Cum ipſo aliæ vndecim naues profectæ ſunt: erantque omnes auro, argento, gemmis, amagri, moſcho, ſaccharo, ſerico, holoſerico, corio Hiſpanico, radice Nicotiana, ſalgamis, embammatis, balſamo, pellibus bubulis, &c. oneratæ: quæ ſaluæ in patriam appulerunt. Nauibus autẽ illis, quæ nondum plenum ſuum onus acceperant, archithalaſſus ſal imponi iuſſit.

Duæ naues Luſitanorũ ſinum ingrediuntur.

Menſe Auguſto duæ naues Luſitanæ ſinum ſubierunt, quas cepimus. Aduehebant illæ duas fœminas ex Hiſpania proſcriptas, vnâ cum puero. Sarcinæ earum erant vinum, oleum, farina.

Non

Non multo post auctuariolum à Mauritio Arausionensi Principe missum, aliquot ab eo literas nobis attulit: quod confestim redire debebat: sed à præfectis retentum fuit.

Hoc ipso tempore decimus quisq; ex tota classe electus fuit, eo fine, vt delecti duce Funckio centurione, littus Angolæ peterent, in quo aurifodinæ esse dicebantur. Hi quinque nauibus, quibus aliquot celoces additæ, impositi fuerunt. Nauis Geldria primarium vexillum gerebat: & qui archithalassi nostri legatus fuerat, is archithalassus constitutus fuit. Magnâ pompâ è sinu soluerunt, & tormentorum suorum displosione nobis valedixerunt.

Nauis Samson, cui centum delecti ad aliquid tentandum impositi erant, propter aduersum ventum, è Sinu egredi non poterat. Adiunctum habebat paronem, & tres lembos. Ob magnitudinem nauis, anchoræ iaciendæ fuerunt. Postero die, cùm classiarii omnes in eam recepti fuissent, anchoris sublatis, vela dedit. Sub meridiem, cùm altitudo esset 1. grad. 10. minut. vlteriùs progressa, Sole in Occidentem vergente, in fluuio quodam, recedente mari, anchoras fixit. Sequenti die, solutis anchoris, in angustum amnem delati, prope ad littus accessimus. Ibi Lusitani tormentorum ictibus nos exceperunt. Qui in lembis nostris erant, pilas aliquot à suis machinis in saltus, in quibus hostes se abdiderant, eiaculati sunt, donec illi in fugam se coniicerent. Nos ad molam sacchari exscendimus: & quia nullus hostis occurrebat, pars nostrorum classiariorum, conscenso monte, ad sacellum quoddam se recepit: pars subtus ad molam mansit, vt littus custodiret. Interea aliquot Indorum centuriæ in nos impetum fecerunt, qui scloppetorum ictus non reformidabant, & venenatis sagittis nos incessebant. Paucos tamen ex nostris læserunt, multos tamen ex suis amiserunt. *Samson cū cētum classiariis emittitur ad aliquid tētandum.*

Genus hoc hominum, qui Brasilienses, Indi, Barbari, Cannibales seu Caribes appellantur, est deforme, quod bestiarum more multiplicatur, in Deum non credit, exteros pariter & indigenos contemnit, Diabolum adorat, & nihil ferè humani, præter externam formam, habet, nudo corpore incedit, exceptis iis, qui se ad Hispanorum mores conformarunt, & apud Lusitanos commorantur, Regique Hispaniæ tributum pendunt. Hi cornibus hircorum & panniculis xylinis pudenda obtegunt: sunt homines robusti ac proceri, quorum vnum vidimus tribus glandibus transuerberatum, cùm concidisset, paullò post resurgere & aufugere: quem vnus ex nostris persequutus, scloppeto capiti impacto, occîdit. Toto corpore sunt fusci: os habent sparsum, crines atros & horridos, setarum instar: vitam ad centesimum & centesimum quinquagesimum, plus minùs, annum producunt: in variis insulis habitant: scaphis suis congrediuntur, & longis arcubus, ex ligno Brasiliensi factis, ac sagittis arundineis, quarum aculei sunt venenati, & ictus lethales, contra se mutuò præliantur. Iaculis quoque ex scopulis excelsis, & grandibus clauis dimicant. Degunt in siluis, saltibus & dumetis: piscandi sunt peritissimi, & natando supra & infra mare exercitatissimi: deniq; ab aliis Mauris prorsus differunt. Quando Lusitani regionem, in qua hi populi suas sedes habent, inuenerunt (quod ante complures annos factum est) vrbes, munitiones, castella, propugnacula, cœnobia, promptuaria mercium, moletrinas ad saccharum expurgandum, pagos atq; oppida in littoribus & locis amænis exstruxerunt: quo se nonnulli vltrò contulerunt, alii illuc proscripti fuerunt, domicilium ibi fixerunt victitarunt, fætificarunt, & Regi Hispaniæ tributum soluerunt: quorum posteri etiamnum loca illa tenent: quamuis propter barbarorum immanitatem & vitæ discrimen vltra quindecim aut sedecim milliaria illinc progredi non audeant. *Descriptio Brasiliensium.*

Vt ad narrationem institutam redeam, suprà facta est mentio insulæ cuiusdam, cui nomē *Comamu*, pagus *Riba Sina* dicebatur. Illic magna vis sacchari parabatur. Nos ibi in quadam mola quatuordecim cistas sacchàro plenas, item boues, porcos, gallinas, &c. inuenimus. Luna autem lucente terram reliquimus, & ad cymbas nostras reuersi sumus, quæ propter decursum maris in sicco hærebant. Igitur excubias diligenter egimus, donec mare refluxisset, ac tunc sublatis anchoris in altum vela dedimus.

Inter velificandum animaduertimus, nauem Vltraiectum circumuagari. Eo igitur prouecti, comperimus, duas ipsius furcas præcedenti nocte, vi tempestatis, fuisse factas, eamq; amissis anchoris, in periculo versari, ne ad scopulos allideret. Sub id quatuor Mauri lembo, quem *Canoam* vocant, ad nostram celocem aduecti sunt, & apud nos manere cupiebant: quos admisimus. *Quatuor Mauri nostris se adiungunt.*

Sinum ingressi, cùm iam anchoras iecissemus, aliud mandatum accepimus, vt cum parone & celocibus ad nouum iter nos accingeremus. Nam præcedenti die sub vesperam prçsidiaria nauis Lusitanorum per nostras naues, iuxta castellum S. Philippi, versus insulam Tabericam, velificata erat. Vogelsang centurio nos ducebat: ac licet sublatis anchoris & passis velis inter castellū & insulam per omnes fluuios discurreremus, tamen neminem inuenimus. Tandem per angustū flumen in amplū & rotundum lacum penetrauimus, quem aliquoties circumnauigauim⁹, & cursum nostrum ad palatium quoddā intendimus. Qui in eo erant, cū sua suppellectile in altā rupē se receperāt, multis ouib⁹, gallinis, porcis, cū sacchàro relictis: quç omnia prçdç loco nobis cesserūt.

Sub

Sub vesperam, parone in angustum illud flumen rursum delati, in fundo hæsimus: celoces autem, quia leuiores erant, transierunt. Lusitani ab vtraque ripa scloppetis suis nos infestabant. Crescentibus aquis paronem tamdiu impulimus, donec ex his angustiis euaderet. Ibi classiarii nostri qui fessi & languidi erant, à labore nonnihil requieuerunt.

Noctu paro noster arenis illisit, & iam subsidere incipiebat. Nos, tormento disploso, celocibus nostris signum dedimus, vt nobis succurrerent: sed iam tam procul à nobis aberant, vt ictū non audirent. Mox Lusitani, qui in littore multos ignes accenderant, cum lembis, in quibus ardētes lucernas habebant, adnauigant, sperantes, quia in fundo hærebamus, se nos in suam potestatē redacturos. Nos tamen tormentorum ictibus tamdiu ipsos repulimus, donec ignes qui in littore erant, extinguerentur. Media nocte, refluentibus vndis, paro noster sublatus fuit: quapropter inde prouecti, anchoras fiximus. Albescente die, celoces nostras propè insulam Tabericam conspeximus, & in portum nostrum, in quo multos cetos ludentes vidimus, feliciter appulimus.

Fluxus & refluxus maris.

Vt aliquid hoc loco de fluxu & refluxu maris attexam, fit ille singulis sex horis, in hisce locis maritimis. In plenilunio mare æstuat, & aliquot pedibus intumescit. Idem accidit in hisce locis, Luna decrescente.

Naues, Vltraiectum, Tigris, Sāson, Graninga.

Archithalassus, cùm discederet, quatuor nobis naues bellicas reliquit, Vltraiectum, Tigridem, Samsonem & Græningam, imperio singulis ad mensem à Consilio sanctiori demandato. Tunc noctu ante Occidentalem portam excubiæ omnes exteriores oppressæ, & quidam ex ipsis confossi fuerunt. Excitato in vrbe tumultu, præsidiarii hostes irruentes tormentorum ictibus repulerunt, & stationes milite firmatas restituerunt. Manè, apertis portis, primipilaris ex cohorte Helmuti, Orientali porta, speculandi caussâ, emissus, apud cænobium, cum aliquot militibus, à Lusitanis & barbaris obtruncatus fuit: linguæ è collo euulsę, & cadauera probro affecta fuerūt. Rursus in excubias exteriores impetus ab hoste factus, & tumultus excitatus fuit, sed irrito successu.

Sæuitia Lusitanorum & barbarorum.

Quidam in Brasilia supplicio affecti.

Mense Septembri, anno 1624. supplicium de quibusdam in Brasilia sumptum fuit. Duo propter lagenam vini Hispanici in furcam acti: quorum vnus factum perpetrauerat, alter, excubias agens, liberum ipsi transitum concesserat. Hic Lubecensis erat, homo simplex, qui cum duobus laqueis suspensus fuisset, illis ruptis, decidit, & viuus in quæsitoris domum delatus, post aliquot hebdomadas, numellis à collo derasis, in cohortem suam de integro receptus fuit. Ob eandem caussam vndecim fune distenti, tres equo acuto ad tres horas impositi: vnus autem ex prouincialibus, qui sub Vogelsang centurione merebàt, & gladium contra primipilarem suum strinxerat, scloppetorum ictibus interemptus est.

Velitatio.

Hoc tempore subcenturio ex cohorte Isenaci cum 50. scloppetariis, præter Mauros, in continentem emissus fuit, vt pro Alberto prætorio, tribuno militum, fructus & poma afferret. Hostis, qui in insidiis erat, eum, & socios, copiis circumfusis, conclusit. Illi verò tamdiu velitati sunt, quoad puluis & plumbum ipsos defecit. Tandem subcenturio glande traiectus, multi milites obtruncati, tota caterua dissipata, primipilaris Helmuti cum aliquot militibus captus & ad præfectū adductus fuit: qui intercessione episcopi vitæ gratiam ad tempus obtinuit. Mox Arnoldus Prætorius, primarius centurio, cum trecentis armatis prope sacellum minus erumpens, hostem propulit, & aliquot interfectorum cadaueribus repertis, ea per Mauros in vrbem deferenda, ac postridie, militari more, sepelienda curauit. Qui verò reperti non fuerunt, eos postea Indi, crocodili, & canes deuorarunt. Post obitum episcopi, vt intelleximus, Lusitani primipilarem in vrbē Phernambucum ducere voluerunt, qui ex pedibus, quos vermes corroserant, laborans, cùm progredi non posset, ab inhumano hoste iugulatus fuit. Quoniam igitur de captiuis cum Lusitanis, Brasiliensibus & Mauris transigi non poterat, nos, qui ex ipsis non paucos etiamnum in vinculis detinebamus, eos ante vrbem produximus, & scloppetorum ictibus confecimus.

Nauis Lusitana cum Mauris.

Sub id nauis Lusitana, quæ primùm Vlyssippone soluerat, deinde Angolam profecta, Mauros captiuos, viros, fæminas & pueros, abduxerat, in sinum Omnium Sanctorum inuecta est, vt captiuos, fame propemodùm enectos, venderet. Nos autem naue potiti, quosdam captiuos inter mancipia distribuimus, reliquos, qui melioris notæ erant, in Maurorum cohortem adscripsimus.

De Mauris & miseris istis hominibus res ita se habet. Lusitani & Hispani in Africam, Guineam, Sarlion, Angolam & vicina loca, quæ sunt sub Zona torrida, nauigare solent, vbi Mauris insidiantur, eos capiunt, & in alias regiones transuectos, instar pecudum, vendunt: vnum, prout procerus & laboriosus est, 60. 70. 80. 100. &c. argenteis vel aureis. Emptores illis notam suam, ac plerunque has litteras S L. quæ *Slauum*, hoc est, mancipium denotant, inurunt. Hi rotas in molis sacchari magno numero trahunt. Atque hæc mense Septembri gesta sunt.

Legati à

Sequenti mense eruptione facta quinque Mauri à nostris capti, examinati, & quia nullo maleficio se obstrinxerant, dimissi fuerunt. Paullo post duo legati à Lusitanis cum Mauro in vrbem

bem venierunt, vt cùm Chiliarcha nostro tractarent: qui auditi, atque ad prandium inuitati fuerunt. Chiliarcha poculum, Canariensi vino repletum, ipsis in sanitatem Principis Arausionensis propinauit: quod illi non inuiti acceperunt. Inter bibendum vni ex ipsis pileus decidit, quem præfecti fiscalis pedisequus sustulit, & litteras quasdam in eo insertas sensit: quod hero suo indicauit, qui Chiliarchæ id notum fecit. Pileus excussus, & sericum subdititium rescissum fuit, cui litteræ quædam ad nostros Mauros inuolutæ erant: qui protinus cum aliquot seruis & præcipuis coniurationis auctoribus capti ac torti fuerunt. Cùm rem omnem coram sanctiori Consilio confessi essent, latâ sententiâ, legatus & frater ipsius, qui se martyres esse iactabant, ad patibulum dānati fuerunt. Ad hoc facinus suscipiendum ab ecclesiasticis impulsi fuerant, qui ipsis persuaserāt, fore, vt si comprehenderentur, & supplicio afficerentur, tanquam martyres rectà in cælum migrarent. Quamuis autem Euangelii Minister ipsis hæc verba Dauidis suggereret: *Domine in manus tuas, &c.* tamen illi in hac sua precatione persistebant: *O sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis in hora mortis, &c.* Sub vesperam à patibulo ablati, & per Occidentalem portam ex vrbe auecti fuerunt.

Eruptio ex castello S. Philippi. Non multò pòst ducenti ex castello S. Philippi emissi, ad fluuium quendam excurrerunt. Hostes, qui in sacello latebant, nostros scloppetorum ictibus infestarunt, & multos neci dederūt. Tandem, impetu in ipsos facto, eos expulimus, & sacellum incendimus. Illic molas sacchari & ædes quasdam inuenimus, ex quibus non pauca, quorum indigebamus, in lembos nostros transtulimus: & quia magna annonæ penuria in vrbe erat, vnum ex illud eò misimus, vt laborantibus subueniremus. Cùm lembus noster ex vrbe rediisset, alium quendam fluuium intrauimus, ad cuius ripam aliquot sacchari molæ stabant, quas euacuauimus. Posthæc mediocris nauis, 150. onerum capax, Vlyssipone, & alia Gadibus appulit. Hæc, nauibus nostris conspectis, elabi conabatur, sed, mari decrescente, in fundo hæsit. Quidam ex Hispanis in mare, spe enatandi, insilierunt, qui aquis obruti perierunt. Duas istas naues, farinâ, oleo, vino, asello arefacto, oliuis, &c. oneratas, quamprimùm cepimus.

Maurus in vrbem venit, nuncians, quid hostis molitur. Mense Nouembri Maurus ab hoste in vrbem transfugit, nuncians, Lusitanos festo Omniū Sanctorum vrbem oppugnaturos: episcopum ipsorum ex dysenteriâ obiisse: exercitum sex millium hominum à Gubernatore Phernambuci cogi an obsidendum vrbem S. Saluatoris, pro quo supplicationes & solennia sacrificia per totum regnum Brasiliense fiant. Nos oppugnationem illā magno desiderio exspectabamus: sed nemo comparuit, nisi quòd noctu in excubias exteriores impetus factus est, quem facilè repulimus. Secundùm hæc, Mauros nostros, sagittis, arcubus, gladiis, & ligneis scutis, à minori scloppeto impenetrabilibus, armatos emisimus, vt nobis radices farinaceas, patatas, bonanas, ananes, mala citrea & similes fructus afferrent. Eos hostis illicò oppresit, quosdam cepit, alios, qui non aufugerunt, trucidauit.

Radices farinaceæ. Vt de fructibus iam memoratis aliquid attexam, radices illæ farinaceæ extrinsecus nigræ sunt, intus candidæ: oblongæ, crassæ, duræ, veneniferæ: quæ magnâ copiâ in hac regione, frugū loco crescunt. Incolæ eas effodiunt, recenti aquæ imponunt, quæ venenum earum extrahit: aquâ expressâ, easdem in Sole siccant, tundunt, & absque alio apparatu comedunt: quibus famē abundè explent. *Patata.* *Patata* radix est amabilis, duorum generum: vna rubra, altera alba: quæ quando torretur aut coquitur, gustu castaneæ similis est. *Bonana.* *Bonana* tantæ magnitudinis est, vt vni, qui eā fert, satis sit onerosa. Cucumeris formam habet, colore flauo, dulcis, sapore grata: breuiores & crassiores Bonanæ dicuntur: eas verò, quæ longiores, incuruæ & acuminatæ sunt, *Bacobas* appellant. Huius fructus arbor molle & pingue lignum producit, quod cultro dissecuimus: folia sunt sex pedes longa, imò etiam longiora, & vtcunque lata. Quando amputatum est, mensis spatio, ad eandem magnitudinem & crassitiem rursus excrescit, quali prius fuit. *Ananes.* *Ananes* sunt aculeatæ, dimidia parte sub terra latent: gustu sunt subacidæ, pomorum instar. *Mala omnis generis.* Quod ad mala citrea, aurea, Medica & Punica attinet, eorum magna hîc est vbertas.

Hostis virum senem ex Mauris nostris, quem fortè ceperat, in vrbem S. Saluatoris misit, manibus absciſſis, & pudendis (saluâ reuerentiâ) fractis: vt nimirum nostris terrorem incuteret. Hic tamen Maurus periti chirurgi arte curatus, & quia manibus carebat, geranum pedibus rotare edoctus fuit.

Lusitani caeduntur. Lusitani in siluis nostros obseruabant, quando in excitandis munitionibus operabantur, & sua in eos tela torquebant. Contra nostri cū 200. scloppetariis & aliquot Mauris ex Bastefeldenti porta inopinatò erumpentes, non exiguū eorum numerum obtruncarunt, & duos ceperunt, qui in vrbem ducti, & ab Alberto Prætorio chiliarcha, Mauris nostris traditi sunt, vt eos conciderent. Illis ex porta Isanacensi eductis, & veste exutis, Mauri nostri cultros suos ad lapidē acuere cæperunt: & cùm vnus ex captiuis cæsus fuisset, alter Belgicè loquutus, se natum Selandum esse dixit: quamobrem vinculis solutus, & libertati restitutus fuit. Nec multo post Mauris nostris falces

datæ fuerunt, quibus dumos & vepres circum vrbem exscinderent. Nam erant illi hostium latibula, ex quibus sæpè nostros, qui extra vrbem opus faciebant, quamuis 50.60.80,100. militum præsidium illic excubaret, intercipiebant.

Nauis à Lusitanis incendio deleta. Noctu, sæuiente tempestate, funis, quo nauis Lusitana, quam ceperamus, alligata erat, fractus, & nauis ad littus prope castellum Tapesiebe acta fuit. Nemo in naui erat: in ea tantùm pix, aruina, oleum & similia asseruabantur. Lusitani, hoc animaduerso, ignem ei iniecerunt: quo, in portu circumacta, paullatim conflagrauit. Paullo post lembus, remis impulsus, vnam ex nauibus nostris appulit: in eo erat Holsatus quidam cum duobus excubitoribus: quorum aduentu plurimùm lætati sumus, propterea, quòd ex vinculis & misera seruitute euasissent.

Maurus affert epistolā hostis in vrbem. Mense Decembri, Mauri nostri ex vrbe egressi, vt radices farinaceas & similia afferrent, in hostem inciderunt, qui eos in fugam egit, vno capto, quem manibus truncauit. Eum in vrbem cum litteris ad subcenturionem Franciscum remisit. Is sub Dortii cohorte merebatur, natione Anglus, antehac à Lusitanis, cum Andrea Colmariensi, centurione, aliquot annis in vinculis detentus, ex quibus se eripuerat, & cum naui præsidiaria Anglicana, quæ in Sinu in anchoris stabat, Ordinib⁹ operā suā addixerat. In istis litteris hostis nostros ad velitationē in diē sequentē prouocabat. Quaꝑpter chiliarcha noster postridie manc, antequàm tympanū pulsaretur, 300. sclopetarios cū Mauris conuocauit, quos Franciscus ille subcenturio per portā Isenacensem in campum eduxit, hostem opperiens, & suos in orbem aliquotiens versans. Hostis, cornu inflato, suis signum dedit, & cursores huc illuc misit. Mox multi equites in armis se ostentarunt, leuibus nobiscum prælis decertantes. Sed illis postea recedentibus, nos quoque in præsidiū nostrū nos recepimus.

Hispanica nauis ab Hollandis capta. Interea nauis Hispanica præsidiaria, cuius maior malus vi tempestatis fracta erat, in Sinum inuecta est. Nostræ celoces, remis impulsæ, ab vtraq; parte eam inuaserunt, & quamuis illa cursum flectere & elabi conaretur: tamen crebris nostrorum ictibus vela deducere coacta fuit. Nostri irruentes, eam sui iuris fecerunt. Hac naui vehebatur Prorex, qui septennium regnis Chile & Peru præfuerat, & à Rio de Plata, quo per fretum Magellanicum traiecerat, in Hispaniam redire constituerat. Sed naui à tempestate labefactâ, in sinu Omnium Sanctorum, quem adhuc in Regis Hispaniæ potestate esse arbitrabatur, se recolligere, comeatum accipere, & nauim reficere cogitabat. Hîc opulentâ prædâ potiti sumus. Nam nauis hæc gemmis, longis argenti atq; auri laminis, torque, in quo conficiendo aurifices quinquennium sudaerant, supellectile culinaria ex puro argento, in qua olla erat cum tot vasculis, quot sunt dies in anno, onerata erat. Atq; hoc erat donum, quod prorex Regi suo afferre volebat: qui cùm in Hollandorum manibus esset, se humaniter & vt proregem deceret, haberi petiit. Quapropter chiliarcha noster cum sclopetariorū manu ei obuiam processit, & ipsum cum coniuge, duobus soceris, ac totidem filiis & filiabus, nec non Equite crucigero, qui aliquandiu in regno Peruano versatus erat, & Iesuita, qui ipsi à sacris erat, atq; aliquot Monachis lecticâ Lusitanicâ, quę stragulis ornata erat, per seruos in vrbē atq; in suas ædes deportādū curauit: vbi aliquot conclauia, Attalicis aulæis circūdata, ipsi assignata fuerunt. Illic pro dignitate habitus, & diligēter custoditus fuit. Postridie Eques cruciger, cùm ad ostium fulcris destitutū, progressus esset, decidit, ac collū fregit: cuius cadauer postea humatum fuit.

Post aliquot dies, omnes Mauri, qui in vrbe erant, iuuenes, senes, viri & fœminæ, in veteri foro conuocati fuerunt, ex quibus quinquaginta, propter annonæ defectum, & quia nimis magn⁹ erat eorum in vrbe numerus, nauibus impositi, & cum præsidio 150. classiariorum in regionem *Gomamu* transuecti fuerunt, vt ibi pro bobus, gallinis, porcis & fructibus permutarētur. Sed quia cum Lusitanis transigi non poterat, impetu in eā regionem facto, vi boues abegimus, & nobiscū auexímus. Mauris in quadam insula relictis.

Barbarorū in nostros sæuitia. In illa insula vernantem Indicis & Brasiliensibus arboribus siluam vidimus, quarum pulchritudine delectati nostri nautæ & epibatæ illic aliquantulam moram fecerunt, & pisces ceperunt: quod barbari conspicati, in eos irruperunt, & quosdam sagittis confixerunt, alios clauis suis obtruncarunt: tum ablato reti, & nostris dissectis, in siluam se receperunt. Hoc loco multæ ardeæ circumuolitarunt, escam quærentes.

Ardea.

Incendium. In Helmuti centurionis hospitio accidit, vt cùm Balistarius à rei tormentariæ præfecto, Abrahamo Florino, iussus, quædam tela missilia adornasset, aliquot grana pulueris nitrati in terram ceciderint. Dum autem fumum radicis Nicotianæ hauriret, scintilla, è tubulo delapsa, grana illa accendit: mox flamma vlteriùs serpens in cadum peruasit, & tectum omne disiecit. Balistarius lethaliter sauciatus, ardentibus vestibus, paullo pòst interiit, & tumulatus fuit.

Menses pluuii. Neq; silentio prętereundū est, toto eo tempore, quo hîc fuimus sine intermissione aggeres structos, fossas ductas, & munitiones excitatas fuisse, quę tribus mēsibus pluuiis, Iunio, Iulio, Augusto, qui in hac calida regione pro hyeme habentur, à magnis imbrib⁹ hiantes corruerūt ita vt in illis instaurandis dies noctesque nobis laborandum fuit.

Nauis duodecim Apostolorum. Anno Domini 1625. mense Ianuario nauis veliuola quę duodecim Apostolorum vocabatur, maris pręfectorum iussu, ante Sinum in excubiis stabat, vt si vel amicos vel hostes aduenientes cerneret, tormenti displosione & aplustri erecto signum daret. Cùm igitur nauis illa

tale signum dedisset, è vestigio lembus emissus fuit, qui cognosceret, quid rei esset: compertumque fuit, duas naues ad Sinum tendere. Quamobrem nauis, Veredarius dicta, velis explicatis, è portu soluit, vt illis obuiam iret: tertio autem die, cælo sereno, naues illæ feliciter in portũ appulerunt: quarum vna erat liburnica Hollandica, Canis Venatici nomen gerens: altera, Lusitanica, in itinere ab Hollandis capta, quæ saccharo, ebore & oliuo onerata erat. Ambæ magna cum gratulatione exceptæ fuerunt, displosis per naues atque aggeres tormentis. Adhæc Canis Venaticus nunciabat, classem in Hispanico mari velificari, quæ veniret, vt nos obsidione liberaret: quod nos vehementer exhilarauit. Præterea referebat, tres alias naues, ante classem, secum egressas esse, quæ turbine disiectæ fuerint. *Veredarius.* *Canis venaticus.*

Reparatâ naui Proregis, & aquâ atque annonâ ad quatuordecim dies instructâ, omnes captiui, tam Monachi, quàm nautæ, qui cum Prorege capti fuerant, illam conscendere iussi sunt: quibus permissum fuit, vt quò vellent, abirent, naui præsidiaria & quibusdam celocibus eos per aliquot milliaria comitantibus.

Cæterùm vt nos tantò meliùs contra impetus bellicos defenderemus, aliquot milites cum armis ex vrbe emissi fuerunt, qui domos, munitionem impedientes, destruerent, & ex saxis, quæ in littore iacebant, loricas exstruerent. Cùm in eo aliquot diebus occupati fuissemus, Lusitani in eos impetum fecerunt, quos subsidio ex vrbe misso, profligauimus. Mauri nostri vnum ex illis, qui se in silua abdiderat, ceperunt, & clamantes, saltantes ac tripudiantes ad Chiliarchum nostrũ adduxerunt. Erat is Lusitanus, quem Chiliarcha, armis exutum, Maurorum potestati tradidit. Illi eum cum iubilo & saltu ex porta Occidentali duxerunt, & cultris suis exacutis, circum captiuum, quem procurrere iubebant, saltitantes, ictus mox in caput eius, mox in alias corporis partes inflixerunt, donec vulneribus debilitatus concideret. Ibi omnes in ipsum, velut feles in murem, irruerunt, & eum necarunt. Paullo post nostri triremem ædificarunt: filiæ Gubernatoris vexilla ex panno serico, aurei, candidi. & cærulei coloris, contexuerunt, his verbis adscriptis: *Tandem fit surculus arbor.* Balistarii ante portam Isanecensem suorum mortariorum, quibus pyroboli mittebantur, experimentum fecerunt: quæ disrupta fuerunt. *Triremis.*

Absoluto opere cornuto ante portam Isenacensem, versus oram maritimam, & malo citriâ ei infixâ, milites cum instrumentis, quibus opus fecerant, ad Chiliarchæ domum accesserũt: quorum vnusquisq; lagunculam vini Canariensis accepit. Paullo pòst Ernestus Kiff & Merla, centuriones, cum 150 militibus in paruam insulam, è regione S. Saluatoris, mediocris tormenti iactu inde dissitam, quam proscriptus quidam colebat, missi fuerunt: qui, collectis in ea fructibus, in Sinum, vento secundo, reuersi sunt.

Quemadmodum autem in hac regione crebrò ab hoste inquietati fuimus: ita Lusitani, quodam die, sub diluculum, ante Bastefeldensem portam rursus tumultum excitarunt, & operarios nostros scloppetorum ictibus vehementer infestarunt, munitionibus quibusdam dirutis, quas rursus exstruximus, & eruptionem in monasterium fecimus, vbi aliquot ex hostibus trucidauimus.

Multi ex nostris propter æstum & ad conseruandam valetudinem crebrò in mari natare & se abluere solebant: quod pulsu tympani, sub pœna capitis vetitum fuit. Nam præcedentibus diebus nonnulli milites & nautæ à piscibus & venenatis quibusdã animalibus ac plantis graue damnũ acceperant. Cuius rei exempla quædam commemorabimus. Piscis quidam rapax nautæ cuidam tibias dentibus auulserat, & pudenda fœdo vulnere mutilauerat. Quædam animalia venenata in mari vnũ ex nostris ita pupugerant, & veneno infecerant, vt præ dolore insaniret. Idẽ aliis accidit, qui ab hydris & aliis noxiis animalibus insanabili plagâ affecti fuerunt.

Mense Februario, habito à rei bellicæ præfectis consilio, sub vesperam, ex omnibus cohortibus trecenti armati præter Mauros, in veteri foro, subitò congregati, & duabus liburnicis atq; aliquot paronibus & celocibus impositi fuerunt, ducibus Ernesto Kiff, Burstello, Bastefeldio, Helmuto, centurionibus, & Stobio nauarcho. Illi cursum versus Occidentem in insulam amænam, quæ Taberica nominabatur, intenderunt, & noctu ad littus anchoras iecerunt.

Sole oriente anchoras sustulerunt, & reciprocante æstu fluuium ingressi sunt, ex quo pulchra palatia, molas sacchari, pagos & castella conspexerunt. Incolæ mox concurrerunt, & cursores ipsorum ab vno pago in alium properabant, qui cunctos ad arma vocabant. Sub meridiem, decrescente mari, nostri anchoras fixerunt, & aquis prorsus recedentibus in fundo hæserunt. Iuxta erat siluula, ex arena enata, & proceris arboribus opaca, in qua variæ & mirabiles aues rapaces nidulabantur, quarum nonnullas, quæ præpingues erant, scloppetorum ictibus traiecerunt. Fundũ illius fluuii acutum erat, petrosum, ostreis, conchis, & pomis marinis plenum: ita vt sine calceis per illud incedere non liceret. Simulac fluuius æstu maris intumuit, nostri ad ripam remigarunt. Incolæ, qui fossas interea duxerant, infestis animis glandes in eos torserunt, quæ non plumbeæ sed ex Brasiliensi seu Indico ligno tornatæ erant, & corpus non penetrabant, sed ei adhærebant. Illis quidam ex nostris lethaliter vulnerati fuerunt. *Glandes ligno Indico in nostros torquentur.*

Appetente nocte, nostri ad tres reliquas naues se receperunt, & per noctem in anchoris substiterunt. Manè iterum vela dederunt: sub meridiem, Lusitanorum stationem prǽternauigantes, crebris ictibus ab ipsis petiti fuerunt, qui contraria eiaculatione se vlciscentes ad sua præsidia & castra cursum reflexerunt.

Trium nauium aduentus. Liburnicâ, quæ à Cane Venatico nomen habebat, excubias agēte, ex improuiso tres naues, nempe duæ Hollandicæ, & vna Hispanica, quæ rubrum suum insigne adhuc gerebat, & ab Hollandicis in itinere capta fuerat, portum subierunt. Cùm ante prætoriam nostram velum maius cum aplustri, honoris ergo, submisissent, & nos tribus tormentorum ictibus salutassent, magna cum solennitate exceptæ fuerunt, vexillo Hispanico ex naui capta remoto, in cuius locum Belgicum substitutum fuit. Prætoria vicissim suam auctoritatem tribus ictibus declarauit: quam cæteræ naues, castella, munimenta, propugnacula, quæ circa vrbem erant, simili fragore sequuta sunt. Albertus Prætorius, chiliarcha, quamprimùm ad naues illas accessit, & duas Belgicas visitauit. Prior, Leporis nomen gerens egregia erat, & velis optimè instructa liburnica: altera, S. Iacobi nomine insignis, nauis præsidiaria. Vtraque malos, palas, ligones, marras, vehicula trusatilia, ac præterea centum milites, nauium atque inprimis cohortis prætoriæ supplementa, aduexit.

Posthæc domus annonaria apud nouum templum noctu perfossa, & cadus puluereus furto ablatus fuit. Quamobrē postridie omnis anona militaris in cænobiū Capucinorū, vbi Burstellus centurio suum hospitium habebat, & Minister Ecclesiæ singulis diebus Dominicis Anglicè & Gallicè concionabatur, translata non sine suspicione proditionis. Miles Hybernus, cui nomen erat Danieli Nee, sub Isenaco centurione, furti cuiusdam caussâ, ter fune distentus fuit.

Pugna velitaris. Cæmentarii & lapicidæ ante portam Orientalem, longè supra cænobium, non procul à Lusitanorum castris, calcem & alia necessaria cum præsidio centum scloppetariorum, petitum ibant. Mox Lusitani & barbari primas excubias obtruncarunt, & in nos impetum fecerunt, Arnoldo Schotto, subcenturione, ictu scloppeti percusso: qui in vrbem illatus, & fato functus, postea honorificè, more militari, in terram conditus fuit. Auxiliaribus missis, nostri cum hostibus ita permixti erant, vt hi ab illis vix discerni possent. Multi vtrinque ceciderunt. Tandem tamen hostes in fugam egimus, & ad præsidium nostrum nos recepimus. Inter velitandum quidam Lusitani, tympanistam nostrum comprehenderant, quem pbducere & abtruncare in animo habebant. Extemplò signifer ex cohorte primarii centurionis cum militum manu in eos irruit, & tragulâ suâ quosdam strauit: hoc pacto tympanista liberatus, sed tympanum ipsius amissum fuit.

Nodtii obitus. Hoc mense Dominus à Nodt, Dortii p. m. gener, vltimum vitæ diem clausit, qui postea in nouo templo sepultus fuit.

Ne delicta manerent impunita, Maura, quæ aliquot Mauros cum ipsorum liberis de medio sustulerat, cado in pleno foro imposita, & aquis mersa fuit.

Nuptiæ. Sub id Secretarius, nomine Hasius, qui mercatoribus, eorumque sociis operam nauabat, nuptias cum virgine Lusitana celebrauit.

Cùm miles Argentinensis, sub cohorte Burshi centurionis, excubias in aggere agens, à circuitoribus in somno deprehensus, & latâ sententiâ ad palum, quo scloppetorum ictibus necari debebat, alligatus fuisset, facta pro ipso intercessione, gratiam obtinuit.

Eodem tempore Helmutus centurio excubitoribus ad fossam præerat: qui locus valde periculosus erat, non tantum propter hostem, sed etiam oberrantes immanes crocodilos. *Crocodili.*

Annonæ penuria. Secundùm hæc interdictum, capitis pænâ denunciatâ, publicatum fuit, ne quis feles ampliùs scloppetorum ictibus peteret & interimeret. Nam in vrbe magna erat comeatus, ac præsertim carnium, inopia: ob quam caussam equi, canes & feles ad cibum adhibebantur. Quoniam verò à muribus, tam maioribus, quam minoribus, vsq; adeò vexabamur, vt quietem capere non possemus, & illi, cùm dormiremus, caput, manus, & pedes nostros morsu suo ita læderent, vt sanguis emanaret. felibus securitas publico edicto præstanda fuit. Atq; hoc genus animalis his regionibus admodùm gratum est, quod ex Hispania, Lusitania & aliunde huc adfertur: suntq; feles, qui muriū caussâ 40.50.100. &c. Hispanicis argenteis & duplicibus aureis vendantur: prout Monachus quidam Hispanus, iam octogenarius, Latinâ Linguâ mihi narrauit, in his locis, antequàm à Lusitanis habitarentur, tantam murium copiam fuisse, vt nemo cibum quieto animo capere posset: & Lusitani, quando mensæ accumbebant, vnum atque alterum seruum cum scuticis & scipionibus, qui eos abigerent, ad latus haberent.

Bacchanalia celebrata. Mense Martio Chiliarcha & aliquot centuriones terra mariq; Bacchanalia edendo & potando per octiduum splendidè celebrarunt, ad quæ Proregem captiuum, cum ipsius coniuge, generis, filiis, filiabus & Iesuita sacellano inuitarunt: quo tempore multi ictus ex nauibus & propugnaculis cum pilis versus montem & vrbem displosi fuerunt, ita vt nemo ferè in suo hospitio tutus esset.

Paullo post Albertum Prætorium chiliarcham morbus inuasit, quem vermes spatio viginti quatuor horarū viuū exederunt. Eo postmodùm sepulto, frater ipsius Arnoldus Prætorius, in publico

blico foro primarius centurio renũciatus fuit. In vtriusq; honorẽ multi tormẽtorũ ictus terra mariq; displosi. Sub vesperã navis præsidiaria Hollandica, Ephippium dicta, appulit. Nec multo post Helmuti centurionis propugnaculum altiùs erectum, & malus Punica ei inserta fuit. *Navis Hollandica, Ephippium dicta.*

Perfectis aliquot propugnaculis & operibus cornutis, fundamenta novorum operum jacta fuerunt, in quinus ad finem perducendis misti fossoribus milites summa sedulitate incubuerunt, palis in terram immissis & fastigiatis, machinis vbique dispositis, tribus navibus Vulcaniis ex iis, quæ hosti ereptę fuerant, instructis, duobus castellis dirutis, prætenturâ lapideâ ad oram maris absolutâ, & novem mediocribus tormentis cum falconellis in ea collocatis: adhęc fornace cum gemina craticula, ad ignem perpetuò alendum, quo pilæ inflammarentur, ibidem paratâ, & cadis cum aceto atq; vrina, ad tormenta refrigeranda, circumpositis.

Cùm autem nostri quotidie debilitarentur, contraque Hispani ac Lusitani numero viribusque crescerent, auxiliarem classem, cuius spes nobis facta fuerat, magno desiderio exspectabamus, & liburnicam, quæ Canis Venatici nomen habebat, comeatu pro quatuor hebdomadis instructam, cum celoce emisimus, vt classem illam ad insulam S. Pauli, ad quam convenire debebat, obliquato per Oceanum cursu, vestigaret.

Die 19. Martii manè præpotentem classem sub castello S. Antonii in anchoris stantem conspeximus, neque perspicillis, vtrum Hispanica an Belgica esset, diiudicare poteramus. Cymbæ Lusitanorum hinc inde se aggregabant, & ad castellum contendebant. Nostra navis, quæ in excubiis stabat, aplaustri erecto, & tormento ter disploso signum dabat, & sublatis anchoris ad nos accurrens significabat, Hispanicam classem adventare. Interea quoniam à captivis magnum pretium pro redemptione sperabamus, proximo Paschate hilaria celebrare constitueramus: quod tamen factum non est, chiliarcha edicente, vt ex singulis cohortibus quindecim milites in veteri foro se sisterent: quod nobis mirum videbatur. Evocatis in aciem dispositis, Vogelsang, Helmuti centurionis legatus, ipsis præficitur: Curtio, stabuli magistro, vexillum committitur: quibus aliquot ordinum ductores adiunguntur. Iidem sub fide data admoniti, vt præfectis suis parerent, explicatis vexillis, ex monte deducuntur, vt orã maris, quæ parùm adhuc munita erat, tuerentur. Milites dies noctesque fodiendo & munimentis excitandis laborabant: naves omnes littori, quàm proximè fieri poterat, admovebantur: quinæ juxta maius propugnaculum in mari coniungebantur: quacunq; transitus patebat, ligna ad palos & sepimenta erigenda conuehebãtur, & fossæ ducebantur. Quatuor omninò naves bellicas habebamus, quas Willekesius archithalassus nobis reliquerat: Tigridem, Vltraiectum, Samsonem, Græningam: reliquæ naves hosti ereptæ, aut liburnicæ solummodò erant: nempe, Ephippium, S Iacobus, duodecim Apostoli, Fistula, Veredarius, Lepusculus, phaselus & aliquot celoces: præterea tres naves Vulcaniæ, pyrobolis, harpagonibus, sulphure, pice & aridâ materiâ instructæ, cum aliquot tormentis, quæ pulvere & pilis onerata erant. His viribus nostra classis tunc constabat. *Aduentus classis hostilis.* *Vires nostræ classis.*

Sub vesperam classis Hispanica plenis velis à tergo castelli S. Antonii, vbi copias in littore reliquerat, aducta est, & sinum Omnium Sanctorum formâ dimidiatæ Lunæ circumclusit, ita vt ne canis quidem elabi potuisset. In ea erant 54. prægrandes naves, cum dromadibus & liburnicis, &c. Nostri ex castello S. Philippi tormentorum ictibus eam incessebant: verùm noctu omnem annonã militarem in vrbem S. Salvatoris transtulerunt. Hispani noctu in monte patibuli, è regione portæ Isenacensis, propugnacula & loricas, 24. pedes latas excitabant, & vimineis cratibus, vt postea vidimus sepiebant: in quæ alacriter, displosis tormentis, fulminavimus.

Die Paschatis sub meridiem trecenti electi, qui eruptionem facerent. Helmut centurio primam aciem, postremam Ernestus Liff ducebant: qui divisis copiis ante Isenacensem portam in Hispanorum castra impetum fecerunt, & trucidatis excubitoribus cœnobium invaserunt. Adiuvit Deus copiolarum nostrarum conatus: ita vt ex legionibus Hispanicis aliquot centeni trucidarentur, & Itali ac Neapolitani laborantibus succurrere cogerentur. Nos clanculùm ad Occidentalem portam nos subduximus, & per totam diem levibus præliis certavimus. Hostis nos acriter persequebatur: sed tormenta nostra, forcipibus nauticis, catenis, pilis &c per aërem stridentia, frænum ei iniecerunt: quibus etiam non pauci, atque inter eos vir quidam primarius, ferrea thorace, clypeo & lanceâ armatus, prostrati fuerunt. Ex nostris, per Dei gratiam, vnus tantùm aliquot vulneribus acceptis in vrbem rediit, ex quibus postea decessit. Si aliis præterea trecentis militibus in vrbe carere potuissemus, maiorem hosti cladem intulissemus. *Eruptio.*

Hispanorum numerus nostro decies maior erat & illi nos exercitu triginta millium hominũ, ac mille quingentis machinis, terra marique obsidebant, opera nostra dies noctesque destruentes, & tormentorum ictibus ruinam in iis edentes, sex propugnaculis ante Isenacensem portam excitatis. Etsi verò longè potentissimi, & interdiu suis tormentis superiores erant tamen noctu scloppetis nostris prævalebamus, & destructa opera ac propugnacula nostra instaurabamus: sic vt ternis horis vna pars militum opus faceret, altera pugnaret, tertia somno ciboq; se reficeret. Atq; hoc modo exiguis nostris copiis vrbem amplam quatuor hebdomadis defendimus. Nam crebris

eruptionibus nocturnis hostem fatigabamus, excubitores eius confodiebamus, & castra Hispanorum tumultu ac pavore complebamus, ita vt se mutuò nonnunquã incesserent & conficerent.

Contrà hostis dispositis circum vrbem quamplurimis majoribus & mediocribus tormentis ac falconellis, vrbem transversis ictibus quatiebat, & nostras ædes ac munitiones ita perterebrabat, vt in iis vix subsistere, nec vsquam tutum receptum habere possemus, pilis per omnes plateas volitantibus. Adhæc tormenta contra oram maritimam direxerat: nam montes, quos insidebat, vrbe altiores erant, ex quibus pilas in nostras naves jaculabatur. Nostræ naves vicissim propugnaculis ejus non parcebant: & lapideum munimentum, quod in mari erat, non feriabatur. Multi tamen ex nostris in nauibus perierunt: nam Hispani eas omni telorum genere assiduè infestabant: quo fiebat, vt asseres fracti brachia & pedes nostrorum concuterent ac discerperent, cruore per foramina, quibus sentina expurgatur, manante. Quam ob caussam nostri, relictis navibus, saucios & occisos exportarunt, illis in nosocomium, vbi curarentur, delatis: his verò terræ mandatis. Cùm autem naves nostræ exceptis Vulcaniis, maxima ex parte demersæ, & loricæ deiectæ essent, hosti, tensis velis, prospectum in vrbem ademimus.

Durante hac vehementi obsidione, accidit, vt miles quidam sub porta Isenacensi per trihorium, quod ipsi ad quietem concessum erat, in pluteo dormiret. Ibi pila mediocris tormenti ex monte emissa pedem ei abstulit. Ille exporrectus clamat, væ pedi meo: moxque altera pila advolat, quæ ipsum capite truncat. Similis ferè casus balistarium apud eandem portam in sinistro propugnaculo oppressit. Nam dum fumum radicis Nicotianæ ex tubulo haurit, pilã in ipsum contortus fuit, vt præter intestina & barbam parieti adhærescentem, atque aliquot costas per plateam sparsas nihil ex ipso superesset.

Quamuis autem hostis satis superque hactenus in nos sæviisset: tamen eo non contentus, tudites ex Brasiliensi & Indico ligno tormentis suis infarsit, vt damnum nobis inferret.

Georgius Ziglerus, ariolus.

Erat inter nos miles Anglus, cui nomen Georgio Ziglero, sub Ioanne Isenaco, centurione. Is vaticinabatur, classem nostram auxiliarem non procul abesse: cui Arnoldus Prætorius, chiliarcha, fidem adhibebat, & propterea eum à vigiliis atq; operibus immunem præstabat, ad mensam suam admittebat, & multum radicis Nicotianæ ac vini Canariensis ipsi in hospitium submittebat.

Naves hostium repulsæ.

Cùm Hispani suas naves ad littus propiùs admouerent, nostri ex tormentis ad oram dispositis pilas ardentes tantâ vi in eas jecerunt, vt sublatis anchoris retrocedere cogerentur.

Nocturno tempore, quod nemini amicum est triginta lembi remis ad nos contenderunt, qui oram maritimam occupare, & inde transitum ad montem aperire moliebantur. Etsi verò nullas ibi munitiones haberemus, præter vnam loricam, quę vix à maioris scloppeti ictu tuta erat: tamen, suspenso velamine, totum illud spatium muricibus constravimus.

Ad meliorem nostri defensionem, militibus in singulis stationibus missilia ignita cum hastis suppeditata fuerunt, quibus hostem, si fortè impressionem faceret, repellerent. Displosis autem à lignea turri aliquot tormentis, lembos hostiles appropinquantes abegimus

Damnum à tormentis hostilibus.

Dominica Misericordiarum cùm minister Ecclesiæ manè concionem haberet, Hispani tormentis tanto furore contra templum fulminarunt, vt pila vno ictu tres nautas pedibus mutilaret, & Minister alio loco concionari cogeretur.

Eadem tormentorum tempestas chirurgo in nosocomio, postquàm sauciorum vulnera obligasset, caput decussit, & multos ægros, atque inter eos magistrum Mauritium Hamburgensem, afflixit. Interea singulis diebus preces duabus horis in omnibus stationibus habebantur.

Horæ precum.

Neque intermittebat hostis vrbem transversis ictibus dies noctesque verberare, quibus non tantùm munitiones sed etiam machinæ nostræ diruebantur, multique in vrbe à trabibus & lapidibus fractis interficiebantur. Nos partes quasdam à tormentis fractis abrasimus, vt iis ad defensionem nostram vti possemus: quod etiam ab Hispanis in ipsorum castris factum est.

Tandem mercatoribus & eorum sociis atq; adjutoribus imperatum fuit, vt saccos pararent, qui à quinquaginta viris, quibus id negotij datum fuerat, terrâ implerentur, vt ruinæ illis farcirentur.

Proditores puniti.

Dum in his angustiis versaremur, Anglus, ex cohorte Helmuti centurionis, ex desperatione ad Hispanos transfugit: idem paullo post Gallus quidam fecit. Huius duo contubernales, vnus itidem Gallus, alter Lusitanus, sub vesperam capti, & in quæsitoris ædes ducti fuerunt: qui sponte quidem nihil fateri volebant, sed quæstione habita confessi sunt, se in animo habuisse, pulverem nitratum juxta stationem apud sepimentum incendere, & locum ad agendas excubias in ora maritima designatum hosti tradere. Ob eam caussam vterq; noctu patibulo suffixus fuit.

Quid naves Vulcaniæ effecerint.

Post aliquot dies quidam nobilis, Ernestus Schawer nomine, cùm in opere cornuto ad vexillum Arausionense excubaret, de compositione desperans, per palos, contra hostilem impressionẽ terræ

terræ infixos, transiliit, & ad Hispanos confugit: quem illi, vt vidimus, præsidio stipatum, è vestigio ad Hispanici archithalassi navim transvexerunt.

Duæ nostræ naves Vulcaniæ, in quibus sex viri erant, ad prætoriam Hispanicam & Lusitanam duci debebant, vt hostilem classem incenderent. Etsi verò Cæsar centurio vtramque eò vsq; promouerat, vt ambulacrum prætoriæ Hispanicæ jam arderet: tamen ignis extinctus fuit. Interim catenâ, ad quam anchora alligata erat, fractâ, vna ex navibus Vulcaniis à prætoria illa recessit: tum hostis, qui de hoc stratagemate præmonitus fuerat, prætorium celocibus, dromadibus & lembis in semicirculi formam circumsepserat. Altera, à navibus, quæ in excubiis stabant, capta fuit: ex qua duo nautæ protinus exsilierunt, & sub aquis aliquandiu natarunt: qui tamen ab hostibus comprehensi fuerunt. Quale ab ipsis præmium retulerint, facile est existimare. Tres alii, inter quos præfectus rei tormentariæ fuit, in cymba salvi euaserunt. *Quid naves Vulcaniæ effecerint.*

Propter istas naues Vulcanias classis Hispanica anchorarum suarum funes inciderat, & noctu per Sinum oberrabat. Eo tempore prætoria Neapolitana, vado illidens, damnum accepit: ob quam caussam postridie in insulam Tabericam vela fecit, vt illic instau aretur, & rimæ obthurarentur. Contra militarem morem accidit, vt in minori cœnobio, noctu, horæ aliquoties sonarent: quod pro periculoso signo habitum fuit. *Horarum sonitus.*

Post aliquot dies Hispani, ductis fossis & aggeribus excitatis, tam propè ad vrbem accesserāt, vt tantùm jactu lapidis ab ea abessent, & nobis die ac noctu pugnandum esset.

Sub id Arnoldus Prætorius, chiliarcha, sub pœna capitis interdixit, ne nostri amplius pugnarent, & ne balistarij tormenta contra Hispanos disploderent, jussitq;, vt opera intermitterentur: cui interdicto qui non pareret, in eum se exemplum, quo alii sapere discerent, editurum minabatur. Quoniam verò nostri per hoc interdictum in manifestum periculum conjiciebantur, quidam milites, vt ei præverterent, in veteri foro convenerunt, chiliarcham quærentes, cui hoc exprobare volebant. Eo cognito, ipse prodit, & milites his verbis superbè compellat: Quid vultis canes? cur non ad stationes vestras reditis? Cui illi responderunt: Te quærimus, proditor: & cum dicto scloppetis in caput impactis, eum humi strauerunt. Intercedentibus verò quibusdam præfectis, capite sanguinolento ex manibus eorum evasit. Neq; tamen milites quieuerunt, sed quosdam ex sanctiori consilio sceleris conscios quæsiverunt, & captos in vincula duxerunt: tum lupanaria eorum ad quæ Chiliarcha excubias posuerat, diripuerunt & expurgarunt, donec de caussa cognosceretur. Postridie novus Chiliarcha, Ernestus Kiff, à Ministro Ecclesiæ, cui potissimùm post Deum fidebamus, in cœtu solenni propositus, cui milites sacramento se obstrinxerunt, quòd cum ipso viuere & mori vellent, Burstellus primarius centurio creatus fuit. Etenim constabat nobis, Hispanos trans lineam Æquinoctialem, versus polum Antarcticum, nulli vitæ gratiam facere sed alios igne S. Antonii, alios S. Francisci cannabe punire, quosdam in quatuor partes secare, nonnullos tergis oppositis colligatos in mare præcipites dare. *Interdictū, quo pugna prohibetur.* *Illius reprehensio.* *Ernestus Kiff creatur chiliarcha.*

His omnibus peractis, egregius ordo inter milites obseruatus fuit. Ante Bastefeldensem portam tam acriter pugnarunt, vt hoste propinquo vexillum, quod in opere cornuto erectum erat, crebris scloppetorum displosionibus decideret. Signifer autem, eo recuperato, lethaliter ictus fuit. Ex viginti vexillis, quæ habebamus, duo singulis munitionibus infiximus. A turri autem novi templi prætorianum vexillum cum insignibus Ordinum dependebat, vt si classis, cuius spes nobis facta fuerat, ad nos liberandos aduentaret, ea perspicere posset, vrbem adhuc in Belgarum potestate esse: quam tamen classem frustra exspectauimus. Dum nostri cum hoste tam animosè certarent, quidam miles omnia sua pulueraria evacuauerat, qui vallo conscenso, vt à præfecto armorum novum puluerem cum globulis acciperet, ardentem funiculum imprudenter cado pulvereo admouit, in quem cùm scintilla incidisset, eo flammam concipiente, totus militum manipulus lethalibus vulneribus deformatus fuit. Nostri hostilem impressionem quotidie exspectabant, & eius magno desiderio tenebantur, vt tandem finem tot laborum ac miseriarum inueniremus, & constitutum nobis erat, tamdiu pugnare, quàm pedibus insistere, & venas mouere possemus: nam aut moriendum nobis, aut remos per omnē vitā ducendos arbitrabamur: tum si res ad extremum deueniret, ad domum militaris annonæ receptum habere, in qua aliquot centeni cadi pulueris nitrati asseruabantur, & in ea, quamdiu vita & vires superessent, dimicare: ac postremò, rebus omnibus desperatis, ignem pulveri iniicere, & nos cum hoste perdere. Verùm hostis metu cuniculorum, quos à nobis actos putabat, oppugnationem non tentauit. Totus Senatus bellicus pulsu tympani promulgandum curauit, si quis opus facere vellet, eum certam mercedem accepturum. Nam omnia nostra propugnacula, omnes loricæ ac prætenturæ jacebant, & ædes in vrbe prostratæ erant, vt ultra triduum in ea subsistere non potuissemus nisi noctu novos aggeres, pluteos & vineas struxissemus, quibus 70. maiora & minora tormenta imponenda erant. Et quia mortaria nostra, vt supra diximus, disrupta fuerant, nova ex ligno, crassis & ferreis circulis colligata, fabricauimus, quibus hostium castra infestaremus. Mense Aprili, mandato in Hispanorum castris publicato, statim magnæ copiæ, explicatis signis, hac illac incedere visæ sunt: ex quo spem concepimus, fore, vt Hispani tandem aliquando vehementem impressionem facerent, quos etiam tormentis & scloppetis assiduè lacessebamus. Copiæ illæ ex propugnaculis & effossis circum vrbem prodibāt, & capitibus apertis *Ordo inter milites. Vexilla erecta.* *Pulvis incensus damnum dat.*

Hispani nostris colloquium offerunt. significabant, se amicè nobiscum transigere, & ea de re colloquium instituere velle. Itaque missus fuit vtrinq; tympanista: & mox castrorum præfectus, qui erat eques aureæ clavis, cum tribuni legato à partibus Hispanorum colloquij caussâ accessit, qui oculis tegumento obductis in vrbem intromissus fuit. Vicissim à partibus Belgarum Guilhelmus Dortius, Bastefeldius & Merlinus, centuriones, in castra Hispanorum exiverunt, vt obsidum loco essent. Tunc pactæ in biduum induciæ, *Induciæ in biduum, & primum colloquium.* pro neutri parti aliquid munire aut reparare licebat. In primo colloquio exteris nationibus vitę incolumitas concessa, Belgis autem negata fuit: & exteri absq; armis & sarcinis exire jubebantur.

Hispani volunt vrbem ingredi. Interea cohors Hispanorum cum scloppetis & sarissis prope ligneam turrim ad oram maritimam accessit, & vrbem intrare volebat: quam colloquendi rationem nostri admirabantur, qui eos monuerunt, vt sibi ab ictibus tormentorum, quæ jam in ipsos directa erant, caverent. Ibi dux eorum linguâ semibelgicâ nostros ita compellauit: Domini milites, ne rixemur apud stationem: nos sumus vestri amici. Cùm eos admittere nollemus, per palos & sepimentum nostrum transire, & montem ascendere volebant: sed illis repulsis signifer & centurio cum Lusitano apud nos manserunt: quos oculis velatis admisimus, & adventum ipsorum chiliarchæ nostro nunciavimus.

Transactio. Mox Burstellus, primarius centurio, ex vrbe venit, & transactum esse significauit, Hispanosque in stationem duxit, quibus post lagenam vini tubulum radicis Nicotianæ obtulit, eosque per loricam transeuntes dimisit. Postridie nostri præfecti per omnes stationes exposuerunt, quo pacto transactum fuisset: vt nimirum explicatis signis, cùm sarcinis, quātum sub brachiis ferre possemus, funiculis vtraque extremitate ardentibus, scloppetis oneratis, & globulum ore tenentes ad oram maris exiremus: Hispanos extra vrbem mansuros, & septem naues instructas cum commeatu ad littus adducturos, in quas vnaquæque cohors sua arma per præfectum armorum inferenda curaret: deinde vna post alteram eas ingrederetur. Ad hæc conuenit, vt tota classis Hispanica sub castello S. Philippi in anchoris consisteret: Quod ex parte observatum fuit. His conditionibus nostri acquieuerunt.

Hispanicum mandatū. Die 18. April. à meridie ab Hispanis, gravi pœnâ denunciatâ, promulgatum fuit, ne quis in suo hospitio vllam spondam, tabulam, sellam, abacum, cistam aut quodcunque aliud genus supellectilis concideret aut vastaret.

Excubiæ Hispanorū. Die 29. eiusdem mensis singulæ nostræ cohortes in pleno foro in aciem dispositæ fuerunt. Hispanicus autem designator hospitiorum suis in vrbe hospitia assignabat, & Hispanorum excubiæ suis locis dispositæ fuerunt. Cùm duas circiter horas in foro substitissemus, legio Hispanorum per Bastefeldensem portam ingressa, nos circumdedit: fuitque in ea Tribuni legatus, qui linguâ Brabanticâ nobis significauit, vt arma deponeremus: quod cum facere detrectaremus, quęsiuit ex nobis, an putaremus, benignè & ex pacto nobiscum actum iri: Fallimini, inquit, si id speratis: nam Rex Hispaniæ nunquam sub polo antarctico & linea Æquinoctiali salvum conductum dedit. Hispani in vrbe obambulabant: Italis autem, Neapolitanis, Lusitanis & aliis in castris manendum fuit.

Belli duces Hispanorū. Toti exercitui cum summo imperio præerat Fridericus Toletanus, princeps alacris & magnanimus: proximum ab ipso locum tenebat Alphonsus, ex stirpe regum Lusitaniæ, vir senex, vt apparebat: tum Marchio Neapolitanus, & is, quem dixi, eques aureæ clavis. Erant præterea inter Hispanos multi equites Melitenses & crucigeri, & centeni aliquot nobiles cum galeis coronatis: item, Iesuitæ, Monachi, &c. qui omnes in veteri foro stabant, & Hispanicum vexillum in turre novi *Triumphus.* templi magnâ pompâ erexerunt, Belgico remoto. Tubicines alacriter concinebant, & tormenta terra mariq; displodebantur: noctu etiam pyroboli in aërem iacti fuerunt.

At præfecti Hispanicę classis, nempe Hispaniæ, Lusitaniæ, Neapolis & Piscaræ architkalassi, ex nauibus suis ad nostras, quæ tormentis perterebratæ & aquis mersæ erant, provecti, eas visitarunt, & ablatis nostris vexillis, instaurandas curarunt. Hispanica quoque liburnica Mantuam Carpetanorum missa fuit, procul dubio, vt vrbis receptæ nuncium Regi Hispaniarum afferret.

Imagines ab Ecclesiasticis restitutæ. Inter multa alia, quæ breuitatis caussâ nunc omitto, Iesuitę navigium imaginibus plenum advehendum curarunt: pulpita, ex quibus Belgicus Minister concionatus erat, virgis & scuticis à Monachis repurgata: omnia nostrorum cadauera effossa, & aliò translata, excepto Dortii cadavere, cuius scutum, ensis & calcaria coccineo holoserico obtecta fuerunt. Sacerdotes sua sacra in vrbe S Salvatoris, more solito, peragebant.

Introitus supremi Hispanorū præfecti. Mense Maio, sparso rumore de supremi classis præfecti adventu, milites se ordine in turmas composuerunt. Præcedebant aliquot tubicines: sequebantur tres tribuni militum: deinde duo Principes Lusitani & Neapolitani incedebant: tum supremus classis præfectus gradum inferebat: cui omnia Hispanorum vexilla, more militari, signum reuerentiæ exhibuerunt, & scloppeta aliquoties ante ipsum disploserunt: post ipsum equitabat generalis præfecti cubicularius, insidens equo cum thorace candido, aureis segmentis interstincto, & gestans dextrâ vexillum, auro, margaritis & gemmis ornatum: in cuius vno latere virga Maria cum puerò Iesu, in altero Hispanica insignia

signia acu picta erant: agmen claudebant multi equites crucigeri. Cùm hi omnes ad oram maritimam in qua stabamus, venissent, nostri omnes armis exuti, & navibus tormentorum ictibus perterebratis impositi fuerunt. Mauri, tam viri quàm fœminæ, qui nobis in vrbe adfuerant, capiebantur: signa corporibus eorum inurebantur: iidemque rursus tanquam mancipia divendebantur: qui verò arma contra hostes gesserant, vnà cum Lusitanis, qui nostras partes sequuti erant, inter maleficos numerebantur, & vinciebantur. Qui ex nostris ægroti aut sauciati erant, eos Hispanicus archithalassus in littore manere jussit: quibus vinum, carnes, mala aurea, aliaque, quæ ad ipsos recreandos faciebant, suppeditari curavit: & præter nostros chirurgos, suos medicos castrenses illis operam nauare voluit. *Naves descendimus. Mauri & Lusitani puniuntur. Cura ægrotorum.*

Secundùm hæc Gallus quidam, ex Hispanica classe, popularibus suis, qui erant in cohorte Burschii centurionis, proditionem detexit, dicens: se noctu aliquoties in vrbe fuisse, vbi quamprimùm vestes Hollandicas acceperit, in quibus cum quodam ex nostris præfectis per vrbem circumiverit, & litteras quasdam non solùm reddiderit, sed etiam ad supremum Hispanorum ducem perferendas acceperit: vnde apparet, Hispanis rerũ nostrarum statũ notiorem fuisse, quàm nobis ipsis. *Proditio detecta.*

Præterea ante sinum Omnium Sanctorum quædam Belgicæ naves conspectæ fuerunt, de quibus postea Roterodami intellexi, fuisse eas naves quæ antehac Angolam missæ fuerant, vt ibi aliquid tentarent, quæq; ad insulam Spiritus Sancti appulerint, vbi parùm profecerint, & ab incolis malè habiti fuerint: ita vt pauci ex ipsis domum redierint. *Naves Hollandorum ab insula Spiritus S. venientes.*

Post hæc quidam navarchi cum aliis ex sanctiori Hollandorum consilio coram Hispanico Senatu producti, à quibus rationes de thesauro, qui Proregi Peruano & Gubernatori Rio de Plata ereptus fuerat, vt supra dictum est, repetitæ fuerunt: quem etiam integrum & secundùm omnes partes, quæ descriptæ fuerant, restituere coacti sunt. *Rationes à nostris repetuntur.*

Mense Iunio magnus tumultus per totam vrbem S. Saluatoris excitatus fuit: tunc multa millia militum ex Hispanica classe, signis explicatis, ex vrbe educti sunt, partim vt nauibus bellicis, præsidii loco imponerentur, partim vt oram maritimam & castella tuerentur. Hi tormenta nostra disploserunt, & navibus, in quibus velut captiui detinebamur, aliquot scloppetarios imposuerunt: contra quas aliquot tormenta Gallica disposuerunt. *Tumultus in vrbe S. Salvatoris.*

Paullo pòst noua classis Hollandica, quæ circiter 30. navibus constabat, ad insulam Tabericam appulit. Hispani tantùm anterius velum expanderunt, præmissis aliquot navibus Gallicis, Hamburgensibus & Dunkerkanis, quas ad hanc expeditionem adegerant: meliores suas naves post principia retinuerunt. Præcipua tamen Hispanorum navis, nempe prætoria Neapolitana, apud insulam Tabericam in periculo versabatur, vt & aliquot aliæ naves Hispanicæ prope littus hęrentes, quæ eo admotæ fuerant, vt farcirentur, obstruentur & pice obducerentur. Cùm naves Hispanicæ à Belgica classe tantùm dimidii jactus maioris tormenti intervallo abessent, quamprimũ aliquot ictus contra eam disploserunt, & anchoras jecerunt: quibus rursum solutis novam classem ad littus allicere conabantur. Noster autem archithalassus, vnico ictu disploso, signum suis dedit, vt anchoras tollerent, & vela darent: quod ideò faciebat, vt Hispanicam classem in apertum mare attraheret, & cum ea confligeret: quo tamen illa adduci non potuit. *Nova classis Hollandica.*

Postridie nostri rursus ante fauces Sinus comparuerunt, & cursum suum ab vna parte in aliã obliquarunt: nihilominus Hispani intra Sinum se continebant.

Postmodùm aliquot Lusitani, qui à nova classe Belgica capti fuerant, cùm dimissi fuissent, suis retulerunt, archithalassum Hollandorum non tantum ipsis vitæ gratiam fecisse, sed etiam se ab eo benignè habitos fuisse: in navi ipsius tantum sexaginta superesse, qui integræ sint valetudinis: eundem duas liburnicas fæminis refertas penes se habere. *Lusitani à Belgis benignè habiti.*

Classis Hollandorum vt postea compertum est, gravi infortunio conflictata est. Nam & morbis admodum debilitata, & tempestatibus dissipata fuit, prætoria ipsorum à reliqua classe avulsa: sicut nauta quidam, qui in liburnica erat, mihi Plimmuthi in Anglia narravit: qui etiam dicebat, se à procella jactatum, maiorem malum amisisse, & eius loco alium ex ligno Indico in Americana quadam insula inseruisse. *Classis Belgica adversâ fortunâ conflictatur.*

Hostes antehac veteres nostras naves partim demerserant, partim tormentorum ictibus laceraverant, quas nostri nautæ, architecti & naupegi, ex mandato Hispanorum, aquis antliâ exhaustis rursus erexerunt, & malis, velis aliisque instrumentis nauticis instruxerunt: ad quod opus nolentes volentes adacti, iter quoq; in Hispaniam facere, & in navibus mancipiorum instar operari coacti sunt. Postremò Fridericus Toletanus, supremus classis Hispanicæ præfectus, conuiuium instituit, ad quod nostrum chiliarcham, centuriones, atq; etiam concionatorem invitavit. *Naves Belgicæ reparata. Conuiuium Hispanicũ.*

Profesto Ioannis, Hispani trium navium Ioannis nomine insignitorum festa inauguralia hoc modo celebrarunt: Nocte, quæ festum præcessit, tres ardentes lucernas carchesiis omnium nauiũ affixerunt, quæ in aëre stellarum instar lucebant: tum letaniam linguâ Hispanicâ cantarunt: die festo manè tres modò dictas naves vexillis suspensis decorarunt, & omnia tormenta disploserunt: *Ioannis festum ab Hispanis celebratum.*

scloppetarii quoq; aliquoties strepitum, exoneratis scloppetis, ediderunt. Idem factum die festo Petri & Pauli, atq; eædem cæremoniæ obseruatæ. Supra dixi, septem naves ab Hispanis nobis concessas fuisse, à quibus partim remi, partim vela ablata & in littus transportata fuerunt, ne fugam capessere possemus. Nomina earum erant, Rex David: Barbarus Turca, in cuius ambulacro S. Michel depictus erat: duæ naves Hamburgenses: duæ Gallicæ: aureus Sol, quæ navis Dunkerkani cujusdam erat: omnes naves, invitis dominis, ad Hispanis subseruiendum compulsæ. His actis, Lusitani, iustinctu suorum Consiliariorum, à supremo Hispanicæ classis præfecto & aliis Principibus petiverunt, vt sibi liceret, quoniam ditiones eorum spoliassemus, & Rex Hispaniæ nostrâ causâ tantos sumptus facere coactus fuisset, nos inermes trucidare, & naues, in quibus eramus, incendere: cui petitioni classis præfectus locum nō dedit, sed Lusitanos hoc responso scoptico à se dimisit: se captivis arma restituturum, & eos in apertum campum producturum: tunc ipsis liberum fore, eos trucidare: cur non suam virtutem, dum vrbs obsessa esset, in Belgis trucidandis demōstrassent?

Festum Petri & Pauli.

Tandem omnes naves, quibus nos conclusi detinebamur, visitatæ fuerunt, & mandatum vt ipsis de aqua dulci prospiceretur. Mox Hispanicam annonam accepimus, hoc est, nihil panis, quem quatuordecim hebdomadum spatio non gustavimus, sed quatuor in diem libras farinæ ex radice contusa, quali barbari in his regionibus vescuntur, cū lagenula aquæ. Spes quoq; nobis facta, nos Phernabucū velę facturos, ibiq; annonā pro tribus mensibus accepturos: quod tamē evētu caruit.

Executio Hispanica.

Mense Iulio à delegatis executio Hispanica instituta. Lusitani, qui in vrbe à nostris partibus fuerant, Monachorum vestibus induti, in viridi foro prope collegium Iesuitarum suspensi fuerunt. Idem factum duobus militibus qui ex prouinciis Regi Hispaniæ subiectis orti, contra eū arma gesserant, & nobiscum ex Hollandia profecti erant. Franciscus centurio & ipsius officiales ex Maurorum cohorte, fœdo loco in furcam acti, & post mortem in quatuor partes dissecti ac palis in via pulica affixi fuerunt. Navibus nostris rursum instructis, & à littore deductis, Hispani eas, vt suas, consecrarunt, & novis vexillis Hispanicis ornarunt: quibus etiam tormenta nostra, quæ in littore jacebant, cum omni annona militari restituerunt. Lusitani vrbem S. Salvatoris, quam Hispanicis armis recuperauerant, redimere, & duplex tributum quotannis in ærarium Hispanicum inferre coacti sunt. Illis Gubernator præpositus: collegia & cænobia Iesuitis ac monachis repleta: munitiones, quas nos struxeramus, dirutæ: agger perfossus: novæ ædes in suburbio conditæ: legio Lusitanorum, præsidii loco, vrbi imposita: & commercium cum Hispania ipsi permissum fuit.

Naves nostræ ab Hispanis consecratæ.

Adhæc Lusitanos sua tormenta ab Hispanis redimere oportuit, qui vrbem valde spoliarunt, & naues suas Indico & Brasiliensi ligno, radice Nicotiana, saccharo, aromatis, tabulis, sedilibus, aulæis & supellectilibus, quæcunque corradere potuerunt, onerarunt.

Supplicationes generales.

Insuper supplicationes per totam vrbem à Principibus, Equitibus crucigeris, Iesuitis & Monachis institutæ. Et quia præfecti nostri jus gladii receperant: tres milites & vnus nauta ad patibulum damnati fuerunt. Ii erant tympanista primarius, Ioannes Harlemensis, quidam Amstelrodamensis, balistarii cuiusdam ancilla in naui Græningensi, sub imperio Ernesti Kiff: qui omnes noctu ad palum strangulari debebant. Hoc judicium tres viri ex singulis cohortibus exercebant, nempe centuriones, primipilares, decuriones, milites primarii & excubitores. Verùm damnati sententias contra se latas retractabant, neq; se judicio submittere volebant, dicentes: Quid, vos judices, nos condemnatis? vos patibulo digniores estis, quàm nos, qui contra leges belli non peccavimus. Nihilominùs ipsis moriendum fuit: & postquam strangulati fuissent, saxis & ponderibus collo eorum alligatis, ipsi in mare projecti fuerunt. Qualis hæc justitia fuerit, cuius ipsemet spectator fui, prudentes facilè arbitrabuntur. Deus judicabit.

Supplicium de quibusdā in navibus sumptum.

Discessus classis Hispanicæ.

Ineunte mense Augusto, sub vesperam tormentum maius in prætoria Hispanorum displodebatur: quod erat signum instantis discessus. Quapropter postero die totus exercitus Hispanicus ad naves deductus, & nostris septem navibus vela cum remis restituta fuerunt, Arnoldi Prætorii cohorte inter cæteras distributâ: Sole occidente classis Hispanicæ præfectus alterum signum dedit, disploso tormento: quod nos lętitiâ affecit, quia sperabamus, liberationem nostram appropinquare. Fridericus Toletanus cum aliis principibus omnes naves, dromades & liburnicas circumivit & visitauit: in cuius honorem omnes classiarii in foris conveniebant, & ipsi felix iter apprecabātur, navarcho fistulâ suâ ludente. Die 19. modò dicti mensis, horâ tertiâ pomeridianâ, præfectus classis tertium signum dedit, edixitq;, vt omnes anchoræ solverentur, & cum fluxu maris vela darentur: in quem finem septem nostris navibus litteras salui conductus misit, & tormenta atque annonam in alvo nauis collocari curavit, præcipiens, vt interdiu suum vexillum Hispanicum, noctu tædam ardentem sequeremur. Cùm vela faceremus, tormenta pro felici itinere ex ora maritima, castellisq; S. Philippi & Antonii, in honorem Regis Hispaniarum, præfecti & totius classis displodebantur. Sub vesperam eiusdem diei, quia classis vento aduerso huc illuc agitabatur, grauiores naves Hispanicæ, propter præsens periculum, velificationem conuerterunt, & medio velo expanso in Sinum Omnium Sanctorum redierunt: vento à puppi eas persequente. Quamvis autem Rex Dauid jam in alto versaretur, tamen cursum inflexit: verùm Ernestus Kiff chiliarcha, qui erat in naui Gallica, & maior Hamburgensis se non verterunt, sed omnibus velis expansis procurrerunt.

Nos, qui eramus in navi S. Michaelis seu Barbaro Turca, nostra quoque vela omnia expandimus, & inter prætoriam Hispanicam ac Lusitanicam velificati sumus: classis Hispanica rursus anchoras fixit: nos biduum obliquato cursu ex Sinu egredi non poteramus. Noster navarchus cursum retrò flectere, & ad Hispanicam classem reverti volebat: sed minis eum adegimus, vt insulam S. Pauli peteret, & anchorā illic jaceret. Nā si reversi fuissemus, præfectus Hispanicę classis nobis iterū manus iniicere, & nos in seruitutē redigere, aut prorsus de medio tollere poterat. Quare jactis prope insulā S. Pauli anchoris, mane eā circūnavigauimus: tū continuato nostro cursu, Americæ orā legimus, Deo cū gaudio gratias agētes, quòd tādē ex captiuitate & jugo servitutis evasissemus.

Discessus barbari Turcæ.

Cùm per triduum summa in mari tranquillitas fuisset, vento rursus aspirante, Phernabucum prætervecti sumus, quòd nullam illic annonam nos consequuturos sciremus, & ad lineam Æquinoctialem appropinquauimus, quam per Dei gratiam sine damno transiuimus. Noster nauclerus in animo habebat, insulam quandam Americæ petere, vt pro veteribus cultris, spherulis precatoriis, crepitaculis &c. aquā, farinam & fructus arboreos à barbaris acciperet: à quo ipsum dehortati sumus, quoniam Austro nobis favente progrediendum esse censebamus.

Egressus ex India sive regione Brasiliensi.

Nauclerus vult suas merces cum barbaris permutare.

Mense Septembri stellam Borealem rursum conspeximus, sub altitudine 11. grad. 10. minut. cumque à linea æquinoctiali 13. grad. recessissemus, fame & siti laboravimus. Neq; enim ampliùs quàm sex parva cochlearia farinæ & dimidium sextarium aquæ in diem accipiebamus.

Stella borealis.

Milites nostri, vt sitim sedarent, globulos plumbeos collo appendebant, quos mandebant, sicut equi sua fræna mandunt: & quando pluvia cadebat, eam pileis & ollis excipiebant, atq; inter se vendebant, dantes lagenulam aquæ pro Hispanico argenteo. Adhæc glires per nauim currentes persequebantur, quibus pellem detrahebant, iisque assatis vescebantur. Erant, qui glirem pro 15. stuferis, interdum etiam pro dimidio thalero Imperiali venderent.

Fames & sitis.

Glires.

Hoc eodem mense prætervecti sumus insulam Ferdinandi, quæ admodum alta est, & Zephyro flante ad Ortum solstitialem cursum direximus. Mense Octobri insulas Flandricas à tergo reliquimus, vbi per sex dies cum vehementi tempestate luctati sumus: & Iapyx vsque adeò nobis adversabatur, vt aliquot gradus nos retroageret: omnibusque horis ac momentis nobis metuendum erat, ne navis interiret. Fluctus vsque adeò se extollebant & contra nos insurgebant, vt nauem aliquoties obtegerent. In tanto periculo precibus ad Deum confugimus, & horas nostras precatorias diligenter obseruauimus. Mox venti paullatim posuêre, & ventus secundus ab Occidente spirare cæpit, quem per totum diem satis propitium habuimus: sub vesperam autem tam procellosus factus est, vt posteriora deteriora essent prioribus. Vela erant deducenda: funes rumpebantur: primarium velum distringebatur: omnes rotulæ circumagitabantur: omnis prospectus nobis adimebatur: fluctus ita æstuabant, furebant, perstrepebant & aquis nos conspergebant, vt nostrûm aliquis vix sua verba intelligeret. Durauit hæc tempestas ferè vsq; ad mediam noctem: nihilominus quia ventus à puppi flabat, eo vltra quinquaginta milliaria provecti sumus. Nemo erat ex nobis, qui in navi consistere posset, nisi manu aut brachio se fulciret: & parùm abfuit, quin vnus ex nautis, qui cū sociis vela contrahebat, præceps in mare rueret: qui tamē à nauclero retentus fuit.

Insula Ferdinandi.

Insulæ Flandricæ.

Tempestas.

Frigus circa insulas Flandricas nobis non parùm incommodauit. Nam quia calido aëri & levibus vestibus assueveramus, & tenuis amictus quo induti eramus, nos contra frigus non satis protegebat, multi in nostris navibus frigore enecti sunt.

Frigus Insularū Flandricarum noxium.

Postquàm nos clementissimus Deus ex vasto Oceano in Hispanicum mare duxisset, procella & ventus aduersus per biduum incubuit, qui nobis magnum terrorem incussit, cùm vereremur, ne in frigidas regiones Septentrionales propelleremur.

Mare Hispanicum.

Igitur obliquato aliquandiu cursu, cùm ventus placidior esset, progressi sumus, & ex Hispanico mari eluctati, multam algam vidimus: quapropter bolidem ad 200. circiter vlnas demisimus: fundum tamen agnoscere non poteramus: quod ipsum vnoquoque vespere per duodecim dies fecimus. Eramus tunc in summo vitæ discrimine, quia omnis nostra annona consumta, omnia instrumenta nautica detrita erant, & omnibus ferè necessariis rebus destituebamur. Postea Deus secundum ventum nobis largitus est, ita ut bolidem iterum sub vesperam mitteremus, & ad 130. vlnas fundum haberemus: quo valde lætati sumus. Bolide autem conspectā, fundum discernere non potuimus: quidam naucleri putabant, nos ponè Angliam & Hyberniam velificatos esse.

Nos in nomine Domini vento secundo per noctem provehebamur. Secundā vigiliā bolis iterum jacta, & fundus Gallicus repertus fuit. Tertiā vigiliā, cùm iam lucesceret, cælo nebuloso, ad Corvesiam & Floridem insulas delati sumus, à quibus tria circiter milliaria aberamus, easq; initio minorem Britanniam esse putabamus: quapropter navarchus, velo maiori sublato, ventum captauit, neq; in canalem inter Galliam & Angliam, sed ponè Angliam & Hyberniam in amplum sinū vectus est, vbi anchoram fixit. Postridie manè, Sole oriente, nauclerus anchoram solvere, & passis velis Sorlingam, quæ est in Gallia, petere volebat: quā re classiarii & nautæ indignati funibus manum admouere detrectabāt, necem navarcho minitantes, si in periculum incideremus. Mox nauclerus

Corvesia & Floride, Insulæ.

Nauclerus Anglus.

clerus Anglus cum cymba ad nos venit, & navim nostram circumuectus, quæsivit, quinam essemus? Cùm intelligeret, nos amicos esse, nauim nostram conscendit, & conditione loci nobis indicata, vrbem comeatu abundantem non procul esse dixit, ad quam, si vellemus, nos absq; damno ducturus esset: nam portum istum esse periculosum, propter scopulos & arenam: ob quam caussam multæ illic naves perirent. Locus, in quo versabamur, ipsi probè cognitus & perspectus erat: quoniam verò navarchus noster eum nullo munusculo dignabatur, atq; in sua sententia persistebat, nauclerum illum dimisit, qui denuò nos monuit, vt nobis à periculo caveremus, dicens, si ventus Iapyx surgat, actum de nobis esse: quibus verbis à nobis abiit. Hinc quidam stomachari ac tumultuari cœperunt: & quia navarchus animum obfirmabat, minis eum perculimus, vt duobus tormentorum ictibus nauclerum Anglum reuocaret. Is reuersus navim nostram ad littus in fundo arenoso perduxit, & nobis pro nostra pecunia recentes haleces & annonam procurauit. Quòd si quinq; adhuc dies in mari mansissemus, fame nobis pereundum fuisset.

Nos ad littus appellimus, & vitæ subsidia consequimur.

Apud vrbē *Sanctus Deus*, quæ ponè Angliam in Cornubana sita est, navarchus & Ioannes Iscnacus, centurio, nobis quotidie panē, carnes, cerevisiā & alia necessaria adferebant, donec pecuniā ab Americanæ Societatis directoribus acciperemus. Quidam ex nobis ad littus piscatoris cymbis vehebantur: nonnulli, qui propter virium debilitatem membra movere non poterant, eò ducebantur: ex quibus aliqui, qui nimis avidè recentes cibos comederant, post gravia ventris tormina, obierunt, & terræ mandati fuerunt.

Post aliquot hebdomadas Burstellus, primarius centurio, & Bastefeldius in navi Dunkerkana, quæ aureus Sol dicebatur cum 200. partim nautis, partim classiariis, ad vrbem Pesantium in Cornubana appulerunt, qui eandem, quam nos, famem & sitim in itinere passi sunt, & mortuis quā viventibus similiores erant. Ego per aliquot milliaria Anglicana ad eos profectus sum, vt ipsos inviserem: tantùm duo vela ipsis supererant, & cùm exscensionem fecissent, aureus ille Sol interiit ac submersus est.

Vt de nostra navi Sancti Michaëlis institutum sermonem persequar, quatuor per dimidiam horam dies noctesq; in ea aquam hauriebant, ne pessum iret.

Quid navi S. Michaëlis acciderit.

Quoniam verò à Curatoribus Societatis Americanæ, quorum suprà mentio facta est, nihil responsi afferebatur, vnicuique nostrûm singulis diebus sex numi Anglicani dabantur, quibus victum nobis comparare poteramus. Contra verò Comes stabuli Anglus (quod apud nos idem valet quod Consul aut Iudex) navim nostram ad littus adstringi, & tormentis manus iniici curauit. Scotus quoque, qui in nostra navi erat, cum omnibus bonis Centurionis & navarchi retentus fuit. Nobis duo libelli assertorii dati sunt: vnus Anglicè scriptus à Senatu vrbis, vt transitus per Angliam terrestri itinere nobis concederetur: alter Belgicâ linguâ à nostris præfectis exaratus. Præterea singulis quinque drachmæ Anglicanæ pro viatico numeratæ: quàm pecuniam nostri præfecti nomine Curatorum mutuati sunt.

Captura halecum. Pisces & cancri.

Prima nocte, cùm ad vrbem Sancti Dei veniremus, concursus halecum fiebat, ita vt vnâ capturâ 900. cadi iis implerentur: & quia post aliquot dies alius animadvertebatur, sub vesperam tot haleces capti sunt, quot 60. cadi capiebant, præter magnam multitudinem rajarum, asellorum, passerum, cancrorum, & similium piscium.

Navis interit.

Quadam vesperâ grauis tempestas orta est. Pridie eius diei navis Selandica ex vrbe Vlissingensi in eundem sinum, commerciorum caussâ, appulerat, neque admonitionibus navarchorum de periculo, in quo versaretur, locum dare volebat. Itaque à ventis ac fluctibus in scopulos acta & confracta periit. Idem discrimen post biduum subiit navis Anglica, quæ cum tempestatibus colluctata, ope piscatorum periculum evasit.

Navis anglica periculum evadit.

Classis Anglicana.

Naues Hamburgenses.

Inde nos Croanum profecti sumus, ad vrbem & primarium portum Phalmey, ex quo pridie sub vesperam classis ducentarum navium Anglicarum soluerat, quæ postea Gades in Hispania obsedit. Tunc quoque aliquot naues Hamburgenses Plumeium adductæ & visitatæ fuerunt quæ sarcinis prohibitis & comeatu pro exercitu Flandrico & Barbantino, cum aliquot myriadibus auri, oneratæ erant.

Naves, quæ pugnæ ante Rupellam interfuerant.

In modò dicto portu Phalmey multæ etiam naves bellicæ Gallorum, Anglorum & Hollandorum stabant, quæ pugnæ ante Rupellam & insulam S. Martini interfuerant.

Interea nos Anglicam cymbam piscatoriam conduximus, qua ad Quastium Enckhusanum, subpræfectum navium Nordhollandiæ, vecti sumus. Eum rogauimus, vt nos, qui Dominis Ordinibus mereremur, naui sua bellica in Hollandiam aut Selandiam veheret. Ille verò nobis respondit, se nondum à rei maritimæ præfectis mandatum accepisse, quò tendere debeat: adhæc se iam non Ordinibus, sed Regi Galliæ militare, & fieri posse, vt sibi ad insulam Sancti Martini ante Rupellam sit redeundum. Nos, eo relicto, ad alium subpræfectum, cuius nomen erat Angelus, nauigauimus: quem cùm in sua naui non inveniremus, postea in vrbe Phalmey alloquuti

sumus:

fumus: qui petitioni nostræ annuens, nos iussit sub vesperam, quando ventus à Meridie aut Occidente flaret, ad suam nauim accedere, ad quam nos noctu, per duo milliaria Anglicana vecti, contulimus.

Circa meridiem sustulimus anchoras prope prætoriam Hollandicam & castellum Anglicanum, & in altum vela dantes, in honorem Regis Angliæ tres tormentorum ictus displosimus. Vento autem ab Ortu solstitiali nobis aduersante, anchoras rursus iecimus: quo post biduum nobis fauente, in canalem, qui est inter Angliam & Galliam, iuxta montes cretaceos velificauimus: quo in loco triginta naues ex Plimey nobis occurrerunt. *Cretacei montes in Anglia.*


Circa meridiem prætoria Hollandica ad nos aduolauit, quæ sua vela & aplustra demisit, & tria tormenta displosit, dicens, se ad nauim nostram applicare velle. Præfectus nauis, cui Dorpio nomen erat, nobis significauit, se Rupellâ venire, & ab Ordinibus constitutū esse archithalassum: nauem suam ante Rupellam conflagrasse: hanc, quâ veheretur, se conduxisse, quæ in Angliam, annonæ comparandæ caussâ, reuertatur. Idem à nostræ nauis præfecto petiit, vt miseros ac saucios suos milites ac nautas in nauim suam reciperet, & Doueram vsque veheret: quod ille haud grauatè fecit. Illi grauiter à puluere incenso læsi fuerant, membris ita distortis, vt exigua vitæ eorum spes esset. Nos secundo vento Doueram è regione Caleti, quod est in Gallia, peruenimus, & vela nostra deduximus. Mox quadraginta naues bellicæ circum nos volitarunt, quarum nonnullæ malos vi tempestatis amiserant: quædam, quæ Hollandicæ erant, transuerso cursu prope Flandriam & Dunkerckam oberrarant: ex quibus duæ naues cum vectoribus, sicut postea intellexi, interierunt. Nos in Anglia inter duas vrbes, Doueram & Sandvvicum, apud pagum Tyl, anchoras fiximus: & conscensâ liburnicâ secundum ventum exspectauimus. *Prætoria Hollandica.* *40. naues bellicæ.*

Hîc noua classis Anglicana colligebatur, vt priori, quæ in Hispaniam missa erat, suppetias ferret. In ea quædam ingentes naues regiæ erant, quarum vna septuaginta machinas æneas cū magno classiariorum numero vehebat: nec non aliquot Gallicæ & Belgicæ naues fæderatæ. Sexaginta naues, sublatis anchoris, Londinum, regni metropolim, petiuerunt: & in Regis Angliæ ditionibus sex mille viri conscripti sunt, vt Hyberniæ præsidio essent. Apud hanc classem nouem dies secundum ventum exspectauimus. Tandem, cùm aduesperasceret vento à puppi surgente, trans vada Flandrica prouecti, & postero die in ostium Goreanum in Selandia delati sumus: vbi nauis cum liburnica in Indiam Orientalem itura stabat. *Noua classis Anglicana colligitur.* *Selandia.*

Nos illic nauim fune alligauimus, ęstum marinum exspectantes. Horâ tertiâ promeridianâ liburnicam in Helfrensem cataractam pertraximus: cæteri, qui nobiscum vehebantur, partim denuò recensiti, partim dimissi fuerunt. Ego & mei contubernales, in cataracta mansimus: postea cùm Brielam venissemus, consules compellauimus, vt nos pontone Roterodamum transuehendos curarent. Illic exscendimus: inde Delphos, & Delphis Hagam Comitis venimus, vbi vsq; ad diem sequentem substitimus. Tunc pro certo cognouimus, Mauritium, Principem Arausionensem, laudatissimæ memoriæ, decessisse: quo nuntio audito, multis animus concidit. Postridie, horâ tertiâ in ædes Laurentii Sillani, generalis præfecti fisci, vocati fuimus, qui nos iuramenti, quo obstricti essemus, admonitos, de capitibus quibusdam propter deditionem vrbis S. Saluatoris examinauit, & dato testimonio de examine habito, singulis coronatum in moneta Belgica numerauit, vt haberemus viaticum, quo Amstelrodamum veniremus. Eo ipso vespere Lugdunum Batauorum profecti sumus: vbi nonnihil commorati, postea Amstelrodamum secundo vento nauigauimus. Eò cùm feliciter appulissemus, postridie domum Americanæ Societatis ingressi sumus: vbi exhibito nostro testimonio, à trapezitis libram Flandricam, præter stipendium mēstruum, accepimus. *Examen de deditione vrbis S. Saluatoris.* *Aduentus in vrbem Amstelrodamū.*

Cum hoc tenui salario dimissi sumus, factâ potestate abeundi quò vellemus. Interea Ordines generales, diplomate in omnibus fæderatis prouinciis affixo, edixerunt, ne quis nos susciperet ante caussam cognitam: simulque omnes chiliarchas, centuriones, nauarchos, institores & Commissarios, qui transactioni cum Hispanis factæ subscripserant, in custodiam dederunt. Nos autem, qui à culpa immunes eramus prout in examine compertum erat, supplicem libellum Principi Henrico & Ordinibus obtulimus, quo petebamus, vt stipendia, quę nobis adhuc deberentur, nobis persoluerentur: à quibus benignè nobis responsum est, factâ spe solutionis, modò exspectaremus, donec de quibusdam perfidis ducibus ac præfectis supplicium sumptum esset.

Appendix ad præcedentem narrationem de expugnatione vrbis S Saluatoris in Brasilia.



Tsi in præcedenti Relatione, historia de occupato Sinu Omnium Sanctorum, & capta vrbe S. Saluatoris in Brasilia, ab eo, qui omnium, quæ in ea continentur, spectator fuit, & occulatus testis esse potest, satis superque descripta est: tamen, vt Lectorem magis oblectaremus, sequentem tabulam æri incisam adiungere voluimus, vnâ cum descriptione, qualis præpotentibus Dominis Ordinibus, statim post occupatum illum Sinum atq; vrbem, missa, & linguâ Belgicâ primùm edita fuit: ex cuius lectone Lector deprehendet, veritatem sibi semper similem esse, atque ex collatione vtriusque descriptionis permouebitur, vt maiorem ei fidem, propter consensum, attribuat.

Principio tenendum, hunc Sinum siue portum Omnium Sanctorum, vnâ cum vrbe S. Saluatoris situm esse in America seu India Occidentali, sub 13. grad. versus Austrum: & distare à Pharnebuco centum milliaribus Indicis, seu quinquaginta Germanicis. Vrbs S. Saluatoris est metropolis regni Brasiliensis, in qua Prorex Hispanicus, Archiepiscopus, & generalis Auditor totius oræ Brasiliensis resident. Frequens illa est incolis, & tres ciuitates complectitur: prima est in ipso aditu, & Vetus vrbs nominatur, quæ prima in hoc tractu condita fuit: altera S. Saluatoris nomen habet, à Thoma de Sosa, Hispano, ædificata: tertia Paripe vocatur, in qua multæ sunt molæ sacchari. Incolæ maximam partem ex gossipio, cuius magna illic copia est, se sustentant. Vrbs S. Saluatoris habet quinque templa, præter Collegium Iesuitarum. Sinus seu portus patet tria milliaria in latitudinem, & quindecim in longitudinem. Multas habet insulas, gossipii feraces. Incolæ scaphis vtuntur, quibus huc illuc vehuntur. Profunditas portus est 18. cubitorum: in egressu ad Occidentem solstitialem porrigitur: in introitu, vbi solum siccum est, ad angulum versus Ortum brumalem, validum castellum exstructum est, quod à S. Antonio nomen habet. Spirante vento fluctus decumani excitantur, & ingressus est periculosus. Iam ad descriptionem expugnationis supradictæ vrbis progrediemur.

Anno 1623. Societas Americana in Hollandia, ex diuersis vrbibus composita insignem classem, quæ 27. nauibus constabat, apparatu bellico, comeatu, & 3000. classiariis, præter nautas, instructam, adornauit. In ea Dortius classiariorum, Iacobus Willekesius nautarum supremus dux est constitutus. Atq; illa 21. Decembr. Texelâ, maxima ex parte, soluit: & 29. Ianuar. anno 1624. ad S. Vincentii portum, in insula Salis, prope Americam appulit: vbi omnes naues conuenire debebant. Illic vsque ad 12. April. quieuerunt, ac se refecerunt. Dortius autem qui cum suis nauibus à via aberrauerat, ad regionem Sierra Liona cursum direxit, & huc illuc vela fecit, sperans, se amissos socios reperturum: atque etiam ad Sinum Omnium Sanctorum accessit: sed propter vehementem tormentorum displosionem ex castellis, in altum vela dare coactus est. Willekesius 12. April. ex insula S Vincentii soluit, & tam prospera nauigatione vsus est, vt 9. Maii in portũ Omnium Sanctorum feliciter appulerit. Prorex autem, qui Dortiũ priùs præternauigantem conspexerat, facilè iudicare potuit, aliquid magni momenti subesse: idcirco præter vetera castella validum propugnaculum inter Castellum S. Philippi, & aliud magnum propugnaculum in insula ante vrbem festinato opere excitari curauit, cui vndecim tormenta, cum firmo præsidio, imposuit, mancipia ad fodiendum strenuè vrgens, & milites, ciues atque incolas in armis exercens: atq; ex militibus 2000. ex incolis 5000. coegit. Cùm igitur Willekesius, archithalassus, portum subiisset, castellum S. Antonii sine intermissione contra eum fulminauit: quod tamen ille susque deque habuit, & cursum continuauit. Qui in propugnaculo, & præcipuè in castello S. Philippi erant, in quo Prorex, filius ipsius, & maxima pars Nobilitatis commorabatur, crebris tormentorum ictibus eum infestarunt: ipse vicissim vrbem omnibus suis machinis verberauit, ratus, se tantò citiùs eâ potiturum. Cùm autem videret, se hac ratione parùm proficere, huc illuc velificatus est, dispiciens, quomodo absque singulari damno vrbem in potestatem redigere posset, & ex consilio præfectorum, quos penes se habebat, rem hoc stratagemate aggressus est: Primò introitum tribus nauibus probè armatis custodiendum: tum duabus nauibus à tergò insulæ Tabericæ Lusitanos exitu prohibendos suscepit: ita vt nemo portum ingredi, aut ex eo egredi posset. Itaq; quatuor maximis atque optimis nauibus bis mille viros, partim clasiarios, partim nautas, quos ex aliis nauibus sumserat, imposuit: reliquas naues pedetentim subsequi iussit. Quo conspecto, Lusitani, qui in portu erant, se contraxerunt, atque inter magnum castellum S. Philippi & propugnaculum substiterunt, vbi se tutiores fore arbitrabantur. Archithalassus autem, qui constituerat, quoniam tormentis displodendis se operam ludere videbat, eâ ipsâ vesperâ propugnaculum inuadere, & in illud eniti, cum quatuor grandioribus illis nauibus ad propugnaculum admouit, displosis contra illud omnibus suis tormentis. Mox centum ex suis, quos scaphis imposuit, in littus exscendere, & propter spissas tenebras quasdam Lusitanorum naues incedere iussit. Atq; ita ignis

militibus, qui propugnaculum videre non potuissent, lucem præbuit. Hi, dum alii castellum oppugnabant, vncis & aliis instrumentis irruunt, & propugnaculum occupant, fortiter resistente hoste, à quo subprætoria & nauis Græninga, quæ proximæ erant, non leue damnum acceperunt.

Nostri quoque dum propugnaculum conscenderent, densâ scloppetorum grandine ex vrbe petiti fuerunt. Prorex cum suis, qui se strenuè defendit, deditionem facere nolebat, sed in palatium se recepit. Postquam autem vidit, se à suis, atq; ipso archiepiscopo desertum esse, gladium in vaginam recondens, dixit: Si mei perinde, vt ego, Regi nostro fidi fuissent, hostes me & propugnaculũ non tam citò in suam potestatẽ redegissent. Sic ipse cũ filio & aliis primariis viris captus fuit.

Occupato hoc insigni propugnaculo, nostri ad reliqua castella progressi sunt, & apud castellum S. Antonii plures milites in terram exposuerunt, qui per angustum callem, per quem quatuor tantum simul incedere poterant, ita vt non difficile fuisset nostros repellere, bono ordine in altum versus vrbem enixi, primò in stationem, quam Hispani metu correpti deseruerant, inciderũt: quam prætergressi, in amœnam planitiem venerunt, in qua aciem instruxerunt, & inde ad suburbium perrexerunt, vbi excubias diligenter egerunt, in animo habentes, vrbem sub diluculũ omnibus viribus inuadere. Interea reliqua castella, quorum sex fuerunt, cùm propugnaculum expugnatum, & Proregem captum esse cognouissent, nullo resistente, per conuentionem, deditionẽ fecerunt. In iis, 150. ænea tormenta cum omnis generis annona reperta. Die 10. Maij nostri impetũ in vrbem facere volebant: cùm autem ad eam accessissent, neminẽ, qui resisteret, inuenerũt: nam incolæ cum Archiepiscopo atq; omnibus ecclesiasticis noctu, formidine compulsi, profugerant. Itaq; vrbs nullo negotio capta, & vexilla Hollandica turribus imposita fuerunt. Ex eo cùm epibatæ magnã vrbem in nostrorum potestate esse perspicerent, in oppidum inferius irruptionem fecerunt, & illud diripuerunt.

Die 11. Maij, imagines in omnibus tẽplis & monasteriis confractæ fuerunt, quæ maxima ex parte argenteæ erant: vt duodecim Apostoli, & imago B. Virginis, præter alias res pretiosas, quas omnes Willkesius archithalassus asseruandas recepit: omnia verò monasteria & ecclesiasticorũ bona militũ prędæ cesserunt, qui ex iis spolia ampla retulerunt, præsertim ex Iesuitarũ collegio, in quo 40. cubicula auro, argento & pretiosa supellectile referta fuerunt: ita vt centurio vnâ horâ quinq; vel sex millia florenorum nactus sit: gregarii verò milites tam benè sibi prospexerunt, vt holoserico & Attalicis vestibus induti incederent, quasi ampla officia gererent. Archithalassus verò permittere noluit, vt priuatorum ædes diriperentur: quod tamen vix cauere potuit. Die 13. Maij in omnibus templis conciones eucharisticæ & preces solẽnes pro tam insigni victoria habitæ fuerunt, & Willekesius omnia rectè ordinauit. Die 13. Maij Dortius cũ reliqua classe appulit, qui magna cũ admiratione & lætitia felicẽ hunc successum contemplatus est. Nam putabat archithalassum cũ classe procul adhuc abesse: optauit autẽ, vt ipse coram interfuisset. Aduentus ipsius, quo classis vires non parùm auctæ fuerunt, incredibilẽ sociis lætitiam attulit: moxq; Dortius & Willekesius diploma publicarunt, vt omnes incolæ ad sua redirent, promissa ipsis incolumitate, si iuramẽtũ fidelitatis Ordinibus & Principi Aurasionensi præstarent: quo factum, vt multi pristinos lares repeterent: Hæc vrbs S. Saluatoris quotannis 10000. cistas sacchari reddit, præter amplũ prouẽtũ ex ligno Brasiliensi, gossipio, malis Medicis & citreis, aliisq fructibus & mercibus pretiosis: prout etiam Rex Hispaniæ ex vectigalibus vltra tres auri tonas quotidie accipit. In portu 30. naues Lusitanæ erant, 20000. cistis sacchari & aliis pretiosis mercibus oneratæ, quæ in Hispaniã ire constituerant. Præterea 8. naues luculentis opibus prædiuites portũ intrarunt, quibus de vrbis expugnatione nihil constabat: quas omnes archithalassus Hollandus in suam potestatẽ redegit. Huiusmodi prædæ quotidie capiuntur: quia vexilla Hollandica à nauibus remota, & eorũ loco Hispanica illis imposita sunt. Durante obsidione vrbis duo monachi, cũ totidẽ celocibus auro & argento onustis, & aliquot litteris Phernabucũ à Gubernatore missi fuerunt, qui à pirata Gallo intercepti, & Flissingã in Selandia adducti fuerũt. Capti quoq; sunt duo Iesuitæ, qui pecuniã pro sua Societate collegerãt, apud quos 30. ducatorũ millia reperta sunt, quę Hagã Comitis aduecta fuerũt. Prorex, cũ filio Prouinciali Iesuitarũ, & 10. ex eadẽ Societate, 4. Dominicanis, duobus Franciscanis & aliis primariis captiuis, nec nõ opulẽta pręda quotidie in Selandia exspectatur. Archithalassus vrbẽ S. Saluatoris, quæ mœnibus destituta erat, opere, præsidioq; firmat, & castella circũiacẽtia munit, impositis tormentis, quæ hosti eripuit, & Mauris ac mãcipiis libertati restitutis. Omnia illic secũdùm iura & cõsuetudinẽ Hollandiæ ordinantur, libertate religionis cõcessa. Ex Hollandia nouæ suppetiæ exspectantur: iamque 28. naues quarum 14. vrbs Amstelrodamum 7. Selandia, & 7. Roterodamũ instruendas curat, cum 5000. classiariis, in procinctu esse dicuntur, vt Archithalasso opem ferant. Caussa formidinis & terroris eorum qui in vrbe erant, fuit falsa ipsorum opinio, quasi omnes naues tantum classiariorum numerum, quantum quatuor primæ, ferrent: ideoque à valida & insuperabili impressione sibi metuebant. Præcipuè tamen hæc victoria Deo, à quo omnis felix successus dependet, attribuenda est. Præda, qua nostri hoc loco potiti sunt, aliquot millionibus ducatorũ æstimatur, præter naues captas: ex quo Lusitani ingens damnum, Societas verò Americana immensum lucrũ percepit. Pro tam insigni victoria Ordinũ, qualem ab initio belli in expeditione maritima, cũ tam paucorũ iactura (nam in ea tantùm 70. desiderati sunt) non obtinuerẽt, in tota Hollãdia & fœderatis prouinciis, præsertim Hagæ Comitis, 10. â Principibus, legatis & aliis magnatibus peculiares dies precũ instituti, & publicè Deo gratiæ actæ sũt, votis cõceptis

vt ille

Vt ille pro sua ineffabili bonitate Ordinum generalium consiliis benedicere, ac prosperos successus largiri vellet. Hæc est vera & breuis oratio de occupato Sinu Omnium Sanctorum ex expugnata vrbe S. Saluatoris, quam benigno Lectori communicandam duximus.

Sequitur explicatio numerorum.

1. Portus arenosus, vbi milites exscensionem fecerunt. 2. Via angusta, per quam ad superiorē vrbem contenderunt. 3. Statio, quam Hispani metu compulsi deseruerunt. 4. Planities, in qua acies structa ad vrbem inuadendam. 5. Sacellum extra vrbem. 6. Suburbium, in quo milites pernoctarunt. 7. Porta Australis, per quam in vrbem primùm ingressi sunt. 8. Lapideum propugnaculum, à littore ita dissitum, vt cymba illud à tergo circuire posset, in quo vndecim tormenta cū valido præsidio collocata erant: illud vi expugnatum fuit. 9. aliud propugnaculum in terra, ex quo etiam tormentis vehementer fulminatum fuit. 10. Pistrinum, in quo multum sacchari repertum. 11. Naues Lusitanæ, quæ incensæ fuerunt. 12. Duo castella, hoc eodem numero notata, quorum illud, quod propugnaculo proximum est, S. Philippi nomen gerit. 13. Duæ machinæ, quibus onera ex aqua per duos lapideos pontes in superiorem vrbem efferuntur, & est altitudo ab aqua vsque ad vrbem centum cubitorum. 14. Porta Septentrionalis. 15. Cœnobium S. Francisci, in quo Iesuitæ suum collegium habuerunt. 16. Domus, in qua captiui attinentur. 17. Armamentarium. 18. Nouum templum, quod cæptum erat condi. 19. Magnum forum. 20. Alia statio magna. 21. Palatium Proregis. 22. Duo fontes salientes, ex quibus omnes vrbis incolæ recentem aquam hauriunt. A. Nauis Samson. B. Nauis Stella. Hæ duæ naues, quæ egressum ex portu prohibebant, à castellis in insula Taberica vehementer infestatæ fuerunt: ipsæ vicissim castellum tormentis acriter pulsarunt, donec vrbs capta, & omnia castella ac propugnacula subacta fuerunt.



SECTIO

SECTIO OCTAVA.

De ampla regione Cibola, in Septentrionali parte Americæ, quæ ab Hispanis Noua Granada appellatur.



Hvius regionis descriptio sumpta est ex litteris Francisci Vasquez de Cornado ad Proregem Nouæ Granadæ, in quibus ita scribit: In hac regione sunt ampli pagi, vrbibus similes, & in iis domus lapideæ, ex lateribus calce firmiter coagmentatis compositæ, elegantes & benè tectæ. Harum quædam sunt trium, aliæ quatuor contignationum, in quibus temmoda sunt habitacula, & alta cubicula, in quæ per scalas, loco cochleæ, ascenditur. Sub terra habent hypocausta, cellis similia, lapidibus constrata, & contra frigus probè munita. Intra quatuor milliaria septem eiusmodi pagi inueniuntur, qui domos habent, quales modo descripsi: ex quibus vnum Nouam Granadam appellaui, propterea quod ipsius situs aliquomodo cum Granada, vrbe Hispaniæ, conuenit. In eo sunt 200. ædes, muris cinctæ: reliquarum, quæ non ita sunt munitæ, 500. esse possunt, Non procul ab eo pagus iacet aliquanto maior, & alius, qui illum magnitudine æquat: reliqui quatuor sunt minores: atque ita septem hoc ambitu continentur. *Elegantes domus in noua Granada.*

Incolæ huius regionis sunt proceræ staturæ: ingenio valent, quanquam ædium structura industriam ipsorum superare videtur: pleriq; nudo corpore incedunt, nisi quod pudenda tegant, & pallia diuersorum colorum gerant. Etsi verò gossipium illic non nascitur: tamen frigus illud non admittit: tamen pallia gerunt xylina, & gossipium in ipsorum ædibus inuenimus. Comam alunt, qualem Mexicani: genio indulgent: genus gemmarum habent, quod cyanos vocatur, eoq; abundant: quamuis illud cum frumento, nobis aduenientibus, abdiderint. Nullas illic fæminas aut pueros infra ætatem sedecim annorum, nec senes vltra ætatem sexaginta annorum vidimus, duobis aut tribus exceptis, qui belli duces erant. Illic quoque smaragdos quosdam, & rubros lapillos carbunculis similes, necnon aliquid crystalli reperimus. Inuenimus etiam pauones Indicos, etsi non multos: incolæ dicebant, se carnibus non vesci, sed pennis tantùm vti: quod tamen non credo: quia optimi sunt, & Mexicanis meliores. Hyems hoc loco est niuosa & frigida, pro loci ratione: id ipsum domus eorum indicant, vt & lignum, de quo sibi aduentante hyeme prospiciunt. Nullas illic arbores fructiferas vidimus: regio plana est & aperta: nulli in ea sunt montes, præterquàm in quibusdam traiectibus. Cùm nulli aut rari sint montes, raræ quoque sunt aues. Nec siluas illic videas, sed tantùm dumos & sentes: qui in pago Granada habitant, lignum ex silua cedrina colligunt, quæ quatuor milliaribus inde distat. Pabuli & fæni satis magna copia est pro equis & aliis animalibus: quod equis nostris fuit opportunum. Victus ipsorum est Turcicum triticum, quo abundant: tum candida pisa & alia legumina: quanquam in ipsorum ædibus multas ceruorum, leporum & cuniculorum pelles inuenimus. Optimas coquunt placentas, quas vnquam gustaui: rationem molendi per commodam norunt, ita vt vna mulier in hac regione tantum molat, quantum quatuor in Mexico. Præstantissimum sal habent, quo ex mari, vnius diei itinere hinc distante, afferunt. Mare Septentrionale & Occidentale non norunt, neque sciunt, quodnam ipsis sit vicinius, tametsi à Septentrionali longiùs absint. *Quales populi sunt in Cibola.* *Natura & conditio regionis Cibola.* *Victus incolarum.*

Omnis generis animalia illic reperiuntur, vrsi, tigrides, leones, porci erinacei, & genus ouium tantæ magnitudinis, quantæ est pullus equinus, cum proceris cornibus & paruis caudis. Sunt etiam ibidem capreæ, apri, & ingentes cerui, quorum pelles eleganter apparant & pingunt. Paullò vlterius alii pagi sunt siti, mihi adhuc ignoti, etsi fluuium, ad quem iacent, viderim. Hæc refert Franciscus Vasquez de Cornado. *Animalia fera & mansueta.*

Gomara ait, regionem Cibolam sitam esse sub altitudine 37. grad. cum semisse, versus Aquilonem. Is narrationem Francisci modò dicti ita persequitur. *Descriptio Cibola, autore Gomara.*

Cùm milites viderent, hanc regionem non admodùm habitatam esse, & exiguas in ea diuitias inuenirent, valde succensuerunt monachis, qui eam tantopere prædicarant: & ne vacuis manibus domum reuerterentur, statuerunt vlteriùs proficisci, & opulentiorem locum quærere. Quamobrem Acaconem profecti sunt: qui locus erat editus & munitus: Garcias Lopesius de Cardena, cum sua equitum turma ad mare contendit, Franciscus Vasquez cum reliquis copiis Tiguezium iuit, quod ad magnum flumen iacet. Illic de regionibus Axa & Quiuira inaudierunt, in quibus (vt fertur) Tartarax rex dominatur, vir barbatus, prudens & diues, qui preces suas in

facello peragere solebat, vbi crucem & Reginam cæli adorabat. Hic rumor totum exercitum recreauit: etsi multi eum pro commento haberent, quod Monachi finxissent.

Eò igitur profecti sunt, ea mente, vt in tam opulenta regione hyemarent. Primo ipsorum aduentu omnes Indi diffugerunt: & breui tempore triginta equi mortui sunt: quod Hispanos vehementer perculit. In itinere pagum incendio deleuerunt: & alium inuaserunt, ante quem nonnulli ex ipsis ceciderunt, & quinquaginta equi sauciati fuerunt. Franciscus Ouandus lethaliter vulneratus ab Indis in pagum ductus fuit, vt viderent, quod genus hominum essent Hispani. Hūc locum Hispani obsiderunt, quo ante quinquagesimum quintum diem potiri non potuerunt. Tandem cum incolæ viderent, se amplius resistere non posse, incensâ pyrrâ, in eam sua pallia, cyanos & quidquid pretiosi habebant, coniecerunt: deinde eruptionem fecerunt, vxoribus & liberis in medium agmen assumtis. Pauci ex illis euaserunt: plerique aut acie gladie necati, aut equorum vngulis contriti, aut aquis vicini fluminis absorpti fuerunt. In hac pugna septem Hispani occubuerunt, octoginta cum multis equis vulnerati fuerunt. Quidam Indi ex fuga in pagū redierunt, & tamdiu se defenderunt, donec Hispani, igne iniecto, finē bello imposuerunt. Illud admiratione dignum fuit, flumen tam dura glacie constrictum fuisse, vt equi per eam transirent: quamuis locus ille sit sub 37. grad. sub quo etiam pars Siciliæ sita est, in qua nix aut glacies rarò conspicitur.

Facinus audax Indorum.

Tiguezio, quatridui spatio, Cicuicum profecti sunt: qui vilis locus est: & duodecim ab eo milliaribus occurrit ipsis insolens vaccarum genus, prorsus ferum, quarum primo die octoginta mactarunt, quæ victum Hispanis opportunè suppeditarunt.


Inde, secundùm diluculum ipsorum, octingenta milliaria Italica Quiuiram vsque profecti sunt, itinere facto per sterilia ericeta, in quibus nec lapides, nec herbæ, nec arbores erant: ita vt huc illuc fimeta coaceruarent, ex quorum indicio viam in reditu cognoscerent. Omnia ericeta plena erant bobus & vaccis, sicut la Serena in Hispania ouibus. Isti boues & vaccæ à nemine custodiebantur: & illorum carnibus Hispani, quibus nihil ampliùs panis supererat, latrantem stomachum placarunt. Quodam die grando decidit tantæ magnitudinis, vt mala aurea æquaret: quod Hispanos perterrefecit. Tandem Quiuiram venerunt, vbi Tataraxem offenderunt, hominem candido colore, qui planè nudus incedebat, & lamellam cupream à collo pendentem gestabat. Hæc erant omnes eius opes.

Multi boues in regione Quiuira.

Hispani, qui nec crucem, nec sacellum aut vllum indicium Christianismi illic inuenerunt, se denuò deceptos esse senserunt: quamobrem Tiguezium reuersi, post multos labores exantlatos, vacuis manibus Mexicum redierunt. Quiuira iacet sub 40. grad. regio est temperata, salubri aquâ & lætis pascuis commendabilis. Illic pruna, mora, nuces, melones & vuæ, quæ ad maturitatem perueniunt, inueniuntur. Nullum ibi gossipium nascitur: quapropter incolæ pellibus caprarum & boum se vestiunt. Frater Ioannes de Padilla Tiguezii mansit, cum alio quodam Monacho: vnde Quiuiram rediit cum duodecim Indis Mechoacanis: quos comitatus est Andreas de Ocampo, Lusitanus. Aliquid pecoris, equum, annonam, oues & gallinas ex Hispania, cum pallio sacro, secum assumserunt. Verùm Quiuirenses, miseros hos Monachos occiderunt: Lusitanus cum aliquot Mechoacanis elapsus est: sed postea captus decem menses duram seruitutem seruiit, donec fugâ sibi consuluit. Hic fuit exitus peregrinationis Hispanorum & prædicationis Monachorum in Quiuira.

Monachi malam mercedem suæ prædicationis reportant.

SECTIO



SECTIO NONA,

De regione noui Mexici, in parte Septentrionali Americæ recens reperta, cuius hactenus nulla fuit facta mentio.



Onachus quidam Ordinis Franciſcanorum, Frater Auguſtinus Ruyz nomine, qui in valle S. Bartholomæi commorabatur, cùm ex vicinis Indis, qui Conchoſii dicuntur, intellexiſſet, terrâ iter facientibus verſus Septentrionem multos inſignes pagos & luculenta domicilia, Hiſpanis hactenus incognita, occurrere, ex ſingulari zelo erga miſeras animas, veniam à Comite de Corunna, Prorege Nouæ Hiſpaniæ, & à Gardiano ſuo obtinuit, vt ſibi liceret eò proficiſci & linguam addiſcere, quò poſſet illorum locorum incolis Euangelium annunciare. Cùm eò iret, duos ſui Ordinis ſocios ſibi adiunxit, cum octo militibus, qui eum ſponte ſunt comitati.


Initio itineris à fodinis S. Barbaræ facto, cum 250. milliaria Italica verſus Septentrionem emenſi eſſent, in prouinciam *Los Tiguas* venerunt, vbi barbari vnum ex tribus Monachis occiderunt. Quod cùm milites viderent, & màius periculum pertimeſcerent, vno conſenſu retrogredi, & eò vnde venerant, redire cupiebant, cùm longè pauciores eſſent, quàm vt barbaris reſiſtere poſſent, & auxilium ab Hiſpanis nimis procul abeſſet. Duo Monachi, qui ſupererant, illis aſſentiri noluerunt, ſed ibidem manſerunt, cum tribus iuuenibus Indis & ſemi-Hiſpano, quem *Meſtizo* vocant, quos domo ſecum aſſumſerant, rati, ſe multum præſtituros, quandoquidem Indi magnam præ ſe humanitatem & amicitiam ferrent. *Monachus à barbaris occiſus.*

Octo milites Mexicum reuerſi, Proregi ſucceſſum itineris commemorarunt: & Franciſcani de ſociis, qui in illa regione manſerant, inprimis ſolliciti erant, & verebantur, ne & illi trucidarentur. Quocirca aliquot militibus perſuaſerunt, vt eò profecti, Monachis ſuppetias ferrent: quibus Monachum, Bernardinum Beltranum, adiunxerunt.

Eo tempore apud ſupradictas fodinas primarius ciuis Mexicanus erat, cui nomen Antonio Eſpeio. Is patriâ Cordubenſis erat, vir opulentus, ſagax & prudens, ad officia Regi ſuo præſtanda valde propenſus. Hic, cùm Monachorum inſtitutum cognouiſſet, & rem diligenter ponderaſſet, vitam & opes ſuas ad hoc iter ſuſcipiendum obtulit, modò id ſibi ab aliquo, Regis nomine, permitteretur. Mox ille veniam, interceſſione Monachorum, à Ioanne de Ontiueros, centurione, & regio in pago S. Barbaræ, qui in Cantabria ſitus eſt, iudice, tam pro ſe quàm pro ſuis militibus ac ſociis impetrauit. Itaque breui tempore tot milites & tantum annonæ comparauit, quãto ad talem expeditionem opus erat: & ex valle S. Bartholomæi diſcedens, 115. equos & mulos magnamque armorum & apparatuum bellicorum vim, cum multa annona nec exiguo militum ac ſeruorum numero ſecum duxit, & rectâ Septentrionem verſus iter inſtituit. Poſt biduum ad Indos venit, qui Conchi vocantur, & in tentoriis ac pagis degunt. Hi omni humanitate eum exceperunt. Victus horum Conchorum, qui amplam & vaſtam prouinciam colunt, ſunt cerui, lepores ac cuniculi: quorum maximus eſt numerus. Illic quoque multi ſunt fluuii, qui optimis piſcibus omnium generum abundant. Ibidem magnam copiam tritici Indici, melonum, & cucurbitarum ventricoſarum inuenerunt. Incolæ incedebant nudi: arma ipſorum erant arcus & ſagittæ: certum dominum ſeu Caziquem, agnoſcunt, ſicut Mexicani. Nulla apud eos imago, nec veſtigium Chriſtianæ religionis repertum: nihilominùs facilè permiſerunt, vt Hiſpani cruces erigerent, à quibus informati fuerunt, quid illæ ſignificarent. Hi Conchi Eſpeium vlteriùs per 24. milliaria comitati ſunt, vbi homines eiuſdem generis habitabant, qui Hiſpanos pacatè exceperunt, eò quod de ipſorum aduentu iam nuncium accepiſſent. Deinde aliam gentem inuenerũt, *Paſſaguates* dictam, qui eandem cum vicinis Conchis vitæ rationem ſequentur, & Hiſpanis quatridui itinere comites ſe præbuerunt: quo in itinere multæ argentifodinę repertæ, prout iudicabant rei iſtius periti. Vnius diei itinere longiùs progreſſi aliam gentem, *Los Toboſos* appellatam, offenderunt, qui conſpectis Eſpeii copiis, in montes ſe receperunt, & ędes ſuas vacuas reliquerunt. Poſtmodùm compertum fuit, ante aliquot annos milites quoſdam illic fuiſſe, qui æs quęſiuerint, & nonnullos ex Indis abduxerint. Idem ne ſibi contingeret, profugos metuiſſe. Dux Hiſpanorum eos humanitate allicere conatus eſt, quâ effecit, vt multi ſe coram eo ſiſterent, quos donis affecit, teſtatus, ſe nemini grauem aut moleſtum fore. Sic Indi permiſerunt, vt apud ſe conquieſceret, & cruces erigeret, Hiſpanoſque per duodecim milliaria vſque ad gentem, quam *Iumanos* vocant, comitati ſunt. *Expeditio in nouum Mexicum ab Antonio Eſpeio ſuſcepta.* *Hiſpani ab Indis humaniter accepti.* *Quidam eos fugiunt.*

M 2 VLTE-

Vlterior narratio de nouo Mexico.



HÆc gens Jumanorum amplam prouinciam possidet, in qua multi sunt pagi, & magna hominum multitudo. Ædes ipsorum lapideæ & tectis ornatæ: plateæ pulchro ordine dispositæ erant: tam viri quàm fæminæ corpus suum pingunt & pungunt: gens est valida & vegeta, melius morata atque ordinata, quàm omnes præcedentes. Illic vbertas erat annonæ, & ampla venatio quadrupedum & volucrum, nec non pisces innumeri, qui in fluuiis à Septentrione labentibus capiuntur. Eorum aliqui Tago, qui in mare Septentrionale se exonerat, magnitudine pares sunt. Multi ibi sunt lacus aquæ salsæ, quæ quotannis consistit, & indurescit: vnde optimum sal generatur. Gens est bellicosa: quod prima nocte satis docuerunt, qua nostri castra metati sunt. Nam sagittis Hispanos vehementer infestarunt, & quinq; equos interfecerunt, ac plures sauciarunt: nec vllum in vita reliquissent, nisi excubitores exstitissent, siquidē equos oderunt. Secundùm hæc, domiciliis relictis, ad montes confugerunt. Mane centurio eò se contulit cum quinq; militibus probè armatis, & interprete, cui Petro nomen erat, atq; indo eiusdem nationis, qui ipsis auctor fuit, vt descenderent, & suas ædes repeterent: quod factū est, postquam Espeius primariis funiculos coralio vitreo circumuolutos, item pileos & alias quisquilias donauit. Cùm ex monte descendissent, nobiscum aduerso flumine profecti sunt, ad quod multi pagi nationis ipsorum occurrebant, & se nobis comites duodecim dierum itinere præbuerunt. Caziques, qui de nostro aduentu certiores facti erant, nobis pacificè occurrerunt, sine arcubus & sagittis, & nobis non tantùm commeatum, sed etiam pelles ceruorum & hircorum siluestrium, non minùs elaboratas, quàm eæ, quæ in Germania parantur, attulerunt. Incolæ erāt vestiti, & aliquam religionis Christianæ notitiam habere videbantur. Nam digitum in cælum intendebant, Deum designantes, quem suâ linguâ *Apalitum* nominant, eumq; Dominum suum & omnis boni auctorem agnoscebant. Multæ etiam fæminæ, pueri atq; puellæ accesserunt, vt à Monacho, qui in comitatu erat, benedictionem acciperent. Interrogati, vnde hoc didicissent, responderunt, à tribus Christianis & vno Mauro, qui antehac in hisce oris fuissent: quod plerio; de Aluarez Nunnes de Vacca, Dorantes, Castillo Moldonato & Mauro quodam, qui eò venerant, cùm Pamphilinus Narvaes in Floridam proficisceretur, acceperunt.

Iumani pugnaces & bellicosi.

Indi aliqua cognitione de Deo præditi sunt.

Paucis post diebus ad magnum domicilium Indorum peruenerunt, qui ipsis quoque cum pace obuiam iuerunt, & elegantes pennas varii coloris item pallia xilina, cærulea & candida, qualia Chinenses gestant, obtulerunt, vt cum aliis mercibus permutarent. Viri & fæminę benè erant vestiti: ac licet Hispani cū illis negotiarentur, tamen nomen eorum, propter linguæ ignorantiam, intelligere non potuerunt. Cùm autem nostris lapides quosdam, qui metallum continebant, ostenderent, & nostri per signa ex illis quærerent, an eiusmodi lapides in ipsorum regione inuenirentur, responderunt, eos in regione, quæ quinque dierum itinere abesset, magnâ copiâ reperiri. Itaque nostros viginti milliaribus per regionem, quæ ab ipsorum gente habitabatur, duxerunt, cui alia prouincia contermina erat, magis, quàm priores, frequentata, quæ Hispanis multa munera, præsertim innumeros pisces obtulit: nam multa flumina & lacus illic erant.

Apud hanc gentem triduū cōmorati sunt, & barbari admodùm hilares se præbebant, choreas agentes, quæ die ac nocte durabant. Nomen ipsorum cognosci non potuit, quamuis regio ipsorum latissimè pateret. Vnus ex Indis per signa innuebat, itineris quindecim dierum interuallo versus Occidentem, magnum lacum esse, multis pagis & ædificiis trium & quatuor contignationum circumdatum. Incolæ erant benè vestiti, & regio comeatu affluebant: Quanquam autem Indus ille operam suam ad nos eò ducendos afferret: tamen quia nostri constituerant, versus Septentrionem iter facere, & Monachos supradictos peruestigare, res exitu caruit. Cæterum hęc prouincia benè temperata erat, venationibus & aucupio diues, metallorum & aliarum rerum vtilium ferax. Inde progressi, & itinere 15. dierū per densa arbusta & vepres, quales sunt in Galicia, confecto, nullos homines inuenerunt, donec ad oppidulū venerunt, quod erat incolis infrequens: ædes erant viles & stramineæ, in quibus nihil repertū, quàm pelles ceruinæ bene apparatæ, & sal candidū. Hispani apud hos barbaros bidui morā fecerunt, qui eos postea 12. dierū itinere comitati sunt, aduerso flumine versus Septētrionē incedentes, donec ad eā regionē peruenerūt, quā Nouū Mexicū appellarunt. Ad vtrāq; fluminis ripā 10. pagos inuenerunt & plures alios longiùs remotos viderunt, incolis, vt apparebat, frequentes: in iis autē quos viderunt, supra 10000 animæ erāt. Hi homines benignè & lautè Hispanos exceperunt, eosq; in suas ædes inuitarunt, vbi ipsis añonā largè suppeditarunt præsertim gallinas, quales regio illa fert, multaq; alia, quæ vltro ac sponte ipsis dederūt, Incolæ gossipio & corio induti erant, eadē formâ vestis, quâ Mexicani vtuntur. Illud Hispanis mirū videbatur, quod viri & fæminæ calceos atq; ocreas, ex præstanti, tenui tamen, corio cōfectas gestabāt, ex boū pellib⁹ adsutis: quod in tota America nusquā viderant. Dom⁹ erant 3. vel 4. cōtignationes altæ, benè ædificatę, cū elegantib⁹ cubiculis, atq; etiā hypocaustis contra hyemē

Hispani ab Indis vbiq; comiter accipiuntur, quia nullā tyrannidem exercebant.

Nouum Mexicum primùm repertum.

Primi ex Indis, qui calceos & ocreas gestāt.

In omnib⁹ pagis erant Caziques, qui incolas regebant, & hi alios sub se iudices habebant, qui Cauũ m ı ndata exequebãtur. Hispani multas ibi imagines atq; idola invenerũt, quæ barbari adorant: & in vnoquoq; pago tẽplũ erat pro Diabolo, cui quotidie cibos afferebant: & queadmodũ Christiani in compitis suas cruces, ita illi in iisdẽ sacella habent, in quibus Diabolus (vt aiũt) moratur & se oblectat, quando ab vno pago ad aliũ comeat: erantq; hæc sacella colorib⁹ & picturis pulchrè ornata. In extremitate agrorũ, quos multos & amplos habent, propyleũ cũ 4 columnis cõspicitur, sub quo post laborẽ comedunt, & medio die quietẽ capiunt: nã agriculturæ admodùm dediti sunt. Armá ipsorũ sunt arcus & sagittæ, quarũ aculei sunt expyrite, & tam acuti, vt comunẽ thoracem ferreũ penetrent: enses ex ligno præacuto: scutaex valido & rudi corio boũ confecta. *Miseranda cæcitas Indorum.*

Additamentum ad descriptionem regionis Novi Mexici, & quid porrò Hispani in ea viderint.



Osteaquàm in supradicta prouincia quatriduum hæsissent, tandem in regionem *de los Tiguas* peruene. ũnt, in qua sedecim pagi erant, quorum vnus *Poala* vocabatur. Hic intellexerunt, duos Monachos, Franciscum Lopez & F. Augustinum, quos quærebant, fuisse interfectos, vna cum tribus pueris Indis & Mestizo. Simulac Indi Hispanos hoc loco conspexerunt conscientia ipsos pupugit, & Hispanos propterea venisse existimarũt, vt Monachorum cædem vlciscerentur: quapropter non cunctandum rati, ædes suas deseruerunt, & in montes confugerunt, ex quibus nullo pacto revocari potuerunt. In pago & ædibus ipsorum copiosa annona reperta, præsertim multæ gallinæ, & species lapidis ęrei, qui plurimum metalli promittebat. Ex incolis nihil resciri potuit, quoniam omnes fugâ in montes se receperant. *Monachi à barbaris interfecti.*

Quoniam igitur illi, qui quærebantur, de medio sublati erant, deliberatum fuit, vtrum retrocedendum, & Nova Cantabria repetenda, an progrediendum esset. Hic variatum fuit sententiis: tamen cùm intellexissent, versus Orientalem huius provinciæ partem magnos atq; opulentos pagos superesse, Antonius Espejus, Beltrano monacho & plerisque militibus adstipulantibus, conclusum fuit, in explorandis novis regionibus pergendum esse, donec certi aliquid cognovissent, quod regio Gubernatori referre possent. Attamen consultum visum est, castra non movere: & ut Espejus cum quibusdam, novos populos quæsitum, exiret: quod etiam factum est. Post biduum in provinciam venerunt, in qua vndecim pagos viderunt, & tantam hominum multitudinẽ, ut ipsorum calculo 40000. essent. Regio erat fertilis & culta, quæ immediate regioni Cibolæ adhærebat. Multos illic tauros & vaccas inuenerunt: incolæ gossipio & corio vestiti erant. Nec pauca ibidem metallorum indicia apparuerunt: prout etiam metalla in quibusdam ædibus reperta fuerunt. Incolæ idola adorant, & se admodùm beneficos erga paucos hos Hispanos exhibuerunt. Espeius, hoc explorato, cum suis in castra rediit, vbi ad ipsum allatum est de alia gente, *Los Quires* dicta, ad quam profecti sunt. Cùm milliare tantum ab ea abessent, Indi ipsis obuiam venerunt, eosque in suas ædes introduxerunt, cibo largè apposito. Illic quinque sunt pagi, & in iis 15000. animæ. Imagines adorant: & sita est regio sub 37½. grad. versus Septentrionem. *Plures nouæ regiones detecta.*

Inde ad gentem peruenerunt, quæ *Los Cumanes* appellabatur. Primarius ipsorum pagus *Cia* nominabatur, qui tantæ magnitudinis erat, vt octo fora contineret. Domus erant calce cæmentatę, coloribus pictæ, multoque elegantiores, quàm nostri vsquam viderant. Populus, quem conspexerunt, numerum 20000. animarum superare videbatur. Hi multis egregiis muneribus Hispanos affecerunt, inter quę fuerunt pallia diuersorum colorum. Cibus, quo vescebantur, erat benè paratus & coctus: ex quo colligitur, hanc gentẽ cęteris, quas Hispani hactenus viderant, politiorẽ esse. *Elegantes ædes & homines politi in America.*

Ostendebant illi nostris luculenta metalla, & montes, ex quibus illa eruerentur. Inde ad *Los Ameies* venère, & decem milliaribus vlterius in aliam provinciam versus Occidentem, in qua magnum pagum invenerunt, Acoma dictum in quo plures quàm 1000. animæ degebãt: eratq; hic pagus in edita rupe situs, ad quem nullus erat accessus, nisi per cochleam lapidi incisam: quod Hispanis mirum ac singulare videbatur. Primarii ex hoc pago Hispanos inviserunt, & ipsis dona attulerunt. Agri ipsorum milliari inde distant, in quos aquam ex fluuiolo deriuant, qui ab vtraque parte roseti, est consitus. Sunt illic montes metalliferi quos tamen Hispani perlustrare nõ sunt ausi, quia hi copuli sunt fortes & bellicosi. Triduum eo loco nostri sunt commorati: sub quorum discessum Indi choreas agitarunt, & artificiosa quædam spectacula ediderunt, admiratione digna. Tandem regionem Zuny attigerunt, quam Hispani Cibolam nominant, vbi Franciscus Vasquez de Cornado priùs fuerat, & multas cruces aliaque signa erexerat, quę adhuc suis locis stabant. Ibidem nostri tres Indos Christianos & baptizatos invenerunt, & modò dicti Vasquez de Cornado sociis superstites, qui suę linguę propemodùm obliti erant, & eam, quæ in hac regione vsitata erat, didicerant: illius tamen breui tempore sunt recordati. Hi retulerunt Hispanis, itineris sexaginta dierum intervallo magnum lacum esse, ad cuius littus multi pagi essent ædificati, quorum incolæ auro abundarent, qui aureas armillas & in aures gestarunt: quo cognito, Franciscum Vasquez eò profectum: sed post iter duodecim dierũ, penuriâ rerum necessariarũ retrocedere coactũ, paullo pòst obiisset. *Nuncius de aurifera prouincia.*

Continuatio historiæ de novo Mexico.

Auri sacra fames.



Ntonius Espeius, auditâ hac narratione, ardenti cupidine illius auri inflammatus, eò iter intendit. Sed Monachus & plerique milites domum anhelabant, & in Nouam Cantabriam redire volebant: quod etiam fecerunt, relicto Espejo cum novem sociis, qui vlteriùs profecti sunt. Hi rectà versus Occidentem iter fecerunt: cumque 28. milliaria confecissent, peruenerunt ad regionem, in qua 50000. homines ad minimum habitabant. Barbari ipsis significarunt, vt pedem referrent, nisi vellent obtruncari. Espeius blandis verbis & muneribus inter primarios distributis eos ita placauit, vt ipsi annonam affatim subministrarent: nam præter nouem illos, etiam 150. Indos ex Cibola secum ducebat. Indi vicini accepto nuncio de hac Hispanorum humanitate, & quòd suis equis neminem læderent, honorem & benevolentiam ipsis passim exhibuerunt, & donis, præsertim metallo, eos cumularunt. Cùm Espejus de opulento lacu plura cognovisset, mox eò properauit, & 45 milliaria cum suo duce emensus, ad argentifodinam peruenit, ex qua suis manibus magnam argenti copiam egessit. Hæc fodina in monte erat, ad quem facilius parebat ascensus, & aliquot pagi Indici non procul aberant, qui bene de Hispanis mereri studuerunt. Hîc vites & in iis uvæ repertæ item nuces, & lini affluentia. Relatum quoque fuit Espeio de magno flumine, quod in mare Septentrionale se exoneraret.

Indi benefici erga eos, qui amicè cum ipsis agunt.

Posthæc Espeius Zunym est reuersus, vbi quosdam ex suis sociis reperit, & F. Bernardinum, qui cum bona gratia Indorum illic diuersati erant. Atque hi Espeium rogarunt, vt mox rediret, & plures Christianos secum adduceret, quibus victum procurare vellent. Monachus cum militibus domum repetit: sed Espeius cum reliquis sociis aliam viam ingressus est, & multis regionibus peragratis, ad fluuium venit, quem *Rio de las Vaccas* appellauit, propter ingentem multitudinem vaccarum, quæ illic erat: tandem in Vallem S. Bartholomæi, vnde exierat, rediit, & Proregi omnia, quæ viderat, retulit: qui ea ad Regem Hispaniæ & Senatum Indicum perscripsit.

Antonius Espeius domum redit.

Litteræ Hispanicæ interceptæ, quæ datæ erant 30. Maij 1596. memorant, quingentos milites sub Gubernatore Novæ Cantabriæ, ex mandato Proregis, Mexico egressos esse, vt Cibolam, vrbem amplam, quadringentis milliaribus à Mexico, versus Occidentem solstitialem, distantem, occuparet, apud quam fodinæ sint, quæ auro & argento scateant: regem illius regionis esse præpotentem, qui jugo Hispanico se submittere nolit: Proregem legatos ad ipsum misisse, de quibus cùm altum sit silentium, verisimile esse, eos omnes fuisse trucidatos. Quid 500. illi Hispani effecerint, de eo nulla sit mentio: eadem procul dubio ipsorum sors fuit, quæ legatorum: neque de illa vrbe aut nouis regionibus occupatis quidquam litteris proditum fuit: quapropter etiam istud suo loco relinquimus. Hoc saltem ex illis relationibus apparet, quot centena imò milliaria terrarum in America versus Septentrionem adhuc sint incognita.

SECTIO

SECTIO DECIMA.

Ephemeris, qua historia & res gestæ classis Nassoviæ, quæ sub archithalasso Iacobo Heremita totum terrarum orbem, annis 1623. 1624. 1625. & 1626. circumnavigavit, per singulos dies describuntur.



CUm experientia hactenus liquidò testatum fecerit, potentiam & sumptus, quibus Rex Hispaniæ tot annos in multis regionibus bella gessit, maximam partem ex Indiæ Occidentalis thesauris promanere: quod ipsum transfugæ omnes constanter asserunt: præpotentes Belgii fœderati Ordines multoties in eam curam & cogitationem incubuerunt, quo pacto navigationem illam disturbare, aut saltem impedimentum aliquod & remoram ei afferre possent: quam ob caussam aliquot classes diuersis temporibus in mare Septentrionale & Australe emiserunt. Quoniam verò maxima difficultas per Fretum Magellanicum in mare Australe trajiciendi, reperto ante paucos annos Freto Mæriano, per quod tutior est transitus, non parùm imminuta fuit: supradicti Ordines denuò classem insignem, vndecim, nomine & auctoritate Mauricii Nassovii, Principis Arausionensis, instruxerunt: cum qua missus fuit Hugo Muysius, Albertus Ioachimi & Adrianus Bruyningus, qui 29. April. anno 1623. sub imperio Iacobi Heremitæ, archithalassi, & Gheeni Hugonis Schapenhami, subpræfecti, mari se commiserunt. In his vndecim navibus erant 1637. homines, inter quos 600. classiarii numerati, qui in quinque signa distributi fuerunt Habebant illi penes se 294. ænea & ferrea tormenta. Distributio, ex consilio præfectorum maris & Societatis Indicæ Orientalis, hoc modo facta est.

Ex vrbe Amstelrodamo.

Navis *Amstelrodamum*, quæ fuit prætoria, capax erat 400. onerum. In ea navarchus erat Leonhardus Iacobus Stolckius: mercator, Petrus Weelius. Vehebantur illâ 237. personæ, inter quas 90 classiarii erant, ex cohorte Engelberti Schute, centurionis, qui etiam vnà profectus est. In eadem naui erant Fridericus Reynagomius, Fiscalis: Ioannes à Walbeck classis Mathematicus: Iustus à Vogelaar, omnes extraordinarii. Erat illa instructa 20. æneis & 22. ferreis tormentis Nauis *Delphi* subprætoria, etiam 400. onerum: in qua navarchus erat Cornelius à Witte, cum 242. hominibus, ex quibus 90. classiarii, ex cohorte Wilhelmi Brederodii, qui vna vectus est. Habebat hæc navis 20. ænea, & totidem ferrea tormenta. Navis *Aquila*, 200. onerum, cui præerat navarchus Meinhardus Egberti, 144. homines vehebat, inter quos erant 55. classiarii, ex cohorti Petri Eberhardi à Vries, habebatque 12. ænea, & 16. ferrea tormenta.

Liburnica seu *Canis Venaticus*, 30. onerum, regebatur à Salomone Wilhelmi, navarcho, & 20. classiariis ac 4. æneis tormentis instructa erat.

Ex Selandia.

Arausio, noctu prætoris, aliàs præfecti vigilum, partes agens, 350. onerum capax erat: qua vehebatur Ioannes Wilhelmus Verschoor, prætor nocturnus. In ea navarchus erat Laurentius Ioannes Quirinus, cum 216. hominibus, inter quos 90. classiarii sub cohorte Omari Eberwini, qui eadem navi vectus est Habebat illa 16. ænea, & 22. ferrea tormenta.

Roterodamo.

Hollandia, 360. onerum, qua vehebatur Cornelius Iacobi, Consiliarius archithalassi, à quo quartus in ordine erat. Nauarchum habebat Adrianum Tollium, cum 182. hominibus, inter quos 73. classiarii, & cohortibus Schutteni & Ioannis Terhalten centurionum. Instructa erat 10. æneis, & 24. ferreis tormentis.

Mauritius, quâ ego vectus sum, 280. onerum, gubernabatur à Iacobo Adriani, navarcho, & vehebat 199. homines, inter quos 66. classiarii, ex cohorte Ioannis Terhalten, centurionis, qui ipse in hac naui erat. Habebamus nos 12. ænea, & 20. ferrea tormenta.

Spes, 130. onerum, nauarchum habens Petrum Hermannum Schlobbium, cum 80. sociis navali-

navalibus,inter quos 30.classiarii,ex cohorte Brederodii centurionis: instructa erat 14.ferreis tormentis.

Ex Hollandia Boreali.

Concordia, 3000.onerum,cui præerat Ioannes Isbrandus navarchus, vehebat 170. homines, inter quos 65.classiarii, ex cohorte Petri Eberhardi à Vries,centurionis, qui ipsemet se socium in hac naui præbuit,cum 18.æneis,& 14.ferreis tormentis.

Rex David, 180. onerum, sub imperio Ioannis Thomæ centurionis & navarchi, vehebat 79. homines,& inter eos 26. classiarios, ex cohorte Ioannis Terhalten Centurionis: habebatque 16. ferrea tormenta.

Gryphus, 160.onerum,cuius navarchus erat Petrus Cornelius Heerloop,cum 78.hominibus, in quibus 24.classiarii numerabantur,14. ferreis machinis armata.

Omnes hæ naves,præter liburnicam seu Canem Venaticum, quæ quamprimum in Hollandiam remissa fuit,per fretum Mærianum in mare Australe transiverunt, & retrò in Indiam Orientalem penetrarunt: de quarum itinere periculoso & variis atq; admirandis casibus obnoxio sequens Ephemeris Lectorem plenè informabit.

Sequitur diarium, seu historia navigationis per singulos dies.

1623. Martius. Postquàm Ordines generales fœderatarum provinciarum Belgii, feliciter reperto novo transitu per fretum Mærianum,Magellanico à tergo relicto,versus polum antarcticum,constituerunt,novam classem instruere ad illam viam vlterius explorandam & peragrandam: omnia, quæ ad tantum iter necessaria erant,apparata, & milites conscripti,ineunte mense Martio, novi styli (quem hic semper sequimur)anno 1623 vndecim navibus impositi fuerunt, quæ 17. eiusdem mensis,in nomine Domini, vela fecerunt.

Aprilis. Die 29. Aprilis Iacobus archithalassus, vento flante ab Ortu solstitiali, cum nouem nauibus ex Goreda in mare vectus est. Navium nomina hæc erant: Amstelrodamum,Delphi,Hollandia,Concordia,Mauritius, Aquila, David, Spes, Gryphus,& liburnica, quæ Canis Venaticus appellabatur.

Die 30. sub vesperam, cùm Dunkerkam & Grevelingam prætervecti essemus, archithalasso nunciatum fuit, navim Aquilam in anteriori alvo ita perforatam esse, vt singulis horis antlia ter millies trahenda esset. Nauis Arausio,quæ in classe prætoris partes agebat,& in Selandia instructa fuerat,etiam paullatim ad classem accessit: quapropter aliquot horis cum dimidio velo provecti, cursum inhibuimus.

Maius. Calendis Maji, sub diluculum,archithalassus,consilio bellico coacto,decreuit,insulam Vectim esse petendam,vt navis Aquila repararetur,quâ alioqui carendum, & illa à tergo relinquenda fuisset. Cùm cursum flecteremus, navis Arausio ad Spem allisit. A meridie cum classe Vectim appulimus,& anchoras ante Portmudam jecimus: sed Spes fortuitò arenæ adhæsit,ex qua tamen subpræfecti maris prudentiâ,qui cum sua navi ei succurrit,& disploso tormento signum dedit,ea ipsa nocte emersit.

Die 2.eiusdem mensis anchoras sustulimus,& flante Euro sub castellum Coum delati sumus. Vesperi navis Aquila mersa est: ablato operculo à projectura compertum est, parietem quernum quibusdam locis ita diuulsum, ut culter cum vagina interponi potuerit.

Die 3.subpræfectus in littus exscendit,vt Gubernatorem salutaret.

Die 4. & 5. procella ab Occidente incubuit, quæ nos cœgit antennas & vela nostra demittere.

Die 6.navis Aquila in integrum restituta fuit.

Die 7. victus ratio iter eos,qui in classe erant, constituta fuit:quod vocabulo nautico *lytrum* appellatur: Ea talis fuit: quatuor libræ butyri in septem homines, singulis hebdomadis: septem libræ casei in septem homines, per hebdomadam: duo dies carnis in septimana, nempe dies Dominicus & Iovis,& septem libræ in diem pro septem hominibus. Die Martis laridum, 5¼. libr. in septem homines: Die Lunæ,Mercurii, Veneris & Sabbathi 1¾. libr. aselli arefacti vnoquoque die in septem homines.

A meridie duæ naves,Guineâ venientes,portum subierunt.

Die 9 totâ die malacia fuit vsque ad vesperam, quâ nos aura ex Occidente afflavit. Per eam liburnica,seu Canis Venaticus ad classem venit, quæ archithalasso nunciauit,navim Arausionem propter ventorum tranquillitatem ad nos pervenire non potuisse.

Die 10.manè,Zephyro spirante, vela fecimus, & cursum versus Orientalem oram Vectis direximus. Archithalassus naui Arausioni per liburnicam significauit, nos in animo habere, Orientalem oram Vectis petere: quò ad nos venire deberet.



Die 11. Zephyrus spirabat, cœlo sereno: hac nocte navis Arausio ad classem appulit.

Die 12. circa meridiem, lenis ventus ab Oriente flavit: & sublatis anchoris, mox rursus ab Occidente spirauit. Sub vesperam tres naues conspeximus, quas subpræfectus accersiuit: duæ ex India Orientali veniebant: tertia per mare vagabatur: quæ omnes in Hollandiam tendebant. Hac vespera naves nostræ æstu maris actæ fuerunt, & totam noctem ventulo, qui ab Occidente spirabat, velificavimus. 1623. Maius.

Die 13. manè, flante Zephyro, & cœlo nebuloso, anchoras fiximus. A meridie, discussâ nebulâ, cum æstu maris vela dedimus: & recedente mari, rursus substitimus. Noctu ventus spirabat ab Occidente solstitiali: quapropter archithalassus, tormento disploso, signum dedit, vt vela faceremus: sed quia pila non rectè immissa fuerat, tormentum disruptum est: quo ictu duæ trabes superiores, & vna ex secundo tabulato conquassata fuit: proximæ dissilierunt, & multæ cistæ ac merces damnum acceperunt. Qui tormentum displosit, erat auxiliator, qui nihil incommodi passus est: sed nautæ cuidam, qui adstabat, brachium duobus locis confractum fuit; ex quo ictu postea obiit.

Die 14. flante Aquilone, littoris oram legimus: meridie ventus ab Occidente spirabat. Vesperi Portlandiæ, ad Ortum solstitialem sitæ, quæ sex milliaribus à nobis aberat, cum classe substitimus.

Die 15. singulis quatuor libræ panis in septimanam, & 24. libræ casei pro toto itinere datæ: vesperi Dortmundæ cum classe mansimus.

Die 16. flante Zephyro, & cælo nebuloso, decem naues nobis occurrerunt, partim Hamburgenses, partim Anglicæ, ex quibus duo nautæ archithalassum nostrum adierunt, & cùm ventus ab Occidente vehementer spiraret, duæ priores naves Ramshaupti anchoras fixerunt: sed Arausio & liburnica, quæ longius sub vento erant, ad locum, vbi aliæ naves in anchoris stabant, venire non potuerunt.

N Die

1623. Maius. Die 17. in duabus supradictis navibus quæsitum fuit, an vllæ in ijs essent merces prohibitæ: sed nullæ repertæ fuerunt. Ventus hac die tam violentus erat, vt Anglica navis in nostro conspectu everteretur, & quinq; homines submergerentur: vnus, secundâ fortunâ, à subpræfecti lembo servatus & periculo ereptus fuit.

Die 18. Arausio & liburnica sub Ramshaupto ad nos venit.

Die 19. 20. & 21. ventus flabat ab Occidente, ita vt vela facere non possemus.

Die 22. Regis Angliæ subpræfectus, & prætor Pleymuthi cum aliquot nobilibus ad nos venerunt vt classem spectarent: quos noster archithalassus in prandio magnificè tractauit.

Die 23. flante Euro, vela fecimus.

Die 24. manè Lezartum versus Occidentem conspeximus.

Diebus 25. 26. 27. & 28. cum ventus ab Oriente constanter flaret, multum provecti sumus.

Die 29. Boreas spirabat, & sub meridiem, altitudinem poli 40. grad. 40. minut. assequuti sumus. Ibi liburnicam dimisimus, quæ propter vitium, quo laborabat, aliquot diebus nos remorata. Archithalassus jussit, vt naues se dividerent, & quo in loco argentea classis Hispanorum versaretur, expiscarentur, ac sub vesperam rursus convenirent.

Die 30. ab archithalasso in consilio bellico decretum fuit, vt classis in conspectum Hispanicæ oræ procurreret, & aliquot naves interciperet, ex quibus aliquid de argentea classe rescíscere posset.

Die 31. manè tres naves conspeximus, quæ nos compellarunt. Erant in illis piratæ Turcici, quos naves bellicæ Hispanorum ex promontorio S. Vincentii persecutæ erant. Sub vesperam, duobus à Barrelio milliaribus, aliæ octo naves Turcicę nobis occurrerunt, quarum vna per mediam classem transivit, & apud navim Concordiam subsistere coacta fuit, cuius præfectus ad archithalassum nostrum venit.

Iunius. Calendis Iunii præfectus ille, qui pridie vesperi ab archithalasso discesserat, ad eum rediit, vt experiretur an quinque mancipia, quæ in subpræfecti lembum se coniecerant, cùm nauis ipsius ab eo visitaretur, recipere posset: nam ea se Algieræ emisse asserebat. Archithalassus super ea re consilium belli cum convocauit & mancipia examinari curauit: quos omnes Belgas esse comperit, & ex iis intellexit, alios præterea in Turcica navi esse, qui ex pacto inter præpotentes Ordines & Algieranos inito, libertati restitui cupiant. Quapropter decretum fuit, vt illi omnes secundùm pactum modò dictum ex Turcarum manibus eriperentur, & in libertatem vindicarentur: ad quam rem quidam centuriones designati fuerunt, qui eam exequerentur. Atque illi eos à navi Turcica abductos in suas naves receperunt. Turcicus verò præfectus, cui epistola ad consulem Belgarum Algierę constitutum tradita fuit, iniquo satis animo à nobis discessit. Belgæ verò illi, cùm ad nos rediissent, per classem distributi fuerunt, stipendio menstruo ipsis assignato.

Die 2. circum promontorium Roxentii, mari tranquillo, vagati sumus.

Die 3. sub occasum Solis quindecim vela ad sinistram conspeximus, quæ ad nos tendebant. Nos tota nocte operam dedimus, vt ea assequi possemus: cùm autem nobis propinquassent, & vim metuerunt, huc illuc dilapsa sunt.

Die 4. sub diluculum decem vela procul à se mutuo dispersa vidimus, quæ confestim persequuti sumus: sed quia propter maliciam velificando parùm proficiebamus, quasdam naves cum celocibus emisimus, quæ remis velisque ea insequutæ quatuor ex illis ceperunt: Tres ex illis erant Hispanicę biremes, quę à navi Delphi captę fuerunt: quarta, navis Hispanica, quam navis Concordia cepit: omnes sacchara, quod Phernambuco advehebatur, onoratę. Navi Hispanica, tanquam commeantes vehebantur Hispanicus sacrificulus, & vir quidam spectabilis, cui nomen Augustino Osorio, qui diu in regno Peruano fuerat, & inde terrestri itinere *Buenos Aires* venerat, navimq. illam conscenderat, vt in Hispaniam trajiceret.

Die 5. & 6. in Hispanię oris adhuc substitimus.

Die 7. manè, navem conspeximus, cui cùm inhiaremus, eamque post longam velificationem in potestatem redegissemus, comperimus, esse navem piraticam Turcarum, quam missam fecimus. In illa velificatione naves, quas nacti eramus, classem sequi non poterant: cumque à postremis paullulùm progressæ essent, alia navis piratica Turcarum in eos invecta, procul dubio nobis illas eripuisset, nisi classis nostræ subpræfectus, eo animadverso, illuc cursum suum intendisset. Vnus ex mancipiis, qui Christianus erat, & navim illam gubernabat, conspecto subpræfecto, ad eum applicuit: quo facto, omnes Christiani è vestigio ad subpræfectum transilierunt. Præfectus navis Turcicæ, qui patria Enchusanus erat, Henricus Hermanni nomine, subpręfectum convênit, & restitutionem mancipiorum transfugarum petiit: ille verò ab eo admonitus & persuasus, res

suas

suas è navi Turcica in Hollandicam transferendas curavit, & cum reliquis mancipiis apud classem mansit. Sic Turcæ, amisso suo præfecto, & 17. Christianis, abierunt. 1623. Iunius.

Die 8. ex indicio Turcici præfecti, qui ad nos transierat, & retulerat, 29. atque etiam 30. naves bellicas Hispanorum in mari velificari, decretum fuit in consilio bellico, quandoquidem nostræ naves pares non viderentur, quæ contra tantam bellicarum navium multitudinem certarent, adhæc ita oneratæ essent, vt nec tormentis nostris in infima parte navium collocatis vti, nec nos ad pugnam comparere liceret, nisi priùs naues aliqua parte mercium, quibus in itinere nostro facilè carere possemus, exonerassemus, ita vt ex pugna plus detrimenti quàm emolumenti cum dispendio itineris nostri exspectandum judicaremus: decretum, inquam, fuit, vt ad portum Safiam contenderemus, & per naves quasdam Hollandicas, quas illic inventuri essemus, partam prædam domum mitteremus. Secundùm hoc decretum cursum nostrum, Borea flante, ad Occidentem brumalem direximus.

Die 12. promontorium Cantinum prætervecti sumus, & ne Hollandicæ naves, nos ex improviso adventantes conspicatæ, existimarent, nos esse classem Hispanicam, & nobis non exspectatis discederent, subpræfectus noster prævivit, & vesperi in statione navium ante Safiam anchoras fixit; cumque navis bellica Transisulana vela dedisset, subpræfectus lembum suum eam insequi jussit: quo factum, vt navis illa reuerteretur, & in statione consisteret: In ea tres tantùm naves repertæ, Transisulana illa, cum Gallica atq; Anglica holcade.

Die 13. manè omnes reliquæ naves cum quatuor captis ad stationem illam appulerunt. Subpræfectus cum Capitaneo navis bellicæ illico ad archithalassum venerunt, eiq; exposuerunt, quo loco res essent, quosdam nimirum ex classiariis illius navis seditionem movisse, & sibi imperium in eam arrogasse, suam verò auctoritatem aspernari. Quo audito archithalassus mandavit, vt seditiosi illi sibi dederentur, qui in navibus Amstelrodamo & Delphis custodiæ traditi fuerunt. A meridie archithalassus Senatum bellicum coëgit, in quo decretum fuit, vt navis Transisulana, quæ discessum meditabatur, aliqua parte sacchari oneraretur, Item, vt liburnica, seu Canis venaticus, quòd velis non benè instructa esset, domum remitteretur, & vna ex quatuor navibus captis ejus loco retineretur, in quam nautæ ex Cane venatico se reciperent. Denique, vt parua dromas, qua classis vteretur, in promptu esset: nam liburnicis non admodùm instructi eramus: & habebamus dromadem velivolam, quæ defectum illum supplere poterat. Aduentus ad stationem Safianam.

Dies 14. 15. 16. & 17. in sacchare transportando, & captiuis, qui in navi Transisulana fuerunt, examinandis insumpti fuerunt.

Die 18. septem ex naui Transisulana, rogatu Capitanei, ad Senatum bellicum adducti fuerunt, vt cum decem præfectis sententiam in captivos ferrent.

Die 21. quatuor ex navi Transisulana, qui constituerant, navim illam in suam potestatem redigere, & omnia, quæ in ea erant, prædæ exponere, ordine suspensi, & tres alii, qui seditionis participes fuerant, in navi conclusi, atque vt sine stipendio classem sequerentur, damnati fuerunt.

Die 24. cum 16. velis è statione Safiana solvimus. Sub vesperam nauis bellica Transisulana cum duobus lembis & liburnica seu Cane venatico à nobis discessit, domum repetitura. Postea tamen liburnica illa ad nos rediit.

Die 26. insulam Lancerotam prætervecti sumus, eamque ad dextram reliquimus.

Die 27. archithalassus, habito consilio bellico, expedire judicauit, vt in transitu ad insulas S. Vincentii & S. Antonii appelleremus, & Lusitanos, quos in itinere ceperamus, in terram exponeremus, vtq; tot hircos ac testudines, quot nobis opus esset, inde assumeremus: quo facto ad Sierram Leonam cursum intenderemus.

Die 28. 29. 30. ventus flabat ab Ortu solstitiali, & nos ad Occidentem brumalem velificavimus.

Die 1. 2. 3. & 4. Iulii ventus etiamnum ab Ortu solstitiali spirabat.

Die 5. Iulii, manè, in portu S. Vincentii anchoras fiximus: cumque hîc commodam stationem haberemus, in qua mensis spatio nulla pluvia metuenda erat, & Sierræ Leonæ circa hoc tempus cælum admodùm pluviosum esse soleat, visum est Senatui bellico, naves hîc esse expurgandas, tormenta in carinas transferenda, & ea omnia peragenda, quæ Sierræ Leonę facienda erat, propterea quòd circuli doliorum admodum infirmi essent, neque hoc loco satis magna viminum copia suppeteret. Iulius. Ingressus in portum S. Vincentii.

Decretum quoque fuit, vt duo signa militum cum omnibus ægrotis, qui in hac classe essent, in terram exscenderent: & tentoria in eum finem erigerentur, sub quibus commodè diversari possent: vtq; duo ista signa post sex dies, quibus in terra commorati essent, cum totidem aliis permutarentur. Hac vespera non procul à littore puteos fodimus, & recentem aquam invenimus. Adhæc duas fabricas ferreas ereximus, ad vncos ferreos, & alia quorum vsus in nauibus indigebat, c... enda.

1623. Iulius. Die 6. nauis prætoria noctu cum tribus probè armatis navibus ad insulā S. Antonii vecta est, assumtis aliquot captiuis Lusitanis, vt mala citrea, Medica aliaq; necessaria inde afferrent.

Die 7 prætoria ante diluculum ab insula S. Antonii rediit, & archithalasso retulit, barbaros secum amicè egisse, & illic hortū esse malis citreis, Medicis, Punicis & ficubus consitum, ex quibus aliqua in vsum classis attulerint. Barbaros sibi quatuor litteras tradidisse, ex quibus postremæ à naui Lugduno scriptæ erant, quæ referebant, se omnem à barbaris humanitatē expertos esse, ideoq; petebant, vt cum illis quoq; amicè ageretur. Archithalassus poma per classem distribuit.

Die 9. concio habita fuit in insula S. Vincentii.

Die 13. duo signa militum, quæ in terram exscenderant, revocata, & duo alia in eorum locum missa fuerunt.

Die 16. singulis tres libræ panis cum semisse in septimanam distributæ fuerunt: nam Senatus bellicus judicabat, tantum panis ad eos, qui in classe erant, alendos sufficere. Singulis noctibus satis multas testudines consequebamur, quas inter nos partiti sumus. Pisces pro lubitu cepimus: hircis ab initio ex voto potiri non poteramus: tandem verò vsu meliùs edocti, vnoquoque die pro singulis nauibus 15. vel 16. hircos cepimus.

Die 17 consultum visum est, vt die 25. huius mensis hinc discederemus, & Sierram Leonam iremus, cogniturі, an illic naves essent, quibus reliquum, quod habebamus, sacchari domum mitteremus, & nobis de sale, quo maximè indigebamus, prospiceremus.

Die 22. subpræfectus cum liburnica seu cane venatico & duabus bene armatis navibus ad insulam S. Antonii vectus est, abductis secum omnibus captiuis Lusitanis, & minoribus navibus, quas nostri occuparant. Singulis duodecim argentei pro viatico numerati fuerunt: sed Hispanus captiuus, Augustinus Osorius, in classe retentus fuit.

Die 23. subpræfectus rediit, afferens secum 22000. mala citrea, quæ cum bona gratia à barbaris pro quodam munusculo acceperat. Epistolam quoq; apud barbaros reliquit pro amicis, qui in posterum hanc insulam aditurі essent, quā testabatur, se amicè cum barbaris egisse, & cum bona gratia ab illis discessisse.

Die 24. fabricam nostram ferreā demoliti sumus, & omnes nostras sarcinas à terra aveximus.

Die 25. manè classis ex portu S. Vincentij solvit. Insulæ S. Vincentii & S. Antonii ex omnibus insulis Australibus commodissimo loco sitæ sunt inter 19. cum semisse & 18 gradum latit. Borealis, & duobus milliaribus à se invicem distant. Portus S. Vincentii situs est ad 16 grad. 56. minut. estque amplus, elegans & eximius, in quo naues commodissimam stationem habent.

Descriptio insulæ S. Vincentii. S. Vincentius pagus est, apud quem paullulum aquæ recentis pro nauibus reperitur. Non procul à portu distat, vbi duæ aut ad summū tres naves tantum aquæ, quātum ipsis sufficit, colligere possunt. Quoniam igitur tota classis inde adaquari non poterat, coacti sumus puteos fodere, in quibus aquam quidem invenimus, sed admodum salsam, & vix potabilem, quę, nostro judicio, facilè dysenteriam movere potuisset.

In hac insula copia est hircorum pinguium, qui gratioris, quàm vsquam, sunt saporis: sed difficulter capiuntur. Qui verò locorum gnari, & in venando exercitati sunt, etsi eorum tantum 25. aut 30 sint, tot, quot volunt, capere possunt. Testudinum, quæ duorum ac trium pedum sunt, magna hîc copia est, quando tempus est, vt noctu ex mari ad littus se conferant, & ova sua in terra abscondant quæ à Sole excluduntur: quod fit à mense Augusto vsq; ad Februarium: à quo tempore postea in mari manent. Cibus non est ingratus, qui tamen piscium potiùs quàm carnium saporem habet. Ova harum testudinum non malè sapiunt. Multi præterea egregii ac magni pisces hîc reperiuntur, qui uncis ad scopulos tanta multitudine capiuntur, vt socii navalęs ventrem iis explerent. Insula non est habitata: semel in anno quidam ex S. Lucia huc veniunt, qui testudines capiunt, ex quibus arvinam conflant: hircorum pelles in Lusitaniam mittunt, carnes ad S. Iacobum vehunt, pro alimento navium ac dromadum, quæ in Brasiliam tendunt. Fructuum ibi nihil est, præter ficus silvestres, & colocynthides, quæ hinc inde reperiuntur. Cæterùm regio prorsus arida est præsertim tempore sicco, quale erat, cùm ibi essemus. Tempus pluuiosum durat ab Augusto vsq; ad Februarium: quæ tamen non est certa regula.

Descriptio insulæ S. Antonii. Insula S. Antonii habitata est à barbaris & Mauris, qui cum vxoribus & liberis sunt circiter quingenti. Hircis abundat, ex quibus incolæ viuunt: prout etiam aliæ insulæ: aliquid præterea gossipii in ea nascitur. Ad oram maritimā hortus est malis citreis & Medicis abundans, in quo 50000. eorum haberi possunt, quando maturuerunt. Barbari ad amicam tractationem propensi sunt, & pro exiguo munusculo omnia mala decerpi patiuntur. Porcos, oves, vaccas & alia pecora in hanc insulam introduximus.

Die 26. cum lucesceret, tres naues ad sinistram vidimus, quas libenter compellassemus; sed quia celeriter progrediebantur, ab iis persequendis destitimus.

Die 27. sub vesperam infra insulam S. Iacobi delati sumus, neq; insulam de Majo assequi potuimus,

tuimus. Nos in mare reuersi, sperabamus vno atque altero circuitu supra S. Iacobum eniti, & vsq; ad mediam noctem cursum ad terram direximus. 1623. Iulius.

Die 28. manè prope ad littus accessimus: sed comperimus, nos plus dispendii quam compendii fecisse. Quamobrē rursus in altū vela dedimus, & sub meridiē terram repetiimus, ad quā circa vesperam peruenimus: sed exscendere non potuimus: itaque archithalassus, tormento disploso, signum posterioribus dedit, vt institutum iter persequerentur, neq; huc deflecterent.

Die 29. prima luce tres naues ex nostra classe desiderauimus, Delphos, Arausionem & Aquilam: quapropter in consilio bellico constitutum fuit, hoc mane & die operam dandam, vt ad Australem partem S. Iacobi insulam Maii peteremus, & illic tres naues amissas quæreremus: quod si non succederet propter ventum aduersum, cum classe Sierram Leonam contenderemus, & illic naues eas exspectaremus. Multa erat his diebus malacia, & ventus varius.

Die 30. & 31 operā dedimus, vt insulam Maii circūnauigaremus, aut amissas naues inuenitem*.

Calendis Augusti tres illæ naues prope nos comparuerunt, quæ Euronoto flante ab insula Maii in hunc locum delapsæ erant. Subpræfectus retulit archithalasso, se ad insulam Maii nullā nauim inuenisse, & se in illo tractu 70. cados salis adeptum: itaq; non frustra operam insumsisse. Augustus.

Die 2. ventus ab Ortu solstitiali constanter flabat.

Die 3. manè idem fuit ventus, qui priùs: à meridie mare fuit tranquillum: sub noctem cùm ventus ab Occasu brumali flaret, cursum nostrum versus Ortum direximus.

Die 4. altitudo poli erat 11 grad. cum semisse: ventus idem qui ante.

Die 5. pluuia fuit continua, ventus ab Occasu æquinoctiali: cursum versus Austrū tenuim*.

Die 6. idem ventus perpetuabat. Propter pluuias assiduas, alia incommoda, quæ nostri hoc loco passi sunt, vt & aquam salsam, quam in insula S. Vincentii hauseramus, dysenteria quasdam naues inuasit, quę Sierræ Leonæ valde inualuit: ex qua multi exspirarunt. Hoc quoque morbo extinctus fuit Cornelius Bootius, Commissarius in naui Concordia.

Die 7. aqua mutauit, & 15. vlnis fundum explorauimus. Nos versus Euronotum ad terram contendimus, donec aqua tantùm 8. vlnas profunda esset, vbi per noctem substitimus.

Die 8. manè terram conspeximus, quæ plana & humilis apparebat: ex quo cognouimus, nos à parte Septentrionali adhuc procul à Sierra Leona abesse: quapropter, Austro flante, cursum nostrum versus Ortum æquinoctialem direximus.

Die 9. flante Africo, cum fluxus maris versus Septentrionem tenderet, nosq; obliquando cursum parùm proficeremus, substitimus in profunditate 10. vel decem vlnarum.

Die 10. noctu, cùm ventus flaret ab Occasu æquinoctiali, vela dedimus: sed quia parùm promouebamus, cursum reflexmus. Circa meridiem rursus vela fecimus, & ad Ortum brumalem cursu instituto, per loca sicca, in quibus tantùm aquam 3. 4. & 6. vlnarum habebamus, trāsuecti sumus: quod per horam circiter durauit. Sub vesperam alia nobis siccitas, vbi tantùm 7. vlnarum aqua erat, superanda fuit, & vidimus exscelsum littus Sierræ Leonæ versus Ortum brumalem, ad quod secunda vigilia anchoras fiximus.

Die 11. classis portum Sierræ Leonæ subiit, in eoque anchoras iecit. Subpræfectus cum aliquot aliis in littus exscendit, vt locum dispiceret, ad quem liburnica seu Canis venaticus, quæ admodum perforata erat, appellere & sarciri posset. Cum ille rediret, quosdam barbaros secum adduxit, qui cupiebant videre, quas naues haberemus: pro quibus quidam ex nostris, obsidium loco, in terra manserunt. Die 12. liburnica ex aqua in littus extracta fuit: quæ vt citò sarciretur, bini ex singulis nauibus naupegi adhibiti fuerunt. Adhæc victores in littus egressi sunt, vt materiam ad naues obthurandas, qua maximè opus habebamus, conquirerent.

Die 13. barbari permittere nolebant, vt nostræ naues ad littus accederent, priusquàm ipsis satisfieret. Quam ob caussam archithalassus quosdam barbaros, qui ad naues nostras venerant, prolixè habuit, & ipsis duas phalangas ferreas, aliquid lini & alia munuscula pro fratre Regis & pagi illius præfecto transmisit. His barbari acquieuerunt, & passi sunt, vt tot mala citrea, tantumque aquæ, quantum vellemus, ex littore asportaremus.

Die 14. frater Regis & pagi illius præfectus archithalassum in naui ipsius conuenerunt, cùm priùs aduentum suum significassent. Archithalasso aliquot centenos dentes elephantinos donarunt: pro quibus lautè habiti fuerunt, & vilia quædam munuscula acceperunt. Regis frater indutus erat semilineis & variegatis caligis & thorace, ad formam Hollandicam factis, cum cæruleis tibialibus, & rubris crepidis. Præfectus suū consuetū habitū gerebat, & suā auctoritatē tuebatur.

Die 15. naues nostræ versus Ortum in exiguo quodam tractu plura quàm 120000. mala Medica nactæ sunt. Hoc die accidit, vt quidam socii ex naui concordia magnas nuces, myristicis similes, sed aliquanto crassiores, inuenerint, quarum nucleū comederunt. Cùm ad naues redirent, vnus Nuces [illegible]

1623. Augustus. ex ipsis subitò animam exhalauit, veneno extinctus: contra quod cæteri è vestigio antidotũ sumserunt, quo vis veneni repressa, & ipsi periculo erepti fuerunt. Archithalassus socios omnes monendos curauit, & nuces illas per vniuersam classem interdicto sustulit.

Die 16. in consilio bellico decretum fuit, vt hinc discederemus, & in transitu ad insulam Annabonam applicaremus. Quòd si illic non satis aquæ inueniremus, quæ nobis vsque ad mare Australe sufficeret, ad alia loca, in quibus aqua esset, appelleremus.

Die 17. aqua vltimo quadrante Lunæ eo vsque non defecerat, vt ad rimas liburnicæ in infima parte peruenire, easque obstruere potuissemus: neque aqua tam profunda erat, vt liburnica ei innatare, atque inde educi posset: quapropter naupegi opus intermittere coacti sunt.

Die 18. 19. 20. & 21. omni arte & studio allaborauimus, vt liburnicam proueheremus, sed inanis fuit noster labor.

Die 22. liburnicam rudentibus è fundo extraximus, & ad nauem Gryphum perduximus.

Die 23. liburnica propter rimas à submersione ægrè seruari potuit, & in iis obstipandis totus dies consumptus est.

Die 24. Commissarius in naui Concordia electus fuit, Petrus Nicolaus Schlachtius: Commissarius autem in naui, quæ Spes vocabatur, Nicolaus à Warthuysen, auxiliator.

Die 25. nauis Mauritius in magnum periculum incidit. Nam foramen colluuiei, dum nauis purgaretur, & in latus incumberet, per obliuionem non fuit clausum: ideoque aqua tanta vi irrupit, vt ad 7. vel 8. pedes in naui excreuerit, antequàm nostri illud animaduerterent.

Die 26. liburnica fuit reparata & obstipata.

Die 27. liburnica iterum fuit attollenda: qua ex re malus cœpit rumpi: alioqui eo die ad iter omninò parati fuissemus.

Die 28. Iacobus Adrianus Dunensis, nauarchus in naui Mauritio è viuis excessit.

Die 29. nauarchus ille, omnibus præfectis clasfis & signo militum eum comitantibus, in littore sepultus fuit. Eo vespere in naui Amstelrodamo Ioan. Alemanus, Secretarius, fato funct⁹ est.

Die 30. Petrus Welius, Secretarius & Commissarius in naui Amstelrodamo ex hac vita migrauit. Die 31. Welius ille, Archithalasso & omnibus præfectis ac signo militum funus deducentibus, ad oram maritimam humatus fuit.

September. Calendis Septembr. nauarchus in naui Mauritio, loco Iacobi Adriani defuncti creatus fuit Petrus Hermannus Sclobius, nauclerus in naui Spei: cuius locum in modò dicta naui obtinuit Salomon Wilhelmi, nauclerus in liburnica, seu Cane venatico: cui in liburnica iam memorata successit Evvaldus Evvaidi, proreta supremus in naui Mauritio: Decretũ quoque fuit, vt quatuor captiui ex naui Transisulana, quia hactenus benè se gesserant, stipendium deinceps acciperent. Die 2. propter tempestatem & vehementem pluuiam parùm profectum est.

Die 3. omnia sedulò ad iter crastina die persequendum comparata fuerunt.

Sierra Leonæ descriptio. Die 4. Austro flante, Sierram Leonam reliquimus, & in altum vela dedimus. Sierra Leona est promontorium in continente versus Austrum, vbi fluuius ab Occidentali parte Africæ in mare labitur. Statio, in qua anchoræ figuntur, sita est in latitudine boreali 18. grad. 20. minut. Sierra Leona edito loco sita est, terra duplici imò triplici, arboribus densa, & facilis cognitu iis, qui à Septentrione veniunt: quia in illis oris nulla tam alta regio conspicitur, priusquam Sierræ Leonæ appropinques. Incredibilis illic multitudo est arborum, quæ sapore & colore malos Medicas referunt, sed iis sunt minores: in siluis promiscuè crescunt, ex quibus tot fructus decerpere licet, quot lubet, modò cum barbaris transigatur. Eramus hîc eo tempore, cùm arbores illæ fructibus abundarent, quorum maiorem copiam in naues intulimus, quàm conducebat, quia immodico eorum esu & aëre insalubri dysenteria, quæ iam in nostris nauibus grassabatur, ab eo tempore, quo hîc commorati sumus, valde inualuit, adeò vt ab 11. Augusti ad 4. Septembr. 24. homines eâ absumpti fuerint. Multæ sunt hoc loco palmæ: & aliquot, quamuis paucæ, ananassæ. Prospeximus hîc nobis de lignis & trabimus, nec non stupa, qua dolia nostra stiparemus. Ante stationem nauium optima aqua inuenitur, quæ nullo negotio hauritur. Hîc nomina Francisci Dracki & aliorum Anglorum, qui olim ad hanc stationem appulerant scopulis incisa legebantur. Fluuius, de quo supra, in duo brachia diuiditur, quæ in terram se diffundunt. Ripa eorum tot arboribus consita est, vt ferè nusquam egressus in eam pateat.

Ad latus boreale illius fluminis admodùm defatigati fuimus, quia nihil erat, quo nos reficeremus. Barbari ab hac parte quotidie cum Lusitanis negotiantur, & periculum est, ne ab illis opprimare. Quare non consultum est, illic longiùs refectionis caussâ excurrere.

Die 5. ventus flabat à Meridie: vesperi habebamus altitudinem poli 8. grad. 50. minut. & obseruauimus, nos per fluxum maris integrum gradum à recta via deflexisse.

Die 6. Zephyrus flabat, & nos cursum versus Austrum direximus.

Die 7. liburnicâ, seu Canem venaticum compellauimus, & intelleximus, vnæ quadrãtæ horæ anti-

antliam bis millie trahendam, & eos, qui ea vehebantur, in magno periculo versari, ventus spirabat ab Occidente. 1623. September.

Die 8. & 9. Notus spirabat, & nos versus ortum cursum tenuimus.

Die 10. promontorium de Monte versus Ortum solstitialem à nobis aberat. Sub hoc tempus archithalassus noster in grauem morbum incidit, qui maiora indies incrementa sumsit.

Diebus 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. vsque ad 28. ventus à Meridie flabat, & nos Ortũ, interdũ Occasum versus cursum instituimus.

Die 29. manè insulam S. Thomæ antrorsum iacentem conspeximus: ad quam sursum versus velificari non poteramus: itaque versus Ortum nitentes, insulam circumnauigare constituimus. Insula S. Thomæ. Hîc comperimus, quantum nauis Aquila totam classem in itinere remorata esset, cuius caussâ quotidie cursum inhibere coacti sumus. Absq; eò fuisset, non tantùm insulam S. Thomæ superassemus, sed etiam Annabonam ad Occasum prætereuecti essemus: quod iter nostrum mensis spatio promouisset. Cùm altitudinem Orientalem S Thomæ superassemus, vidimus aliquot naues in anchoris stantes, quæ nostro iudicio, extra tormenti iactum à castello aberant. Quapropter archithalassus cum duabus nauibus, quibus potiti eramus, eas intercipere cogitabat: sed vento deficiente, cum summa esset tranquillitas, irritus fuit conatus. Nos per totum tempus pomeridianum, mari tranquillo vagabamur. Subpræfectus illic anchoras fixit, profunditatem habens quinq; vlnarum.

Die 30. manè classis ad littus cõuenit, & Africo flante, ad promontorium *Lopes Gonsaluo* tetẽdit.

Calendis Octobr. sub diluculum, promontorium Lopes conspeximus, quod velificando assequi non poteramus, sed nimium ad Aquilonem deflexímus, ita vt totum diem, cursum obliquando, consumeremus, antequàm anchoras iacere possemus: sed nauis Arausio & Aquila, quæ adhuc procul aberant, hoc die portum subire non potuerunt. October. Anchoris iactis, lembus Archithalassi littus petiit, vt recentem aquam inuestigaret, qui in reditu vasculum aquâ plenum attulit: sed illa turbida, nec potabilis erat. Archithalassus, qui aquæ caussâ huc venerat, & sciebat, Guineenses negotiatores hîc aquam colligere solere, habito consilio, iussit quosdam aquam illam explorare: qui retulerunt, aquam, quam negotiatores illi hoc loco colligerent, circa hoc tempus putidam & ad potum incommodam esse: quapropter decretum fuit, vt classis sequenti nocte progrederetur, & experiretur, an Annabonam venire posset. Nos ex barbaris intelleximus, nauim Coppenhagensem, cui Rolandus Crabbe præerat, 21. Augusti huc venisse, & 6. Septembr. discessisse: huc quoque frigidum Leonem Calend. Quintil. ex India appulisse, & 6. eiusdem mensis abiisse. Noctu, flante Austro, in mari hæsimus.

Die 2. ventus aduersus nos integrum milliare versus Septentrionem à promontorio Lopes repulit. Die 4 fluxus maris nos in Septentrionem egit, ita vt promontorium assequi non possemus. Sub vesperam nauis Amstelrodamum tribus quadrantibus milliaris à promontorio vela faciens, in vada allisit, & à 25. ad 3. vlnas fundum inuenimus. Nos illico scalas demisimus, vt inde nos extricaremus: sed vanus fuit labor: & cum nauis Concordia in eadem vada impegisset, archithalassus tormentum displodi iussit, vt reliquas naues moneret: quæ illico cum suis nautis, lembis, anchoris & harpagonibus naui Amstelrodamo succurrerunt, & anchoram posteriorem magno labore extraxerunt: quo facto, nauim quàm celerrimè, translatis tormentis, è fundo sustulerunt & progredi fecerunt. Dum in eo essemus, vt nauim in locum profundiorem promoueremus, funis anchoræ, quo nauis alligata erat, per imprudentiam solutus, & nauis denuò in vada impulsa fuit, maiori, quàm antea, periculo. Sed nauarchi diligentiâ periculum illud discussum, & nauis in altum mare rursus prouecta fuit. Nauis Concordia anchoram iecerat, cuius ope è vadis sine magno labore emersit. Maximum damnum quod tunc accepimus, positum erat in archithalassi persona, qui cùm recens ex morbo conualuisset, nimio ardore, quo propter hunc casum in supremam partem nauis se contulerat, ita fuit debilitatus, vt paullatim omnes vires amitteret.

Die 4. propter aduersum ventum omninò progredi non potuimus. Vtraque nauis, Hollãdia & Dauid, anchoram perdidit.

Die 6. operam dedimus, vt ad promontorium Lopes appelleremus, quia archithalassus intellexerat, nos aquæ penuriâ laborare, & illic commodum locum esse ad puteos fodiendos, qui bonam aquam præberent.

Die 7. classis secundò ad promontorium Lopes appulit: sed subpræfectus, Arausio & liburnica nondum eò peruenire poterant. Nauarchi, qui in littus emissi fuerant, vt puteos foderent, retulerunt, aquam, quæ die 2. huius mensis comperta fuerat, ad potandum non conducere, eò vsque excreuisse, vt iam commoda esset, & pro tota classe sufficeret, nec opus esse nouos puteos fodere.

Die 8. subpræfectus cum liburnica ad nos venit.

Die 9. Arausio nõ procul à classe anchoras fixit. Archithalassus imperauit, vt nautæ suis lẽbis ad

Arau-

1615. October. Arausionem veherentur, & vacua ipsius dolia aquâ replerent, ne illa nauis nobis in mora esset. Tunc Senatus bellicus coactus, in eoque decretum fuit, vt tres libræ panis cum semisse singulis in hebdomadam distribuerentur.

Chirurgus infidelis. Insuper decretum fuit ex indiciis, quæ contra M. Iacobum Vegerum, primarium chirurgũ in naui Mauritio prolata fuerant, quod suis medicamentis complures de medio sustulisset, vt ille quæstioni subiiceretur.

Die 10. ventus tam vehemens erat, vt non consultum videretur, nauis velis committere.

Die 11. ex consilio proretarum in Senatu bellico statutum fuit, vt Spes & Canis venaticus periculum facerent, an obliquando cursum, promontorium superare possent. Nam torpedo seu scorbotus ita in nauibus nostris inualescebat, vt malis citreis aliisque ad refectionem necessariis omnino nobis opus esset, antequam cum classe per fretum Mærianum traiiceremus. Quamobrẽ omne studium adhibuimus, vt desuper ad promontorium Lopes veniremus, & inde ad insulam Annabonnam appelleremus. Sub vesperam nauis Spei, tormento disploso, signum dedit, se promontorium superasse. Lembum quoque emisimus, qui fluxum maris obseruaret.

Die 12. manè classis, Austro flante, vela fecit. Lembus, qui fluxus maris obseruandi caussâ emissus fuerat, retulit, se nullam in fluxu mutationem animaduertisse, sed fluxum perpetim ad Septentrionem tendere. Subpræfectus & prætor nocturnus, mandato ab archithalasso accepto, examen M. Iacobi chirurgi instituerunt: quem primò blandis verbis ad spontaneam veritatis confessionem allicere conati sunt: sed cùm omnia pertinaciter negaret, ad quæstionẽ progressi sunt, & sex grauissimas subscudes corpori eius appenderunt, quibus adeò non fuit perterritus, vt superbè dominis examinatoribus responderet, ac tantùm non insultaret. Illi ergò rati, magici aliquid subesse, eum vestibus exuendum curarunt, & pellem ac linguam anguineam in sacculo pectori apposito inuenerunt. Examinatores, dato mandato, vt diligenter custodiretur, hoc die nihil vlteriùs in hac caussa egerunt.

Die 13. manè tota classis vno & dimidio milliari â promontorio Lopes in anchoris stabat, præter nauim Amstelrodamum, quæ fortè per transuersum fluxum abrepta fuerat, ita vt ad locum, in quo reliquæ naues stabant, peruenire non posset. Quod videns subpræfectus, qui verebatur, ne nauim illam è conspectu amitteremus, sublatis anchoris, ad archithalassum contendit, ita vt tertiò ante promontorium Lopes anchoras figeremus.

Die 4. vela nostra propter ventum aduersum quieuerunt.

Die 15. in consilio decretum fuit, vt simulac ventus secundus esset, versus Occidentem, aut aliqua ex parte versus Austrum vela daremus.

Die 16. ventus flabat ab Occasu brumali: quapropter eodem loco substitimus. Subpræfectus & prætor hac die vsque ad vesperam denuò capita contulerunt, vt examen M. Iacobi chirurgi ad finem perducerent. Captiuus à quæsitore vinculis solutus, cùm ad Examinatores adducendus esset, brachiis adhuc constrictis, è naui in mare insiliit, ea mente, vt seipsum aquis mergeret. Sed tubicen, qui in eadem naui erat, saltu eum protinus sequutus est, qui annitebatur, vt M. Iacobũ supra aquas retineret. Chirurgus verò aquam affatim hauriebat, & tubicinem secum in fundum pertrahere conabatur: quod factum fuisset, nisi alius subuenisset, qui à tubicine adiutus, tamdiu chirurgum tenuit, & à submersione prohibuit, donec scapha aduenit, quæ illos tres recepit, & ad nauim reuexit. Chirurgus, cùm ad se rediisset, sponte confessus est, se esse Louaniensem, Hispanis parentibus natum, Licentiatum Medicinæ: & se septem homines in hac classe consultò ac deditâ operâ necasse, propterea quòd sibi nimium molesti essent, & ab iis liberari cuperet: se post egregiam operam in sanando chirurgo nauatam, liberam mensam Capitanei petiturum fuisse: quâ sibi negatâ, se constituisse rationem inire, quâ archithalassum, subpræfectum & alios primarios officiales, qui hac in re sibi aduersati fuissent, veneno tolleret. Addebat se in animo habuisse, cum Diabolo pacisci: sed Diabolum sibi apparere noluisse, quidquid etiam studii ac laboris impenderit: se etiam in sua captiuitate conatum, mortem sibi consciscere, & puluillo ori inserta spiritum elidere: sed id successu caruisse. Suspicio quoque erat grauiorum criminum: sed visum est examinatoribus, propter ipsius inualetudinem, libera hac confessione acquiescere.

Die 17. in consilio bellico, quod archithalasso grauiter decumbente, in naui Delphica habitum fuit, sententia contra M. Iacobum Vegerum lata est.

Chirurgus capite plexus. Die 18. Austro flante, vela dedimus. Hoc manè M. Iacobus Chirurgus, in naui Mauritio securi percussus fuit. Noctu ventus ab Austro indesinenter spirabat.

Die 20. manè insulam S. Thomæ in conspectu habebamus. Et quia hoc tempore exigua spes erat ad Annabonã appellẽdi, & valde verebamur, ne scorbotus, qui iã omnes naues inuaserat, magis ac magis inualesceret, archithalassus præcepit, vt liburnica & duo lẽbi ad insulã Rolles irent (quæ insula versus Occasum brumalem, ad angulũ S. Thomæ iacet) & commodam stationem

pro

pro nauibus explorarent, ac cognoscerent, an tantus illic numerus malorum citreorum suppeteret, quanto ad reficiendam classam opus esset. 1613. October.

Die 22. subpræfectus cum liburnica & duobus lembis ad insulam Rolles excurrit, & inter eam ac S. Thomæ insulam transiuit, vt commodam stationem pro nauibus inueniret. Reliqua classis interea in aquis hærebat, exspectans constitutum signum, quod erat, vt vnus ex lembis cum vexillo prodiret, qui classem ad stationem duceret: sed nihil comparuit ante vesperam, quâ liburnicam & duos lembos pone insulam Rolles, postquam eam circumnauigassent, conspeximus, classis aduentum exspectantes.

Die 23. archithalassus ex subpræfecto intellexit, quid hesterna die peregissent, se videlicet in insula Rolles fuisse, & pauca mala citrea inuenisse, quòd jam extremus annus esset: sub insula aquam 7.6.5.4. vlnarum cum semisse habuisse, fundum autem reperisse saxosum, & ineptum ad jaciendas anchoras. Quam ob caussam non fuit visum consultum, eò classem ducere, vbi illa se reficere non posset. Archithalassus, hac relatione auditâ, mandauit Ecclesiæ ministro, vt concionem ad populum haberet, eumque hortaretur, Deo se commendare, & ipsi supplicare, vt omnes & & singulos sanos atque incolumes conseruaret, & iter eorum prosperaret. Interim operam, quam potuit, maximam dedit, vt aliquid, quo classem reficeret, nancisci posset. Hoc die cursum nostrum versus Occidentem direximus, cùm ventus ab Ortu brumali spiraret.

Die 24. ventus spirabat ab Occasu: itaque velificationem conuertimus, cum vereremur, ne versus Septentrionem ad lineam Æquinoctialem repelleremur.

Die 25. noctu velificationem rursus conuertimus, ne insula S. Thomæ nobis ex oculis eriperetur: vesperi insulam Rolles ad Ortum brumalem habebamus, à qua tantùm quatuor milliaribus aberamus.

Die 26. & 27. omnibus viribus enixi sumus, vt latus Australe assequeremur.

Die 28. vento nobis adspirante, ad latus Australe assequeremur.

Die 29. à meridie insulam Annabonam conspeximus, quæ nobis ad Occidentem brumalem sita erat, & decem milliaribus à loco, in quo eramus, distabat. Admiratione dignum est, quòd cùm omnia faceremus, vt Annabonam appelleremus, labor noster esset inanis: cumque spem omnem eò perueniendi abiecissemus, inuiti eò detruderemur. Quapropter in consilio decretum fuit, vt ad illam insulam tenderemus, & triduum aut quatriduum in ea commoraremur, classemque aquâ & malis citreis recrearemus. Erat illud manifestum indicium, Deum velut manu nos eò duxisse, vt ab imminenti periculo atque incommodo, quod à scarboto metuendum erat, nos liberaret.

Die 30. noctu pleræque naues portum Annabonæ intrarunt.

Die 31. manè Cornelius Iacobi & fiscalis, ex mandato archithalassi, in littus exscenderunt: qui vexillo securitatis excepti fuerunt, & cum Gubernatore, cui nomen erat Antonio Nunes de Matos, transegerunt, vt liceret cum incolis amicè contrahere, ac tantum aquæ & malorum citreorum auferre, quantum vellemus: adhæc milites ad aquilegia collocare, qui incolis graues futuri non essent. Interea omnes reliquæ naues appulerunt: & archithalassus, nuncio ex littore accepto, mandauit, vt prætor nocturnus cum 100. militibus & omnibus nautis ad aquilegia se conferret, & modum præscriberet, quo nautæ vasa sine discrimine aquâ implere possent. Subpræfectus Gubernatorem in littore conuenerat, nullis adductis militibus, quos Gubernator nullo pacto admittere volebat: & tractatum cum incolis instituere conatus erat: quod hoc die perficere non potuit, quandoquidem incolæ cum pecore in syluas profugerant. Lembi sub vesperam reuersi sunt, aquâ & malis citreis onerati.

Calendis Nouembr. 40. circiter porcos & aliquot gallinas sale permutauimus. November.

Die 2. & 3. in littus rediimus, vt plus aquæ & malorum citreorum nobis compararemus. Subpræfectus hoc die cum aliquot Officialibus eodem accessit, & Gubernatori munus, cuius pretium erat 300. flor. obtulit: quo ille vix acquieuit: & quia milites nostri Mauris in aquando vim intulerant, gallinasque & alia eripuerant, parùm abfuit, quin subpræfecto & aliis Officialibus manus & vincula injiceret: quoniam verò fide ab ipso acceptâ venerant, eos dimisit, monuitque, ne hosti in posterum nimium fiderent. Procul dubio, quia potentiam classis reformidabat, à vi & iniuria abstinuit. In hac insula duo ex nostris transfugerunt: vnus erat Hispanus, alter Græcus, qui ex naui piratica Turcarum in mari Hispanico ad nos venerant.

Die 4. flante Africo, Annabonâ soluimus. Annabona insula est, quæ jacet in altitud. vnius gradus & quadrantis ab Æquinoctiali versus Austrum, sex milliaria in circuitu continens. Littus est excelsum: in insula habitant Mauri circiter 150. exceptis vxoribus & liberis, quorum longè major est numerus. Incolæ parent Lusitanis, quorum etsi non plures quàm duo aut tres esse soleant, qui eos gubernant: tamen eos sibi ita obnoxios habent, vt mirum sit: & si quis eorum delinquat, Descriptio insulæ Annabonæ.

O illum

1623. November. illum confestim in insulam Sancti Thomæ relegant: quæ summa est pœna, quâ Mauros afficiunt, quamque illi maximè extimescunt. Hæc insula fructibus abundat: quales sunt Bananæ, Amanassæ, Coci, Famacindæ, arundines sacchari & Patattæ: inprimis malorum citreorum, quibus naues maximè opus habent, feracissima est: ita vt quatridui spatio, quo hîc substitimus, plura quàm 200000. nauibus intulerimus, præter ea, quæ nostri in littore comederunt. Hæc mala sunt jucundi saporis, neque prorsus acida aut dulcia: adhæc magna sunt & succi plena: quædam reperiuntur, quæ tres libræ quadrantes pondere æquant, & pileum succo implere possunt. Sunt quoque illic dulcia poma, sed non ita multa, quæ incolæ in pretio habent: toto anno reperiuntur, sed quodam tempore meliùs asseruari possunt, quàm alio: prout hoc tempore prorsus matura erant, & facilè computrescebant. Quædam, sed pauca, mala Medica hîc inueniuntur: nec desunt pecora, vt oues, vaccæ, hirci & quamplurimi porci, pro quibus sal Mauris dabamus. Ad ortum brumalem elegans est aquarium in hac insula, vbi aqua ex monte in vallem influit: qui locus multis malis & arboribus fructiferis consitus est. Non tamen absque labore aqua hinc ad naues defertur. Portus est ad Ortum solstitialem: vbi fundum est arenosum, 6.7.10.13.16. &c. vlnas profundum. Ad portum, juxta quem pagus est, incolæ loricam lapideam excitarunt, ex qua se defendere possunt, si quis ipsis inuitus excensionem facere velit. Si tamen magna aliqua vis ingruat, domos suas, ex ligno & palea contextas, deserunt, & se in montes recipiunt; vbi aliquot fossas duxerunt. Scloppetis & aliis armis satis sunt instructi, quæ haud inscitè tractare norunt. Sunt ibidem quædam feles zibeticæ, quæ sunt feræ, & in siluis oberrant: ex quibus incolæ zibetum colligunt, quod tamen non magni vsus est. Vulgus malè vestitum est: mulieres capite & superiori parte corporis sunt nudæ: sub pectore vsque ad genua linteum gestant, quo corpus circumvolvunt. Belgas omnes, qui in hanc insulam, vt se reficiant, diuertunt, cautè cum incolis conuersari, neque pollicitis eorum nimium fidere oportet. Arma in promptu habenda sunt, si forte Mauri contra promissa aliquid tentarent. Nam multæ naues graue damnum acceperunt, quòd verbis eorum fidem habuissent.

Classis adhuc circa lineam volutatur.

Die 5.6.7. Austro flante, Occasum versus iter instituimus.

Die 9. & 10. Eurus flabat, & nos ad Occasum vela dedimus.

Die 11. & 12. Euro nos à puppi prosequente, circiter 90. milliaria ab Annabona versus Occasum provecti sumus, in altitud. 3. grad.

Die 20. vesperi casus sinister in naui Amstelrodamo accidit. Pueri quidam ludebant, & cespitantes ad oram nauis impegerunt: ex quibus tres mutuo amplexu sibi adhærentes, in mare præcipitarunt. Nos lembum ejecimus, qui vnum reduxit: reliqui duo fluctibus hausti perierunt.

Die 22. ante lucem Hispanica biremis ad aluum nauis Mauritij allisit, ita vt prior malus nauis in malum biremis incurrerit. Mauritij rostrum confractum, & anterius velum ruptum, malus autem biremis quassatus fuit. Cùm illuxisset, ope nauium & cymbarum vna ab altera diremta fuit, sic vt anterioris mali antenna in naui Mauritio ad malum vsque biremis pertingeret.

Die 25. circa meridiem, altitudinem habebamus 16. grad. 15. minut. & nostræ pyxides nauticæ 10. gradibus versus Ortum solstitialem declinabant.

Die 29. altitudinem habebamus 19. grad. cum semisse, & longitudinem eandem cum insula Martini Vaesii. Consilio apud archithalassum habito, decretum fuit, vt ad Tropicum Capricorni versus Occasum brumalem tenderemus. Hac vespera comperimus altitudinem 13. grad. versus Ortum solstitialem.

December.

Die 2. Decembr. altitudinem habebamus 20 grad. & 2. quadrant. vt naucleri judicarent, nos insulam Martini Vaesii prætervectos esse, quam velificatione ad Occasum brumalem directa, non conspeximus: nec dubitabamus, nos cum classe occidentalem partem illius insulæ prætemauigasse.

Die 3. nauem conspeximus, quam frustra sumus persequuti.

Diebus 12.13.14.15.16. & 17. crebra erat malacia, sub altitudine poli Australis 30. grad. quam ob caussam parùm promovimus.

Die 18. sub altitud. 31. grad. cum semisse, circiter 120. milliaria à continente versus Occasum aberamus: quapropter consultum visum fuit, vt ad Occasum brumalem velificatio institueretur, & pyxidem 18. gradibus versus Ortum solstitialem promoueremus.

Diebus 19.20.21. & 22. ventus flabat ab Aquilone.

Die 23. ventus mutavit, & sensimus grauem tempestatem cum tonitru & fulgure.

Die 24. cùm nullus esset ventus, naves fluctuarunt.

Die 25. noctu ventus ab Aquilone spirauit, qui postea versus Occasum se conuertit, ita vt ab Occasu brumali flaret. Vesperi, mari tranquillo, fluitavimus: & ex Solis occasu comperimus altitudinem 21. grad. versus Ortum solstitialem.

Die 26.

Die 26. manè ventus erat borealis: sed se vertit, vt præcedenti die, ita vt ventum aduersum habeDie 26. manè ventus erat borealis: sed se vertit, vt præcedenti die, ita vt ventum aduersum haberemus. Die 27. ventus rursus ab Aquilone spirauit, sed mutauit, vt priùs. 1623. Decembris.

Die 28. ventus flabat ab Occasu Brumali: nos versus Meridiem cursum intendimus.

Die 29. totum diem propter malaciam fluctuauimus, & circa meridiem eramus sub altitudine poli Australis 38. grad.

Secũdâ vigiliâ ventus ab Aquilone spirauit, sub diluculũ in Occasum deflexit, cũ procella.

Die 30. flante Austro, velificationem conuertimus. Cùm autem nullum ignem ab aliis nauibus conspiceremus, rati, illos versus Ortum hærere, nec conuersionem velificationis nostræ vidisse, cursum versus Orientem instituimus.

Die 31. tres naues desiderauimus, Arausionem, Spem & Gryphum, quas arbitrabamur, versus Occasum à nobis abesse.

Calendis Ianuarij archithalassus singulis mensis cantharum vini Hispanici in felix noui anni auspicium donauit. 1624. Ianuarius.

Die 2. procella fuit ab Occasu brumali. Die 3. ventus spirabat ab Occasu brumali: sub meridiem assequuti sumus altitudinem 42. grad. cum semisse.

Die 4. ventus flabat ab Occasu æquinoctiali. In conticinio procella à Septentrione incubuit: sub mediam noctem ventus surrexit ab Occidente Solstitiali.

Die 5. ante meridiẽ ventus spirabat ab Occidẽte solstitiali, post meridiẽ, ab Occidente Brumali, cum assidua procella. Nos quotidie multum spumæ marinæ & mespili saxatilis conspeximus: inde, & ex multitudine auium coniecimus, nos non procul abesse à continente.

Die 6. 7. & 8. Auster spirabat, & nos ad Occidentem cursum intendimus.

Die 9. propter frigus singulis sextarius vini igne eliquati dari cæpit. Sub meridiem habebamus altitudinem 44. grad. 20 minut.

Dieb. *10. 11. 12. 13. 14. 15.* & *16.* maxima ex parte Auster, interdũ Eurus, mox Zephyrus flabat.

Die 17. sub meridiem peruenimus ad altitudinem 45. grad. ventus erat Septentrionalis.

Die 18. comperimus, indicem magneticum 15. grad. versus Ortum solstitialem deflectere, & iacta bolide ad 70. vlnas fundum limosum inuenimus, cum nigra arena permixtum, quamuis nullam terram conspiceremus: aura à Septentrione spirabat.

Die 19. vesperi, radiis Solis relucentibus, mare diuersis locis rubrũ ac sanguineũ apparebat.

Die 20. comperimus, rubedinem, quam pridie vesperi in mari conspexeramus, nihil aliud esse, quàm innumeram paruorum cancrorum multitudinem, qui mari hunc colorem imprimebant. Ventus flabat ab Ortu solstitiali

Die 21. procella ab Occasu brumali exorta est: sub noctem Auster flauit.

Die 26. sub meridiem habebamus altitudinem 51. grad. 10. min. Sub vesperam vehemens ventus ab Occasu brumali incubuit, cum tanto frigore, vt cuidam captiuo, qui propter furtum constrictus tenebatur, ambo pedes congelarent.

Die 27. procella vsque ad vesperam perseuerauit: pòst cæpit remittere.

Die 28. biremis se subduxit, quam postea non vidimus. In ea erant 18. viri, ex quibus tres fuerunt Lusitani Erat illa commeatu probè instructa. Vesperi nacti sumus ventum à Septentrione.

Die 29. altitudo fuit 52. grad. à meridie flauit Euronotus. Die 30. altitudo erat 52. grad. 30. min. & fundum ad 55. vlnas inuenimus. Eo die propter malaciam progredi non potuimus.

Die 31. ventus surrexit ab Ortu solstitiali, qui sub noctem vehementer flauit.

Calend. Febr. 1. luce terram conspeximus, versus Occasum brumalem, quæ quinque milliaribus à nobis aberat. Erat illa promontorium *de Pennas*, altis montibus circumdatum, in vertice niuibus obtectum. Nos bolide iacta fundum inuenimus ad 52. vlnas, & cursum nostrum, vento spirante ab Ortu solstitiali & brumali, versus Austrum dereximus. Februarius. Terra del Fuego apparet.

Die 2. manè dilapsi sumus ab ostio freti Mæriani, ita vt nullũ transitũ videre aut coniectare possemus. Sed Valentinus Ioannis, nauclerus in naui Concordia, qui anno 1619. cùm Hispanicis dromadibus hoc loco fuerat, fretum agnouit ex montibus, qui ad occidentalem ostij partem siti sunt, & cũ naui Concordia cursũ eò tenuit, vt fretũ traiiceret. Ostium huius freti facile cognitu est. Latus orientale, quod Ordinum littus appellatur, cognitu facile est: quippe altum, cliuosum & angulosum, latus occidentale, Mauritij littus dictum, aliquot rotundos colles ad ipsam oram habet. Sub ingressum huius ostij duas naues in sinu stantes conspeximus (sinus ille à Verschosio nomen accepit) quæ protinus velis ad nos contenderunt. Flante autem Euro, & fluxu maris ab ea parte quæ littus Occidentale respicit, vehementer nobis aduersante, archithalassus valde dubitabat, vtrum cum classe in sinu Valentini, qui est in freto Mæriani, anchoras figere deberet, quòd ea statio commoda videretur, an vlteriùs progredi satius esset: verùm dum ad

1614. Februarius. sinum illum, qui respectu plagæ Septentrionalis inter secundam & tertiam summitatem versus Occidentalem partem freti situs est, tenderemus, vt locum contemplaremur, conspecta naui, quæ illic in anchoris stabat, archithalassus iussit, vt sinum peteremus: cumq; in eo essemus, vt anchoras iaceremus, lembum vidimus ex sinu ad nos tendentem, qui nutu & clamore nos monuit, ne naues eò aduerteremus: quapropter statim velificationem conuertimus, & magno nostro bono supra apicem Australem à sinu recessimus, vbi fundum deprehendimus scopulosum, quindecim vlnas profundum. Inde in medium fretum procurrimus, vbi duas naues exspectauimus, quas extra fretum conspexeramus. Illæ sub meridiem ad nos venerunt, erantq; Arausio & Spes; ita vt nulla nauis iam nobis deesset, præter Gryphum, quæ in sinum Valentini appulerat, & biremem supradictam. Quandoquidem igitur iudicabamus, Gryphum, hoc vento, non posse vela facere, nostrum iter persequuti sumus, & fretum traiecimus. Cælum ante meridiem tam turbidum erat, vt cùm in medio freto essemus, nullum ab vtroque latere littus cerneremus: quamob caussam etiam pauca de littore, quod ad fretum illud est, narrare possumus. Sub meridiem cùm summitas Australis littoris illius versus Ortum à nobis abesset, altitudinem 55. grad. & 20. min. assequuti sumus. Ventus ab Ortu solstitiali vsque ad mediam noctem durauit: postea ab Occasu brumali spirare cœpit. Scilicet, vt alius indicamus.

Die 3. ventus flabat ab Occasu solstitiali: sub meridiem altitudo erat 56. grad. A meridie prætor nocturnus archithalasso retulit, naues Arausionem, Spem & Gryphum vltimo Decemb. sibi obuias esse factas: quæ sub altitudine 54. grad. in littus exscensionem fecerint, & 20. Ianuar. fretum ingressæ fuerint, verùm propter fluxus aduersi vehementiam illud traiicere non potuerint, ideoque sequenti nocte in eo substiterint: vltimo autem Ianuarii sinum ad latus Occidentale freti accesserint, vbi nullum commodum fundum ad anchoras fingendas inuenerint. Addebat se inde lembum Arausionis ad Gryphum in sinum Valentini misisse, vbi hesterna die eam stantem videramus, sciscitatum, an classis illic fuisset, & vt cæteris nauibus, quæ in eundem sinum appellere cogitabant, significaret, fundum iaciendis anchoris ineptum esse: interea se cum duabus nauibus, Arausione & Spe, extra fretum in sinum Verschosii anchoras fixisse, & inde lembum ad littus misisse, vt loci naturam & conditionem explorarent. Se in fluuiolum progressum, vbi amplam stationem pro paruis nauigiis inuenerit, in qua à ventis tuta esse posint: sed maiores naues propter breuia & syrtes eò non esse adducendas: se cum incolis egisse, & quasdam merces permutasse, sed nihil, quo socii se reficere possent, reperisse. Dum hic naues commorarentur, nautas vncis tot pisces, quot voluerint, cepisse, qui formâ & sapore asellis similes fuerint. Cùm autem naues in hoc sinu à vento Orientali non satis tutæ essent, & mare intumesceret illas inde soluisse, antequàm nos conspexerint.

Die 4. ventulus ab ortu brumali flauit.

Die 5. ventus ab Occasu brumali spirauit, cum turbine, nimbo & grandine.

Die 6. manè vidimus promontorium Hornanum versus Occasum solstitialem, quod tribus milliaribus à nobis aberat: & quia lenem ventum ab occasu brumali spirantem habebamus, quo ad littus sursum versus nauigare poteramus, ad Austrum nos conuertimus.

Die 7. manè ventus ab Occasu solstitiali spirabat: post meridiem ab Ortu solstitiali. Frigus etiamnum durabat. Circa meridiem subpræfectus procul in mare actus fuit, qui rostrum suæ nauis loco mouit, prout Amstelrodamum & aliæ naues fecerant. Noctu tam vehemens procella ab Occasu incubuit, vt quædam naues suos rudentes amiserint.

Die 8. eadem procella perseuerauit. Sub meridiem altitudo erat 57. grad. cum vna tertia parte. Nos hanc altitudinem mirabamur, quandoquidem pridie maiorem altitudinem habere debuissemus: & interea 12. milliaria versus Austrum circumnauigaueramus: ex quo coniecimus, fluxum hoc loco vehementiorem esse: an verò ad Ortum aut Occasum tenderet, scire non potuimus.

Die 9. procella ab Occasu solstitiali continuabat.

Die 10. sub meridiem habuimus altitud. 58. grad. 30. minut. & cum procella, quæ ab Occasu solstitiali incumbebat, secunda velificatione versus Ortum nauigauimus.

Die 11. eadem fuit altitudo, quæ pridie: & grauis tempestas ab Occasu solstitiali coorta est.

Die 12. ventus etiamnum vehemens erat ab Occasu.


Die 13. ventus maxima ex parte ab Occasu solstitiali spirabat: noctu nix copiosa cum grandine decidit.

Die 14. Sole oriente 25. gradus versus Ortum solstitialem deprehendimus: alii tantùm 23. gradus habebant: quidam non plures quàm 21. ita vt declinatio indicis magnetici, etsi ille iam transpositus fuisset, permagna maneret: quod satis mirari non poteramus. Circa meridiem altitudo fuit 56. grad. 20. minut. A meridie archithalassus constituerat Senatui bellico mandare, vt nau-

Vt nauclerorum sententiam de fluxu maris audiret: sed simulac candidum vexillum erectum erat, 1624.
promontorium Hornanum, septem milliaribus à nobis dissitum, versus Occasum solstitialem con- Februarius
speximus: ex quo sequebatur, nos fluxu maris ad Ortum vehementer impulsos fuisse, quamuis istud nobis minimè in mentem veniret, sed firmiter crederemus, fluxum illum ad Occasum tendere: quamobrem naucleri naues maximè ad Occidentale latus promontorii Hornani admoliebantur. A meridie subpræfectus archithalassum convenit, quæsiuitque, quandoquidem duodecim diebus magis retrogressi quam progressi fuissemus, annon expediret, circum promontorium Hornanum sinum aliquem inuestigare, in quo classis recentem aquam colligeret. Re inter ipsos agitatâ decretum fuit, si posterò die ventus foret secundus, istud omittendum esse: nam in sinum ignotum naves ponderosas appellere, non videri consultum: sed si ventus aduersus perpetuaret, dispiciendum, quo pacto classis in vno atque altero sinu aquam & saburram nancisci posset.

Die 15. manè, promontorium Hornanum duobus milliaribus à nobis distabat, versus Occasum solstitialem. Sperabamus nos hoc vento, si perseueraret, promontorium illud à Septentrione superaturos: sed fluxus tanto impetu ad Ortum tendebat, vt dum desuper velificaremus, meridies esset, antequam latus boreale superaremus. In præteruehendo inter promontorium Hornanum & aliud, quod versus Occidentem erat, amplum sinum conspeximus, qui se tam longè in terram effundebat, quàm visus pertingere poterat: itaque in spem venimus, fore, vt hîc commodam stationem inveniremus: & quia post meridiem ventus spirabat ab Occasu, confidebamus, nos circum Australe latus velificantes, sub promontorium actum iri. Archithalassus igitur, præmissâ liburnicâ, cum sua naui inter duo promontoria inuectus est, sperans, se illic commodam stationem reperturum, ad quàm naves in ingressu appellere possent: deinde locum opportunum, in quo aquam, saburram & ligna pro classe compararet, exploraturum.

Nos ad profunditatẽ vnã & quinquaginta vlnarũ appropinquauimus, vbi arbitrabamur, nos commodam stationem videre. Sed vento sub noctem deficiente, cùm nullus locus occurreret



1624. Februarius. ad quem appellere possemus, in altum vela dedimus. Secundâ vigiliâ, cùm Boreas flaret, ex sinu egressi, continentem petiimus.

Die 16. ventus ab Ortu solstitiali spirabat vsq; ad meridiem: tunc tranquillitas sequuta est, & altitudinem 56. grad. 10. minut. assequuti sumus. Promontorium Hornanum versus Ortum à nobis aberat. Vidimus duas insulas, 14. aut 15. milliaribus præter propter à nobis dissitas, versus latus Occidentale promontorij Hornani, quæ in tabulis chorographicis non erant notatæ. Nos lembum ad paruam anchoram alligauimus, vt videremus, quò fluxus tenderet: & comperimus, eum ad Occasum solstitialem tendere.

Die 17. manè, ventus spirabat ab Occasu solstitiali, quò etiam littus porrigebatur. Cùm igitur præterita nocte procul retroacti fuissemus, & certum esset si ventus perseueraret, fore, vt sub promontorio Hornano hæreremus, visum est archithalasso, vt cursum nostrum ad magnum quendam sinum, qui postea sinus Nassouicus fuit appellatus, dirigeremus, ibiq; exspectaremus, & vt liburnica seu Canis venaticus præmitteretur, quæ sinum illum obiret. Sed Subpræfectus qui metuebat, ne per tarditatem liburnicæ dies elaberetur, & classis sub illum sinum impelleretur, rectà ad sinum, tanquam antesignanus, procurrit: cumq; in eum per duo milliaria nauigasset, anchoras iecit, ac signum dedit, fundum illic fingendis anchoris aptum esse. Reliquæ naues sub vesperam ad eandem stationem peruenerunt, vbi fundũ erat ex calce 25. & 30. vlnis profundum.

Die 18. nauarchi ex mandato archithalassi ad littus admouerunt, vt illud explorarent: qui è regione stationis commodum locum inuenerunt, in quo naues à repercussione fluctuum tutæ esse poterant, & aqua limpida ex monte defluebat, quæ situlis in naues inferri poterat. Ibidem saburræ & lignorum satis superq; erat. Hic fuit tertius sinus in mari Australi, quem à nomine subpræfecti Schapenhamensem sinum indigetauimus.

Die 19. cælum erat turbidum: sub meridiem tanta subitò procella ab occasu brumali insurrexit, vt naues Delphi, Arausio, Mauritius & Concordia loco suo abigerentur, quæ mox alias anchoras eiecerunt, & vectes suos transmiserunt, quibus retentæ fuerunt. Naues & lembi, inter littus & alias naues stantes, omne studium adhibebant, vt se ad vnam aut alteram nauim alligarent: sed nauclerus nauis Spei euersus fuit, quem tamen nautæ prosperâ fortunâ seruarunt. Vesperi serena fuit tempestas.

Die 22. flante Zephyro, varia fuit tempestas: modò procellosa, modò serena. A meridie vis maior incubuit, ita vt quidam ex nostris littore manere cogerentur. Hoc die barbari eo loco, vbi aquam hauriebamus, comparuerunt, qui suas merces cum nostris amicè permutarunt.

Die 23. manè tempestas fuit inconstans: à meridie atrox & vehemens: ita vt nauis Aquila 19. homines in littore reliquerit, quos nautæ non ausi sunt ad eam reuehere.

Die 24. cùm naues ad littus appulissent, ex 19. illis, qui ad Aquilam pertinebant, tantùm duo in iis reperti, qui adhuc in viuis erant. Hi narrabant, barbaros hesternâ vesperâ reliquos 17. fustibus, fundis & hastis obtruncasse, quamuis nullâ ab iis fuissent affecti iniuriâ: quod ipsis facilè fuit factu, cùm nostri essent inermes. Quinq; tantùm cadauera in littore reperta: in quibus fuit proreta, & duo pueri. Proretam insolito more excarnificarant: pueros in frusta distraxerant: reliquos omnes asportarant, vt eos deuorarent. Quo cognito, archithalassus mandauit, vt singuli nautæ, qui littus peterent, octo vel decem milites, securitatis caussâ, sibi adiungerent, ne à barbaris vim paterentur: sed ab eo tempore nulli barbari hoc loco in conspectum nostrum venerunt.

Die 25. ante lucem tempestas cessauit, & nacti sumus ventum ab Ortu solstitiali, quo subpræfectus cum liburnica ad classem rediit. Is archithalasso retulit, quid sibi in itinere obuenisset: primò, se rectà, ad eum locum nauigasse, in quo stationem inuenerit. Locus ille in tabulis chorographicis sinus Canis venatici appellatur. Hîc se proxima nocte quieuisse: manè quosdã lembos ad littus aduectos aliquot tuguria inuenisse, vbi barbari ad ipsos accesserint. Inde se cum liburnica Orientalem partem circumnauigasse, & per magnum canalem transuectos, à promontorio Hornano versus Ortum aberrasse: se interea extra illum canalem ponè summitatem, & intra insulam, quæ Terhaltena dicatur, substitisse: postea flante Euro, ad classem reuersum esse. Addebat terram del Fuego (prout tabulæ chorographicæ ostendant) in multas insulas esse diuisam: neque opus esse iuxta promontorium Hornanum transire, si quis in mare Australe traiicere velit: sed promontorium illud versus Austrum relinquendum, & ab Ortu in sinum Nassouicum nauigandum: & verisimile esse, quòd in hoc sinu transitus sit, per quem in fretum Magellanicum traiici queat.

Descriptio terra del Fuego. Terra del Fuego maxima ex parte est montosa: vbique sunt valles amœnæ, herbæ delectabiles, & iucũdæ arbores, quæ pulchris fontibus, è monte scaturientibus, rigantur. Inter insulas diueræ sunt stationes commodæ, in quibus classis tutò latere potest. Illic loca sunt commoda ad hauri-

hauriendam aquam: illic lignorum copia ad focum struendum: illic lapidum acerui, ad naves saburrandas. Montes, qui in mari nauigantibus procul à terra esse videntur, arboribus sunt consiti: quæ omnes versus Ortũ propẽdent, propter vehementes vẽtos ab Occasu flantes, qui in hac ora dominantur. Terra montium cui arbores insistunt, est venosa, caua & duos aut quatuor pedes alta, per quam baculus ad rupes & scopulos, qui subtus latent, facilè pertingere potest. Hæc regio est ventosa & multis tempestatibus obnoxia, propter crebras exhalationes, quæ ex aquis ascendunt, & magna vi ab Occasu ad Ortum agitantur. Itaque venti Occidentales in hac ora magis, quàm vllibi, vesaniunt, & tam subitò atque insperatò irrumpunt, (prout in sinu Nassouico quotidie experti sumus) vt tempus ad vela demittenda non suppetat: tantus autem eorum impetus est, vt sæpè duæ aut tres anchoræ ad nauim sistendam non sufficiant, & nautæ, qui in naui sunt, sternantur. Quapropter eos, qui ad Occasum tendunt, terram del Fuego, quantum fieri potest, vitare, & ad latus Australe, in quo à ventis illis liberi sunt, se conuertere oportet. Nam inde Austri (prout ex nostra nauigatione præsumimus) orientur, qui ipsos procul dubio ad locum optatum propellent. Incolæ terræ del Fuego sunt naturâ candidi, sicut Europæi: sed corpora suâ rubro calore inficiunt, ac variè pingunt. Quidam habent faciem, crura, brachia, manus rubro colore tincta: reliquorum corpora sunt candida, læuia, picta aut fuco illita. Quidam dimidia parte rubri, & altera candidi sunt: ita vt vnusquisque suo peculiari colore sit insignitus. Iidem sunt sagaces, apta proportione decori, staturâ Europæis similes. Prolixos & atros crines gerunt, qui ipsos aspectu horridos reddunt. Dentes habent acutos, murium instar: Viri prorsus nudi incedunt, etiam pudendis retectis: sed mulieres ea corio tegunt: suntque illæ eodem modo pictæ, quo viri: collum funiculo, cui conchæ aut cornicula sunt illigata ornant. Tuguria ipsorum sunt ex arboribus contexta, subtus rotunda, desuper acuminata: intus duobus aut tribus pedibus in terram excauata, extinsecus terra est gesta. In tuguriis ipsorum nihil reperias, præter miros quosdam corbes, in quibus sua instrumenta piscatoria reponunt, quæ sunt vncinuli lapidei, nostro more affabrè facti, quibus musculos marinos appendunt. His tot pisces capiunt, quot volunt. Arma ipsorum sunt diuersi generis: quidam habent sagittas & arcus: illæ artificiosè sunt elaboratæ, & furcillas missiles præfixas habent. Alij sarissis, quarum cuspis est lapillus acutus: nonnulli fundis, quibus lapides magna vi mittunt, vtuntur. Sunt etiam ipsis cultri lapidei atque acuti. Arma sua semper in promptu habent, quoniam (vt ex gestibus ipsorum percipere poteramus) cum alia gente, quæ aliquot inde milliaribus ad Ortum circum Goredam & Terhaltenam insulas degit, & eodem modo, quo incolæ sinus Schapenhamensis & Canis venatici, colorata est, perpetua bella gerunt. Navigia eorum sunt visu digna, & artificiosè confecta, nempe hoc modo: Integrum corticem ex crassissima arbore accipiunt, quem inflectere, remos ex eo secare, & eundem rursus ita compingere norunt, vt cymbam Venetam referat. In his nauigiis, quæ 10. 14. 16. & 20. pedes longa sunt, & alas habent, septem vel octo homines commodè sedere possunt: iisque tantâ celeritate, quantâ nos lembis nostris, vehuntur. 1624. Februarius

Quod ad ingenium horum incolarum attinet, illi brutis animalibus magis similes sunt, quàm hominibus. Nam carnes humanas, easque crudas, deuorant, neque vlla in iis scintilla religionis aut politiæ elucet: adhæc vsque adeo sunt impudentes, vt se mutuò suâ vrinâ conspergant.

Vim armorum nostrorum non intelligunt, nec arbitrantur, quemquam ense aut scloppeto lædi posse.

Omnes sunt praui & malitiosi: erga peregrinos initio amicitiam simulant: interea nihil aliud cogitant, quàm vt eos ex improuiso obruant & trucident: sicut 17. illis ex naui Aquila, quorum suprà facta est mentio, euenit. Quamobrem illi, qui deinceps ad littus Nassouicum appellent (vbi puræ aquæ & lignorum maxima est copia, nullum autem pecus nec pisces in sinu Schapenhamensi vidimus, etsi musculorum ibi longè maximus sit numerus) diligenter sibi caueant, neque his barbaris quemcunque vultum præ se ferant, aut quomodocunque gesticulentur, nimium fidant, sed armis semper accincti sint, nec temerè periculum adeant, quando sui reficiendi & res necessarias conquirendi caussa littus eorum peragrant.

Indicia, ex quibus constat, in terra del Fuego animalia esse, hæc sunt: Diuersis locis excrementa & intestina animalium, ac neruos taurorum vidimus. Adhæc subpræfecto, cùm in liburnica esset, & illa sub Goreda in anchoris staret, à milite, qui paullo longiùs in illam terram progressus erat, significatum fuit, se in viridi silva multitudinem animalium conspexisse.

Sub vesperam tam vehemens & immanis procella ab Occidẽte orta est, vt naues tribus & 4. anchoris alligatæ soluerentur, & aliquò vsq; abriperentur: ob quam caussam quidam nautæ suas anchoras amiserunt, & aliquot lembi ac naues damnum acceperunt: imò ventus tam impetuosus

erat,



erat, vt nemo in naui consistere posset. In hac procella cymba nauis Arausionis euersa fuit, & octo viri submersi perierunt: sex à naui Delphica seruati, periculum euaserunt, postquàm horam cum dimidia natassent.

Die 26. procella inualuit, ita vt omnes naues satis negotij haberent.

Die 27. architalassus, cùm videret, naues, quæ in sinu erant, quotidie in periculo amittendorum velorum & anchorarum versari, & fluctibus facile abripi posse, tormento disploso, signum dedit, vt vela panderentur. Ventus erat Septentrionalis, quo juxta latus Occidentale ex statione in mare velificare cogitabamus: sed antequàm inde egrederemur, summa exstitit tranquillitas, ita vt fluctus à procella excitati per transversum in nos allideren, vt si tranquillitas vnam adhuc horam durasset, quædam naues in scopulos impulsæ fuissent, cùm fundum jaciendis anchoris ineptū esset, & fluctus ita æstuarent, vt horrendum esset eos aspicere: sed vento rursus insurgente absque periculo in mare provecti sumus. Sub vesperam tempestas ab Occidente incubuit, quæ totam noctem durauit.

Die 28. ventus porrò ab Occidente tantâ vehementiâ spirauit, vt primario nostro velo vti non possemus.

Die 29. ventus flabat ab Occasu solstitiali, & nos velo majori expanso progressi sumus.

Martius. Calendis Martij manè, flante Aquilone, carbasum extulimus, & aliquò vsque provecti sumus. Sub meridiem habebamus altitudinem 58. grad. Zephyro spirante.

Die 2. sub meridiem altitudo erat 59. grad. & vento ab occasu solstitiali flante, versus Occasum brumalem vela fecimus.

Die 3. sub meridiem altitudo erat 59. grad. 45. minut. ventus spirabat ab occasu solstitiali.

Die 4. ventus spirabat ab Occasu brumali.

Die 5. habebamus altitudinem 58. grad. 40. minut. ventus erat idem, qui pridie.

Die 6. architalassus admodū verebatur, ne hi venti tamdiu ab Occasu flantes essent fallaces: & minùs quàm antè, promontorium Hornanum assequi poteramus. Quoniam igitur quotidie

die nimbis & tempestatibus agitabamur, ita vt naues facilè à se mutuo diuelli potuissent, quæ perpetuante vento Occidentali nesciuissent, quo tendere deberent, vt ad classem redirent: nec alius locus à Dominis Ordinibus designatus erat, vbi alij alios expectare deberemus, quàm insula Ioannis Ferdinandi, ad quam hoc rerum statu peruenire non poteramus: archithalassus, consideratis his difficultatibus, hoc manè Senatum conuocauit, petiitque, vt vnusquisque sententiam suam diceret, quibus locis classis commodissimè hybernare posset, & vbi naues ab ea divulsæ ipsam reperturæ essent, si fortè venti Occidentales perpetim flarent. His auditis pro hybernis proposita fuerunt terra del Fuego, fretum Magellanicum, & alia loca. Tandem post hanc deliberationem, propter commoditates & incommoditates locorum propositorum, visum fuit, duobus mensibus exspectandum, & videndum, nũ promontoriũ illud superare, & in mare Australe traiicere possemus. 1624. Martius.

Die 7. altitudo erat 60. grad. 15. minut. Ventus flabat ab Occasu solstitiali, tanta vehementiâ, vt dimidio tantùm velo progrederemur.

Die 8. ventus variabat. Sub meridiem habebamus altitudinem 61. grad.

Die 9. 10. & 11. ventus flabat ab Occasu brumali.

Die 12. & 13. Aquilo spirabat, & cœlum erat nebulosum ac pluuiosum.

Die 14. manè desiderauimus nauem Arausionem, quæ hoc die in conspectum nostrum non rediit. Sub meridiem habebamus altitudinem 58. grad. à meridie ventus erat varius, & in conticinio flabat ab occasu.

Die 15. 16. & 17. ventus flabat ab Occasu brumali.

Die 18. 19. & 20. ventus constanter spirabat ab Ortu brumali.

Die 21. & 22. ventus flabat ab Ortu solstitiali.

Die 23. procella incubuit ab Occasu brumali.

Die 24. duas naues desiderauimus, Mauritium & Dauidem, quæ hoc die ad nos non sunt reuersæ. Atque ita classis tantùm septem nauibus constabat. Sub vesperam altitudo erat 46. grad. & ventus spirabat ab Occasu brumali.

Die 25. statutum fuit in classe, vt indices magnetici, qui à 16. Decembr. ad 18. grad. versus Ortum solstitialem transpositi fuerant, ad 5. grad. reducerentur, quales tunc in classe comperti fuerant. Hac meridie habuimus altitudinẽ 45. grad. cum semisse: ventus flabat ab Occasu solstitiali.

Die 28. regionem Chili animaduertimus, ad Ortum brumalem nobis sitam. Sub meridiem altitudo erat 42 grad. & 6. minut. Sub vesperam, flante Zephyro, littori ita propinquauimus, vt ab eo vnum tantùm milliare abessemus. Cùm ventus se conuerteret, in altum vela dedimus. Littus altissimis montibus cinctum est. Regio Chili.

Die 29. 30. & 31. flabat Auster, cælo sudo & sereno, ac mari plano.

Calendis Aprilis sub meridiem altitudo erat 38. grad. 6. minut. & tempestas sicca, vento flante ab Ortu brumali. Hoc tempore intelligebamus, subpræfectum grauiter decumbere, & desperatam esse cùm ipsius tum archithalassi valetudinem. Aprilis.

Die 2. & 3. Auster indesinenter flabat.

Die 4. sub meridiem vidimus insulam Ioannis Ferdinandi versus Occidentem solstitialem, & habuimus altitudinem 33. grad. 50. minut. Nos vento vsi, cursum sub vesperam eò tenuimus: nam archithalassus verebatur, ne ad Aquilonarem insulæ partem delaberemur. Liburnica præcesserat, Lunâ lucente, vt stationem pro nauibus quæreret. Cùm autem ad insulam tenderemus, in mare Australe delati fuimus: & liburnica nullum stationis inuentæ signum dabat. Nos in mare acti, post horam conuersa velificatione, paullo ante lucem ad locum venimus 30. vlnas profundum, vbi anchoras fiximus.

Die 5. Archithalassus prima luce lembum ad littus misit, vt videret, an ad veram stationem appulissemus, & quid illic ad classem reficiendam reperiri posset. Is continuò ex multis circumstantibus comperit, hanc non esse veram stationem, sed eam aliquanto magis ad Aquilonem sitam. Quapropter vela fecimus, & ad Aquilonem prouecti, sinum conspeximus, cuius amplitudo milliare complectebatur, extremitatibus versus Occasum solstitialem & Ortum brumalem à se mutuò dissitis: & quia in hoc sinu ventum varium cum malacia experiebamur, multum operæ impendimus, priusquàm naues eò perducere potuimus, vt fundum 60. vel 70. vlnas profundum nancisceremur. Nautæ toto die laborarunt, antequàm circuitu per sinum arenosum facto, ad viridem vallem peruenirent. Aduentus ad insulam Ioannis Ferdinandi.

Die 6. placuit, vt singulæ naues recentes remos & palos conficerent, quibus in expeditione terrestri vteremur. Subpræfectus autem (qui ex morbo conualuerat) nonnullas ex Consilio comitatus, naues visitauit, vt sciret, an probè armatæ essent. Idem balistarios examinauit, an tormenta, vt oporteret, instructa, & puluere ac pilis onerata essent. Sub vesperam nauis Oryphus ad nos venit, quam iam ante mensem huc appulisse existimabamus: & nos ipsius caussâ tamdiu in sinu Schapenhamensi commorati eramus.

1624. Aprilis. Narratio itineris aliarum nauium.

Nauis illa 2. Februar. duabus aut tribus horis, postquàm sinum in freto Mæriano prætervecti fuissemus, vento Aquilonari sinum subierat. Pervenerat ad altitudinem 60. grad. & vehementibus procellis jactata fuerat: sed promontorium Hornanum non conspexerat.

Die 7. duo lembi, vnus versus Austrum, alter versus Aquilonem, veloci cursu insulam perierunt, vt viderent, an aliquæ naues ex classe illuc appulissent: sed nulla aderat. A meridie nauis Arausio ad nos aduenit, quæ narrabat, se, ex quo à classe abfuisset, duo vela, vi tempestatis, amisisse, vnum in altitud. 50. grad. alterum in altitud. 41. grad.

Die 8. quinque ex naui Hollandia, qui locum quendam perruperant, & vinum ex eo abstulerant, ad patibulum damnati fuerunt.

Die 9. naues & lembi quotidie visitabantur, & aqua ac ligna in naves inferebantur. Nobis quoque de trabibus prospeximus, quibus castella exstrueremus, & naues in superiori parte contra scloppetorum ictus muniremus.

Die 10. quinque illis, qui ad mortem damnati fuerant, intercedentibus omnibus totius classis præfectis, ab archithalasso vitæ gratia facta est.


Die 11. nos ad iter postero die suscipiendum accinximus.

Sub vesperam nauim David conspeximus, quæ ad Australem extremitatem sinus anchoras jecerat. Navarchus referebat archithalasso, se & nauim Mauritium quinque vel sex dierum spatio insulam circumnauigasse, neque ad eam appellere potuisse.

Die 13. ventus flabat ab Occasu solstitiali: cumque vela facere cogitaremus, nauis Hollandia ad latus Concordiæ impulsa fuit: quo factum, vt Concordia antennam veli anterioris pænè totam amiserit. Casus iste classem dimidio die remoratus est: sed damno vtcunque sarto, à meridie vela fecimus.

Descriptio insulæ Ioannis Ferdinandi.

Insula Ioañis Ferdinandi duplex est: vna, quæ maior est, versus Ortũ jacet, ad latitud. Australem 33. grad. 40. minut. septuaginta milliarib. Germanicis à continente regionis Chili distans: altera, vt naucleri Hispani perhibẽt, viginti milliaribus versus Occasum solstitialẽ à priori dissita est



Hispani

Hispani Orientalem insulam *de Tierra*, Occidentalem *de Fuera* nominant: vt magnus sit error, scopulos, qui prope Orientalem insulam versus Occasum brumalem jacent, pro posteriori, & minorem pro Ioannis Ferdinandi insula accipere: cùm modò dictæ insulæ viginti milliaribus à se invicem distent, & scopuli illi ad Occidentalem insulam pertineant. Maior sive Orientalis insula, ad quam cum classe appulimus, sex milliaria suo ambitu complectitur. Ab ortu ad occasum patet in longitudinem duo milliaria cum semisse: statio nauium in ea est versus Ortum solstitialem: vbi valles quædam sunt trifolio & gramine consitæ. Sinus habet fundum elatum, partim rubricundum & putre, partim arenosum & nigrum. 1615. Aprilis.

Multum negotij est, priusquam in fundo 34. & 30. vlnarum, dimidio majoris scloppeti iactu à littore, anchoræ figi possint: ita vt ad 80. & 90. vlnarum profunditatem anchoras jacere cogeremur, donec ad 30. vlnas, vbi vera statio est, perueniremus. Ex vento, quem in sinu, dum in eo hæreremus, obseruauimus, apparet, hanc insulam non minus ab Aquilone quàm ab Austro posse adiri: nihilominus certum est, æstate commodiorem esse accessum ab Austro, hyeme ab Aquilone.

Hæc insula salubri aqua, & omnis generis piscibus, qui dulcis sunt saporis, abundat. Pisces nullo negotio capi possunt. Vix enim vncus dimidium pedem in aquam demittitur, quin pisces vndique ad escam adnatent, quos captos educere promptum est. Phocarum & leonum marinorum multa hîc sunt millia, qui interdiu ex mari egrediuntur, & in Sole se oblectant. Nostri eorum multos occiderunt, partim vt iis vescerentur, partim animi caussâ, vt tempus fallerent: postea tantum fœtorem excitarunt, vt vix quisquam in littore durare posset. Quibusdam caro eorum bis cocta aut assa, adipe resecto, bene sapiebat, instar carnis ovillæ: alii sibi ipsis mortem, nimio eius vsu accelerarunt, neque eam concoquere poterant.

Hircorum magna hoc loco copia est, qui tamen non sunt tam boni saporis, vt ii, qui in insulà Vincentii reperiuntur: & eorum captura propter siluas difficilis est: alia verò animalia hîc non percepimus. Quod ad arbores & fructus arboreos attinet, multas hîc palmas in montibus conspeximus, & prope stationem nauium tres malos cydonias, ex quibus 200. mala decerpsimus: nullos præterea fructus vidimus.

Hæc insula dives est sandalio, quod tamen non est tam præstans sicut illud, quod Tidore affertur. Genus quoque durissimi ac firmissimi ligni hîc reperitur, quod est instar ebeni, ad cippos aptum. Sunt hîc prætereà ligna ad fabricandum & comburendum idonea: sed altas arbores, ex quibus mali & perticæ confici possint, nusquam in hac insula reperire potuimus. Antehac 10. aut 12. Indi hîc commorabantur, qui pisces capiebant, & aruinam ex iis conflabant: sed illi Limam translati fuerunt: ita vt insula jam non sit habitata. In ea sex viri è naui subpræfecti, nempe tres classiarij & tres nautæ, qui classem vlterius sequi nolebant, manserunt: ex quibus vnus erat Friburgensis Brisgous. *Tres viri remanent in littore.*

Die 14. malacia nos detinuit.

Die 16. 17. Zephyrus spirabat.

Die 18. 19. 20. 21. & 22. Auster flabat, cælo sereno.

Die 23. architalassus edictum condidit, quod ad omnes centuriones transmisit, vt scirent, quomodo se gerere deberent, si fortè pugna cum hoste committenda esset. Illud tale fuit:

Quandoquidem bonus ordo in omnibus negotiis felices successus parit, & nisi ille obseruetur, frustra secundus rerum euentus speratur: architalassus, istud considerans, necessarium putauit, sequentes articulos iis, qui in classe sunt, præscribere: quos, vt hosti resistatur, cuncti obseruare debent:

Primò hæc classis in tria agmina diuidetur, quorum primū erit Amstelrodamum, nauis prætoria: quam sequentur nauis Hollandia, Aquila, & Gryphus. Alterum constabit ex naui Delphica, subprætoria: cui adjungentur naves Concordia, David, & liburnica. Tertium constituet nauis Arausio, tanquam prætor nocturnus: cui associabuntur naues Mauritius & Spes. *Leges militares in mari.* 1.

Vnaquæq; nauis in velificando curam habeat earum nauium, quæ sunt sui agminis, vt ordine bene composito hosti occurratur, & laborantibus auxilium ferri possit. Neque tamen vlla nauis ita obstricta erit suo agmini, vt ei non liceat nauibus alterius agminis, si in periculo versentur, opem ferre. Nam distributio classis in certa agmina in eum solummodò finem est instituta, vt ordinatè in hostem eatur. Curabit etiam, vt tormenta sua sint instructa, & idoneis locis disposita quibus rectè vti liceat, quando necessitas postulabit: qua in re tenenda erit noua constitutio, quæ cum consensu præfecti rei tormentariæ sancita est pro singulis tormentis vndecim nauium: ita vt balistarii operas partiantur, & tot nautas ac classiarios sibi adsciscant, quot ad singula tormenta opus erit. Adhæc vnicuiq; epibatæ indicabitur, quæ tormenta ipsi assignarant, & quos socios sit habiturus, vt quando dimicandum erit, ad suum locum se conferat. Decretum quoque fuit, vt pro vnoquoque tormento ad minimum 20. & 25. thecæ puluerariæ conficiantur, quæ in aliâ nauis, loco idoneo, satis profundè collocentur, & in tres partes diuidantur, atque ita omne periculum in pugna euitetur, nec necesse sit cellam pulueariam intrare. 2.

1624. Aprilis. Apud singula tormenta, & in foris aliisq; locis, vbi necessitas postulat, cupa aquæ plena collocetur cũ suis vrceis, & situlis, ad tormenta refrigeranda, & incendiũ, quod Deus avertat, restin-
3. guendũ. Si hostis adsit, vnaquæq; nauis intus & extra madefacienda, ne flãma eam corripere possit.

4. Singuli centuriones operam dent, vt classiarij cum scloppetis idoneo loco collocentur, ex quo plurimum damni hosti inferre queant, & ipsi à scloppetorum ictibus immunes sint.

5. Fabri lignarij suũ apparatũ in promptu habeant, vt & obturamenta, tabulas, aliaq; ad foramina obstruenda idonea, vt si forte nauis sub aqua verberetur, foramẽ quãprimũ obturetur: quocirca spatiũ, viri longitudine, in naui relinquatur, quo accessus vbiq; pateat: ne aliqua parte neglecta navis in discrimen veniat: inprimis ratio habeatur ictuum, qui sub aqua immittuntur, vt iis confestim remedium afferatur.

6. Secures & alia arma nautica expediantur, tam ad conseruandas naues, quàm ad detrimentum hosti inferendum: tum hastæ, sarissæ, furcæ & similia per vnumquamque nauim distribuantur, vt quando necessitas ingruit, vsui esse possint.

7. In conflictu nemo, siue sit nauta, sive classiarius, locum ipsi assignatum quocunque prætextu deserat, sub pœna capitis, nisi ab Officialibus hoc facere jubeatur. Scloppetarii puluerem, globulos, aliaque, quibus indigent, ab iis petant, qui ad hanc rem sunt constituti, à quibus ea accipient. Et quoniam ex temeraria displosione nostræ naues plus detrimenti sæpè à suis quàm ab hoste capiunt, diligenter caveatur, ne ex vlla naui, sub prætextu ferendarum suppetiarum ictus displodantur, qui non minùs nostri nauibus quàm hosti nocere possint.

8. Si nauis prætoria cum naui Hispanica congrediatur, cæteræ naues, quæ eiusdem sunt agminis, in eo elaborabunt, quantum commodè fieri poterit, nullo sibi inuicem illato impedimento, vt manus naui hostili injiciant, & illa omnibus viribus oppugnetur. Interea reliquæ naues omni studio hostem suis auxilio venientem arcebunt.

9. Si contingat (quod diuina fauente gratia speramus) vt nostræ naues quasdam ex hostilibus occupent, nemo per naues captas discurrat, easq; diripiat: sicut plerumq; in huiusmodi casu fieri solet: sed vnusquisque in id incumbat, vt hostis prorsus profligetur, nec vllum ab eo periculum impendeat. Si vna aut plures naves capiantur, & illis præsidium ex nostris imponatur, centuriones aut officiales fide & probitate insignes iis præficiantur, qui caueant, ne quis aliquid ex iis surripiat, sed vt omnia integra & suo loco relinquantur: & si in eo à quibusdam peccetur, etiamsi naues in nostrorum potestatem redactæ sint, vt illud quamprimùm corrigatur. Præfecti quoque res ita ordinabunt atque instituent, vt nulli malificio aut confusioni locus sit. Nemo denique lembis aut cymbis ad captos naues vehatur, sine peculiari venia aut mandato archithalassi.

10. Quòd si hostis in mare non progrediatur, sed loco compendioso sub præsidio tormentorum se continet, nemo ipsum inuadat, sed vnusquisque apud suum agmen maneat, & exspectet, quid archithalassus (si fortè cum eo colloquendi facultas non detur) moliturus sit, cuius exemplum reliqui, prout se res dabit, sequentur.

11. Et quoniam de omnibus & singulis leges ferri non possunt, vnusquisque in iis, quorum hîc nulla facta est mentio, ita se geret, prout res flagitabit, & ipse expedire judicabit ad commodum patriæ promouendum, & damnum hosti inferendum: qua de re cum archithalasso aut sui agminis præfecto consilia conferre poterit.

12. Leges balistariis præscriptæ, sunt hæ: 1. Ad maiora tormenta, quæ sunt 4000. & 4800. pondo, displodenda adhibebuntur decem libræ pulueris nitrati. 2. Ad mediocria, quæ sunt 3000. & 3800. pondo, nouem libræ. 3. Ad minora, quę sunt 18. pondo, octo librę: ad ea, quæ sunt 12. pondo, septem libræ cum dimidia.

Die 25. altitudinem habebamus 25. grad. & flabat Auster, cœlo sereno.

Maius. Die 3. Maij vidimus oram regionis Peruanæ, sub altitud 16. grad. 20. minut.

Die 5. archithalassus, coacto Senatu, petiit, vt singuli centuriones suos classiarios ad fortitudinem hortarentur, cum ipsius invaletudo non permitteret, vt ipse in reliquis nauibus id faceret. Iis, qui vexillum prætoriæ Hispanicæ ablaturi essent, promissi 200. argentei, seu thaleri Imperiales: qui subprætoriæ ablaturi essent, iis promissi 100. argentei: qui prætoris nocturni aut aliud quodcunque vexillum hosti erepturi essent, iis promissi 50. argentei.

Die 6. toto die malacia fuit. Sub meridiem altitudinem habebamus 13. grad. Et quoniam Callao de Lima propinquabamus, sed à littore tam procul aberamus, vt regionem discernere non possemus, ad illud propiùs accessimus.

Die 7. littori tam vicini eramus, vt fluctus repercussos cerneremus. Nos tres lembos probè armatos ad editiorem quendam locum misimus, quem insulam esse putabamus, vt eum perlustrarent: sed cùm illi rediissent, nihil certi de Callao & Lima referre poterant. Sub meridiem altitudo fuit 17. grad. & 45. minut.

Die

Die 8. sub diluculum rursus tres lembos probè armatos ad editum locum misimus, vt cognoscerent, an illic esset Callao de Lima: nam sub eo appellere metuebamus. Ante meridiem nauem rectà ad nos tendentem conspeximus: contra quam protinus nauim cum lembo emisimus, vt eam caperent. Sed tres lembi, qui ad editum illum locum prouecti erant, eâ conspectâ, cursum ad ipsam direxerunt, & circumuentam ceperunt, atq; ad archithalassum adduxerunt. Nauis illa erat paruabiremis, quam prorex in Callao ad nos explorandos emiserat. Eâ vehebatur Hispanus centurio, cui nomen Martino de la Rea, cum quatuor aliis Hispanis, & sex aut septem Indis seu Mauris. Hi referebant, regiam classem argenteam præterita die Veneris, quæ fuit 3. huius mensis ex Callao Panamam versus vela fecisse. Illam constare septem nauibus vulgaribus, duabus bellicis, & tribus onerariis, quæ ingentes opes vehant. In Callao mansisse Hispanicam prætoriam, 400. onerum, instructam 40. tormentis æneis: duos parones, quarum singuli habeant 14. tormenta, & præterea 40. vel 50 naues onerarias, plerasque tormentis destitutas. Has omnes iuxta littus sub tribus propugnaculis stationem habere. Hæc propugnacula ex lapidibus excitata erant, loricâ in fronte & ad latus munita, quibus sex aut septem tormenta imposita: reliqua, quorum 50 erant, præcedenti nocte ex Lima aduecta, & ad oram littoris collocata fuerant, vt exscensione in littus prohiberemur. Nam prorex, qui nos viderat Callao rectà petentes, facilè cogitabat, nos impetum facturos.

1624. Maius. Biremis Hispanica capta.

In Callao quatuor signa militum erant, quorum vnumquodq; 70. aut 80. viris constabat: duo, ex selectis militibus composita, cum classe argentea Panamam profecta erant. Interea Hispani, mandato proregis, qui heri demum nuncium de nostro aduentu acceperat, acciti, vndiq; confluebant, & breui aliquot millia conuenire debebant.

Sub vesperam quinque naues velificantes vidimus, quæ rectà Callao petere videbatur. Quapropter archithalassus prætorem nocturnum, cum tribus minoribus nauigiis & totidem lembis benè armatis emisit, vt vento captato se interponerent, & iter illis præcluderent.

Die 9. prima luce, sub altitudine insulæ de Lima, ad Callao anchoras iecimus, vbi prætor nocturnus cum tribus aliis nauibus, quibus nulla hostium nauis occurrerat, ad nos venit. Archithalassus, habito consilio, mandauit, vt postero die manè Callao de Lima omnibus viribus oppugnaretur: cui negotio, quoniam ipse morbo impediebatur, præfecit legatum suum Hugonem Schapenhamium, & primarium centurionem designauit Cornelium Iacobi, ipsius affinem. Tunc etiam fuit decretum, vt ad quinque signa classiariorum, totidem nautarum adderentur: quorum duces creati Leonhardus Iacobus Stolckius, Cornelius de Wit, Laurentius Ioannes Quirinus, Ioannes Isbrandus, & Meinhardus Eybertus. Quoniam verò classis paruis nauigiis destituebatur, quibus classiarii & nautæ in littus exponerentur, constitutum fuit, vt post mediam noctem omnes classiarii exscenderent, & dimidiatam Lunam, palis acutis munitam, ad sui defensionem exstruerent, & in littore tamdiu subsisterent, nec quicquam tentarent, donec quinq; signa nautarum accessissent, & ita coniunctis viribus Callao feliciter inuadere possent.

Die 10. manè ante lucem, subpræfectus cum omnibus classiariis ad littus admouit, eâ mente, vt inter Callao & fluuium Limæ anchoras figeret. Nam significatum nobis fuerat, illac nos posse exscensionem facere, & naues ibidem à locis vadosis & tormentorum ictibus tutas fore: sed cùm ad oram appulissemus, tot breuia inuenimus, vt classiarii non possent exscendere, quin sua sclopeta madefacerent, & lembos periculo exponerent. Subpræfectus igitur cum lembis ad oram substitit, diem expectans, vt videret, an aliqua melior ratio appellendi se offerret. Sed cùm manè nullibi facultas exscendendi daretur, & interea Hispani magno numero eò accurrissent, vt nos aditu prohiberent, subpræfectus, displosis in Hispanos aliquot tormentorum ictibus, ad naues reuersus est.

Posthęc nostri tres Hispanicas naues persequuti sunt, quæ mari tranquillo circum Callao fluctuabant. Eas ceperunt, & ad classem adduxerunt, cum iam pleriq; ex nostris exscensionem fecissent. Vna, quæ in Pisco suum onus acceperat, 2500. cados vini, cum pomis, vuis aliisq; fructibus ad reficiendos ęgros percommodis, vehebat: altera Guarmeyâ veniebat, & tantùm lignis onerata erat: tertia ex portu Guaniaco soluerat, & aliquid tritici cum multis sarcinis bullarum murrhinarum; aliisque rebus parui momenti continebat.

Tres naues Hispanicæ captiuntur.


Archithalassus consultum putauit, vt liburnica, seu Canis venaticus proximè ad littus collocaretur, quò nostri proximâ nocte machinis, quę in ea erant, defensi, exscensionem facerent. Sed Hispani, consilio nostro animaduerso, duas machinas quàm celerrimè ad oram littoris disposuerunt, quibus liburnicam abegerunt: atque ita hic conatus irritus fuit.

Die 11. prędâ in nauibus captis reperta per sortem inter nostros distributa fuit. Sub mediã noctẽ Adrianus Tol, Petrus Hermanus Slobe, & Meinhardus Egbertus, cẽturiones cũ duodecim probè armatis nauigiis, in quibus pręter tormẽta etiã ignes artificiosi erant, rectà ad Hispanicas

Naues Hispanicæ incenduntur.

 naues

1624. Maius. naues contenderunt, quarum 50. à tormentis trium propugnaculorum & nauis præsidiariæ maioris duorũque paronum defensæ, ad littus stabant: & ficta impresione à nostris versus Septentrionalem partem Callao factâ, vni ex nauibus Hispanicis ignem iniecerunt: inde ad alias atque alias prouecti, idem fecerunt, donec omnia sua instrumenta ignea consumsissent. Interea hostis omnia sua tormenta in nostros direxerat, & ex propugnaculis, maiori naue præsidiaria & paronibus vehementer fulminare incipiebat. Nostri vicissim contra ipsum ex tormentis æneis aliisque iaculabantur: quorum plerique sub Hispanicis nauibus delitescentes, à tormentorum & scloppetorum hostilium ictibus tuti erant, quamuis vniuersa ora scloppetariis circumsepta esset, qui nostros crebris ictibus incessebant.



Hoc incendio circiter 30. aut 40. naues hostiles correptæ fuerunt, inter quas multæ erant magnæ, & nonnullæ etiam tormentis instructæ. Sed cùm nostri recessissent, Hispani, ope suorum mancipiorum & Indorum, ignem in quibusdam restinxerunt. In hac expeditione septem ex nostris ceciderunt, quatuordecim aut quindecim fauciati fuerunt: plerique erant ex naui subpræfecti, quia vnum ex paronibus intercipere voluerat, irrito successu. Manè antè lucem nouem Hispanicæ naues ardentes à fluctibus ad nostras impulsæ fuerunt: quibus nostri, sublatis anchoris cesserunt, & ad insulam se receperunt.

Die 12. nauis Concordia Hispanicum nauigiolum, vino oneratum, cepit, quod prope oram littoris sub tormentis propugnaculorum raptum auexit.

Die 13. Engelbertus Schutte centurio cum sua cohorte, in insula Lima castra posuit, vbi minus munimentum excitaueramus, ad lembos nostros conseruandos, qui etiamnum illic hærebant, & quos derelinquere nobis animus non erat.

Die 14. rursus nauigiolum Hispanico vino oneratum adepti sumus. Sub vesperam Cornelius Iacobi, tanquam supremus præfectus, cum quatuor nauibus, Concordiâ, Dauide, Grypho & Cane venatico, ex Callao soluit, velificatione in Austrum versâ, vt Nasco, Pisco, & alia loca S. Limæ vicina occuparet.

Die

Die 20. duæ ex Hispanicis nauibus, quas ceperamus, cellulis instructæ fuerunt. Illas densis asseribus tam arctè compegimus, vt nulla aqua in eas penetrare posset, & lapides vndiquaque inseruimus, sex pedum crassitie. His puluis nitratus impositus fuit: quo incenso præsidiariæ Hispanorũ naues distringendæ & in aera rotandæ erant. Hac nocte duo Græci paruo nauigio ex subpræfecti naue in littus ad Hispanos transfugerunt. 1624. *Maius.*

Die 22. Hispanica naui, quæ Guayaquillo veniebat, & ligna vehebat, potiti sumus. In ea triginta homines partim Hispani, partim Mauri, erant.

Die 23. prætor nocturnus cum duabus nauibus, Mauritio & Spe, ac duobus signis militum, ex cohorte Schutii & Brederodii, vela fecit, vt vrbem Guayaquillum & nouam nauim præsidiariam Regis, quæ illic fabricabatur, destrueret. Loco classiariorum, quos prætor ille abduxit, 40. nautæ paruo munimento in insula Lima impositi fuerunt, qui lembos custodirent.

Die 24. nauta in naui Hollandia, qui transitum ad hostes meditabatur, in insula Lima suspendio necatus fuit.

Die 27. noctu nauis incendiaria, quæ cellam habebat in qua 200. pondo pulueris nitrati recondita, & desuper pilæ ac pyroboli cum materia combustibili strati erant, ad nauim præsidiariam Hispanicam vela fecit, vt illam funditus perderet.

In hac naui erant quinque homines, qui vltrò suam operam ad hoc facinus obtulerant, quorum caput erat Guilhelmus Commerus, Commissarius in naui Aquila. Hi tam propè ad nauim præsidiariam accesserunt, vt eam iactu scloppeti possent attingere, antequàm ab Hispanis classicum caneretur: habebantque in animo, pilas & materiam causticam, quæ supra nauim iacebat, primùm incendere, vt dum Hispani in restinguendo incendio occuparentur, ignis ad puluerem serperet. Sed quia funis carbasi, qui à tergo nauis præsidiariæ dependebat, impediebat, quo minùs vna nauis alteri iungi posset, nauis incendiaria ad classem, re infecta, rediit.

Die 2. Iunii, manè, Iacobus Heremita ex diuturno morbo in Callao de Lima obiit. A nostro discessu ex Sierra Leona semper ægrotauerat, & variis morbis conflictatus erat, qui ipsum ita exhauserunt, vt quatuor aut quinque postremis mensibus omnes vires eum deficerent. *Iunius.* *Excessus Iacobi Heremitæ, archithalassi.*

Placuit subpræfecto, vt vexilla in naui Amstelrodamo suis locis relinquerentur, ne hosti aliquod indicium de morte archithalassi daretur. Hoc die nauicula Hispanica ad classem adducta fuit, quæ 18. saccos tritici vehebat.

Die 3. archithalassus in insula de Lima magnificè sepultus fuit. Feretrum portabant centuriones, comitante subpræfecto & omnibus Officialibus classis. Ante funus incedebant quinque signa nautarum (nam omnes classiarii emissi erant) quorum singuli quinquies sua scloppeta disploserunt. Nauis Amstelrodamum nouem ictibus, Delphi septem, Arausio quinque, reliquæ tribus intonuerunt. Hispanicis nauibus multa vexilla imposueramus, vt hostis arbitraretur, nos de captis nauibus triumphare, non autem mortem archithalassi lugere. Cæterùm subpræfectus distulit imperium archithalassi vsurpare, donec prætor nocturnus & aliæ naues, quæ emissæ erant, redirent. *Eius sepultura.*

Die 6. à meridie nauis Arausio vela fecit, & iuxta apicem Callao substitit, vt suis tormentis oram infestaret, atque ita nauis incendiaria minori cum periculo, sub defensione illorum tormẽtorum, nauem præsidiariam Hispanicam harpagine posset apprehendere. Nauis incendiaria in qua erat Guilhelmus Commerus, mercator in naui Aquila, cum quatuor aliis sociis alacribus in præsidiariam passis velis inuehere debebat. Cum iactu scloppeti ab ea abesset, vado illisit, naui præsidiaria in profundo alueo hærente, quod nos ignorabamus. Hispani omnia sua tormenta contra nauim incendiariam direxerunt, & eam transuerberarunt: simulq; scloppetarii, qui in littore stabant, eam assiduis ictibus infestabant. Quapropter illi, qui in ea erant, cùm nullam rationem eius expediendæ viderent, ignem ei iniecerunt: & quatuor ex ipsis in cymbam insilientes euaserunt: quinto caput tormento decussum fuit. Nauis illa ardens è vado emersit, & ad littus delata est: puluis, qui in ea latebat, & madefactus fuerat, nonnisi sub vesperam ignem concepit, exiguo ictu edito. Die 8. terra tremuit in insula de Lima. *Nauis incendiaria irritus conatus.*

Die 13. subpræfectus, ad instantem petitionem Hispanorum captiuorum, assensit, vt epistolam ad proregem suæ liberationis causâ scriberent: nam multa sibi de prorege pollicebantur, & sperabant futurum, vt cum duobus Græcis trãsfugis permutarentur, vel alia ratione redimerentur. Epistola auxiliatori tradita est, qui cymbulâ cum vexillo securitatis ad orã Callao vectus est, & aduentum Hispanorum, qui & ipsi candidum vexillum erexerunt, eumq; cymbâ in Callao vexerunt, exspectauit. Auxiliator nihil aliud in mandatis habebat, nisi vt epistolam redderet: sed Hispani hoc nihili fecerunt, & prorex statim mandauit, vt nostris manus constringerentur, & oculi obnuberentur, atq; illi hoc modo in cymba custodiretur. Sub vesperã præfectus maris Australis epistolã ab auxiliatore accepit, & nostris manus solui iussit: tũ singulos magnis promissis inuitauit, vt apud se in Callao manerẽt: q. cùm nemini psuadere potuisset, auxiliatorẽ cum sociis ad

subpræ-

1624. Iunius. subpræfectum remisit, cum hoc responso: Proregem nihil habere, quo nobis gratificetur, quàm puluerem nitratum & pilas, neque nobiscum de captiuis transigere velle: si quis deinceps ab Hollandis cum vexillo securitatis in Callao venturus sit, se eum cum vexillo in furcam acturum.

Hoc accepto responso, subpræfectus, quem deinceps archithalassum appellabimus, habito consilio, decreuit, quoniam annonæ decrementum, & aquæ, quam classis haberet, parcitas non permitteret, vt tot Hispanos captiuos, absque vllius emolumenti spe aleremus, nec consultum videretur, eos dimittere, omnes, tribus senibus exceptis, morte afficiendos esse.

Hispani captiui suspēduntur. Die 15. manè viginti & vnus Hispani captiui in conspectu eorum, qui in littore erant, ad proram nauis Amstelrodami suspensi, & tres alii captiui in cymbula ad Proregem missi fuerunt, vt ei nunciarent, archithalassum superbo & barbaro ipsius responso, quo omnem transactionem repudiarit, coactum fuisse, eiusmodi supplicium de captiuis Hispanis sumere.

Sub vesperam Cornelius Iacobi, qui in Austrum emissus fuerat, cum quatuor nauibus ad classem rediit, & archithalasso retulit, se à 16. Maii vsque ad finem eiusdem mensis omnem operam adhibuisse, vt in Austrum prouectus, conuersa velificatione, quando ventus à meridie spiraret, littus peteret, ad locum, designatum perueniret: sed Euro magis ac magis flante, se ægrè velificationem conuertere potuisse, & decima demum huius mensis die, quatuor milliaribus infra Piscum delapsum, etsi iam altitudinem 18. grad. cum semisse assequutus esset: deinde, naui in latus inflexa, Piscum versus ascendisse, vbi 11. huius mensis anchoras fixerit, & sequenti die cum omnibus copiis & duabus machinis æneis in terram exscendisse, & intra scloppeti iactum ad vrbem progressum: vbi compererit, Hispanos vrbem Pisco muro lapideo, qui 15. pedes altus sit, cinxisse, præter quem loricam habeant, postquam milites ipsorum tuto consistant, propugnaculis aptâ symetriâ dispositis: ita vt consultum non esset, locum benè munitum & valido præsidio firmatum tam exiguis copiis inuadere: quapropter communi omnium Officialium consensu satius fuisse visum, ad naues reuerti. Quod vt minori damno ac periculo facere possent, se in ora littoris dimidiatam Lunam ad sui defensionem excitasse, in quam post commissa cum hoste aliquot leuia certamina sub vesperam se receperint: & proxima nocte cunctos naues suas repetiisse, ac die 13. Pisco digressos, hac vespera ad classem rediisse.

In hac infelici expeditione quinque ex nostris occisi, & 15. vel 16. sauciati fuerunt: adhæc 13. ad hostem transfugerunt.

Numerus hostium, quantum coniicere licebat, erat 2000. hominum, armis probè instructorum, inter quos 200. equites fuerunt, cum scutis & lanceis, qui extra vrbem obequitabant, & nostros à tergo adoriri moliebantur, ex quibus nonnullos iteratis tormentorum ictibus strauimus: sed quot eorum ceciderint, scire non potuimus.

Die 18. propter penuriam aquæ, singulis sex ligulæ aquâ plenæ in diem distribui cæperunt.

Die 22. nauta, qui transitum ad hostes meditabatur, comprehensus fuit. Is post examen fassus est, se iam dudum cum duobus Græcis conuenisse, vt archithalassum captiuum in Callao adducerent: quam ad rem sibi præclaram occasionem non defuisse, quandoquidem archithalassus paruo nauigio cum quatuor hominibus piscatum exire solebat, inter quos ipsi tres aliquando fuerint, quibus archithalassus maximè fidebat: &c.

Die 25. nauta iste coram maxima parte sociorum naualium in insula de Lima patibulo affixus fuit. Hoc tempore scarbotus in nostra classe vehementer sæuiebat. Quatuor naues, quæ in Austrum vela fecerant, tot ægrotos habebant, vt ii, qui integra adhuc valetudine erant, suas naues regere non possent: & cæteræ naues eodem morbi genere admodùm infici cæperant, nec vllum indicium erat remedii contra scarbotum in Callao inueniendi, vbi tamen subsistere, & naues Mauritium ac Spem, quæ facilè in manus hostium incidere potuissent, exspectare cogebamur. Itaque res nostræ in classe pessimo loco erant, & intra breue tempus multos ex sociis nostris amisissemus, nisi Deo placuisset, vt Heluetius, scarboto laborans, altissimum montem in insula de Lima conscenderet, in quo præter opinionem herbam quam nouerat, inuenit: cuius esu multum leuamenti sensit. Archithalassus cognitâ illius herbæ virtute, & quòd magna illius copia suppeteret, mandauit, vt singulæ naues maximam nautarum & classiariorum partem manè in terram emitterent, qui tantum illius herbæ adferrent, quantum omnibus, qui in naui essent, sufficeret: quam ad rem oleum & acetum ipsis suppeditatum fuit. Et quoniam vsu huius herbæ, quæ instar acetarii aut oleris parari poterat, nostri omnes breui tempore conualuerunt, singulis diebus aliquot eius manipulos collegimus, quamdiu classis in Callao de Lima substitit.

Herba salutifera contra scarbotum in insula de Lima ab Heluetio inuenta.

Die 26. aliquot naues captas, quæ classi inutiles erant, combussimus. Hispani interdum celocibus, in quibus maiora tormenta collocauerant, nostras naues circuiuerunt, & malas ac perticas quassare tentarunt, quibus tamen parum damni intulerunt.

Calendis Iulii Archithalassus mādauit, vt recens aqua in insula de Lima effoderetur: sed propter fundū petrosum ad eā penetrari non potuit.

Die

Die 18. duo Hispani scirpeis ratibus ad nauim Arausionem aduecti sunt, qui ex Callao ad nos transfugerunt: vnus erat princeps comœdorum Peruanorum: alter, miles gregarius. Hi narrarunt archithalasso, duas naues, Mauritium & Spem, sub insula Puna quatuor naues cepisse, & vrbem Guajaquillum cum noua naui præsidiaria flammis deleuisse: Callao de Lima circumquaque fossis munitum: in eo 80. tormenta ænea disposita, præter 40. quæ in naui Hispanica præsidiaria essent: eundem locum à 40. signis peditum, & 18. turmis equitum præsidio teneri: Proregem copias ad loca maritima misisse, quibus ea firmaret, & contra nostros tueretur, ne vllibi aquam inveniremus: caussam, cur transfugissent, hanc esse, quòd supremus equitum Hispanorum dux ante aliquot dies in Callao meretricem in rixa confodisset: neque aliud dicere poterant, quàm se aliquot diebus delituisse, magis de conseruanda sua vita sollicitos, quàm vt nobis aliquid nunciarent. 1624. Iulius.

Die 22. Hispani cum decem probè armatis celocibus nauim Concordiam adorti sunt, & duos rudentes ictibus tormentorum disruperunt. Nauis Concordia triginta ictus contra hostes displosit, qui tamen illâ nimum vacillante admodùm incerti erant.

Die 23. vt aquæ parceretur, & ne ante aduentum duarum nauium, Mauritij & Spei, Callao discedere cogeremur, statutum fuit, juscula & legumina non esse in classe coquenda, sed carnes, laridum & asellum arefactum, ad quæ aqua salsa adhiberi posset.

Die 24. Hispani vltra centum ictus in navem Dauidem disploserunt, sed neminem læserunt. Pilæ erant ferreæ, sex, septem & octo librarum.

Die 25. archithalassus in valle insulæ de lima, vno scloppeti jactu ab ora maritima duos profundos puteos fodiendos curauit, vt periculum faceret, an aqua inueniri posset: in quam rem omni studio incumbebat.

Die 26. quindecim lembi Hispanici ad navem Dauidem & Gryphum accesserunt, vt eas tormentis perterebrarent: sed translatis in eas ex aliis nauibus aliquot maioribus tormentis, quibus hostem aduentantem exceperunt, lembi illi, vno ictu disploso, retrocesserunt.

Die 29. prima luce, Hispani tredecim probè armatis lembis proximè ad nauim Concordiam vecti sunt, & quia liburnica, quæ tormentis non admodùm instructa erat, fune ei illigata erat, ita vt Concordia suis tormentis vti non posset, Hispani, quos nostri ferire nequibant, 30. circiter pilas ferreas, 16. vel 18. librarum, ictibus non inanibus, contra eam torserunt, priusquàm liburnica solueretur, & Concordia hostem jaculari posset. Tunc parùm abfuit, quin liburnica in manus hostium veniret, & ad littus duceretur.

Cùm Hispani 120. ictus displosissent, & nos ipsis 70. reddidissemus, Hispani Callao versus recesserunt. In hoc certamine nemo sauciatus fuit, præter balistarium Concordiæ, cui dextrum brachium avulsum.

Die 5. Augusti Schapenhamius, novus archithalassus, productis Principis Mauritii litteris, in isto munere confirmatus fuit, cui eodem die omnes in naui Delphica, quò ex proximis nauibus conuenerant, sacramentum dixerunt. Eius loco subpræfectus creatus fuit Ioannes Guilhelmus Verschoor, prætor nocturnus: cui in isto munere successit Cornelius Iacobi, archithalasso à consiliis. Sub meridiem archithalassus cum omnibus nauibus & lembis ad nauem Arausionem vectus est, quò omnes socij nauales conuenerant, vt nouo archithalasso juramentum præstarent. Quapropter Hispani cum quindecim partim lembis partim celocibus adnauigarunt, eo animo, vt liburnicam in potestatem suam redigerent. Verùm cùm archithalassus suos hortatus esset, vt impetum in hostem facerent, qui liburnicæ inhiabat, Hispani, displosis 40. ictibus, ad Callao remearunt. Paullo pòst novus subpræfectus, Ioannes Wilhelmus Verschoor, cum duabus nauibus, Mauritio & Spe, & vna capta, in Callao de Lima rediit, & totius sui itineris successum archithalasso exposuit: nempe, se in primo suo aduentu tres naues ad littus insulæ Punæ occupasse, ex quibus duas combusserit, tertiam secum adduxerit: inde in flumen prope Guayaquillum vectum esse, quod opere præsidioq; munitũ inuenerit, & non obstantibus hostium fulminationibus ad ripam appulisse, amissisq; 35. ex suis, quorum pleriq; in lembis, cùm primùm aduenirent, tormentorum ictibus interemti fuerint, vrbem Guayaquillum occupasse: cùm autem vix ducenti ex suis superessent, qui pares non erant ad vrbem contra tantam hostium multitudinem tuendam, adhæc lembis non satis instructus esset, quibus prædam aveheret, se vrbem Guayaquillũ, quæ portus est in Quito omni mercium genere refertus, cum noua naui præsidiaria, incendio deleuisse, & quàm celerrimè ad naues rediisse. In hac expugnatione 100. Hispanos periisse, præter 17. captiuos, qui quòd falsos globulos ejaculati essent, ante Punam in mare coniecti fuerint. Postea se naues suas expurgasse, & cùm se in insula Puna refecissent, vela dedisse, cursu versus Austrum instituto, ita vt sub altitudine 25. grad. & vnius tertiæ, 350. milliaribus à littore abfuerint: ibi, vento mutato, ad continentem se conuertisse, ea mente, vt Arikam inuaderent, & in itinere aliquot alia loca, in quibus se reficere possent, expugnarent: sed ventos tam a[illegible] fuisse, vt continentem regionis Peruanæ non nisi sub 13 grad. assequi potuerint: quod heri [illegible]t: & se cursum suum persequentes hoc die ad Callao de Lima Augustus.

1624. Augustus. appulisse, vbi anchoras fixerint. Archithalassus suam mansionem in naui Delphica retinuit, quę vexillum in maiori malo gerebat: Amstelrodami vexillum anteriori malo infixum erat: nauis Arausio suum, vt prius, in epidromo habebat.

Die 6. archithalassus pro felici sui muneris auspicio duplicem vini ac cibi portionem per naves distribui iussit. Die 7. idem omnes centuriones, subcenturiones, signiferos, commissarios & proretas, qui in classe erant, conuiuio excepit.

Die 8. archithalassus eos, qui in naui Mauritio ac Spe erant, & recens aduenerant, in fidem adegit. Die 12. Hispani cum 20. lembis ac celocibus comparuerunt.


Discessus ex insula de Lima. Die 13. tentoria in insula de Lima refiximus, & omnia ad discessum in diem sequentem comparauimus.

Die 14. prima luce cum 14. nauibus, ex quibus tres ceperamus, & vt apud classem manerent, instruxeramus, ex Callao de Lima discessimus.

Cursum ad Piscatores instituimus, & in sinum, qui in postica eorum parte erat, inuecti sumus: vbi sub vesperam classis anchoras jecit.

Archithalassus è vestigio cum quinq; signis militũ & delecta nautarum manu in terram exscendit, vt prę sidia per prę cipua loca distribueret, & vt nautę aliquot puteos profundos non procul ab ora maritima foderent: nam permagni intererat, vt aquam recentem inveniremus, nec frustra operam sumeremus.

Aquâ recenti in puteis repertâ, confestim dimidiata Luna ad oram maritimam excitari cœpit: qua in re nautæ totam noctem strenuè laborarunt: ita vt illa manè vtcunque munita esset. Milites per noctem extra munimentum illud manserunt, vt excubias agerent. Archithalassus autem decem tormenta cum omni instrumento ex nauibus in munimentum transferri iussit, vt milites, si fortè sub lucem impressio in eos fieret, in munimentum se reciperent, & tormentorum ope se defenderent.



Die 15. manè quinq; signa militum in munimentũ ingressa sunt: eodẽ tẽpore sex majora tormẽta, quæ pilas ferreas 20. & 24. pondo ejaculabãtur, cũ omni apparatu summa celeritate in terram expositi-

expoſita, & in munimento collocata fuerunt. Sed quia in puteis effoſſis tantum aquæ repertum non fuit, vt ex iis breui ſpacio quantum claſſis opus haberet, hauriri poſſet: adhæc circum foſſas, quas duxeramus, aliquot montes & colles eſſent, ex quibus illæ infeſtari poterāt, quò Limenſibus non difficile fuiſſet ſuas machinas & copias adducere, & inde noſtrum munimentum, quod illis patuiſſet, verberare: quemadmodum illi, qui ad montes & colles iſtos perluſtrandos emiſſi fuerant, retulerunt: archithalaſſus tormenta illa hoc ipſo veſpere ad naues reducenda curauit: quod ſumma celeritate peractum fuit. Sed minores machinæ æneæ vſque ad diem craſtinum in littore manſerunt, quibus hoſtis, ſi fortè noſtros abeuntes inſequeretur, repelleretur. 1924. *Auguſtus.*

Die 16. ſub diluculum noſtri, acie ſtructa, cum machinis in naues redierunt: contra quos Hiſpani nihil tentarunt.

A meridie, vento commodo flante, iter ingreſſi ſumus, velificatione verſus Occidentem, ſupra Pontum perditum, inſtitutâ.

Die 17. & 18. ventus indeſinenter ab Occaſu brumali ſpirabat: & nos curſum noſtrum ad Occaſum ſolſtitialem direximus.

Die 19. ſub meridiem, habebamus altitudinem 8. grad. 10. minut.


Die 20. veſperi Auſtralem partem inſulæ *de los Lobos* conſpeximus; quàm ad læuam reliquimus, & vento ab Occaſu ſolſtitiali ſpirante inter vtramque inſulam vecti ſumus. *Inſula de los Lobos, ſeu Inſula Luporum.*

Die 21. noſtri lembi mortuum cetum inſectati ſunt, quem biremem aut ſcopulum, quia altè ſupra aquam eminebat, eſſe opinabantur.

Die 22. fluxus maris tam rapido curſu in Auſtrum tendebat, vt valido etiam vento, qui in latus noſtrum flabat, parùm proficeremus.

Die 23. vidimus promontorium album: idem, qui heri, vehemens fluxus continuabat.

Die 24. ſub diluculum inſula S. Claræ verſus Ortum ſolſtitialem à nobis aberat. Sub meridiem archithalaſſus tres lembos præmiſit, vt Indos in Puna de aduentu noſtro certiores faceret, fide data, nos nullâ ipſos iniuriâ affecturos. Hoc ideò fiebat, vt per ipſos intelligeremus, quo loco res eſſent in vrbe Guaiaquillo. *Inſula S. Claræ*



1624. Augustus.

Die 25. manè rursus vela fecimus, & paullo post meridiem ad insulam Punam appulimus, vbi anchoras fiximus. Lembi à nobis præmissi quatuor horis nos anteverterant, & Hispanicam biremem in portu ceperant, quæ Limam iter instituerat. Hispani, & omnes incolæ, qui Punæ erant, diffugerant: ita vt neminem compellare potuerimus, quidquid etiam studii impenderemus. Quoniam verò ex Indo captiuo intelleximus, Hispanos post nostrum discessum cadauera nostrorum refodisse, & cremasse, domibus & ædificiis ipsorum ignem injecimus: & quia templum quod erat lapideum, ignem non concipiebat, nos quatuor anchoris admotis illud destruximus & euertimus: ita vt tota insula vacua & deserta relinqueretur.

Die 26. prætor nocturnus cum omnibus classiariis, qui decem lembis & duabus liburnicis impositi fuerunt, Guayaquillum iter instituit.

Die 27. tres primariæ naues sua tormenta cum saburra in alias naues transtulerunt, vt in sicco constitutæ purgarentur Archithalassus autem delectam nautarum manum in terram emisit, vt cognoscerent, an commeatus in insula pro classe reperiri posset.

Alter conatus contra Guayaquillum.

Die 28. Meinhardus Egbertus centurio in naui Aquila, fato functus est. Tunc quoque archithalassus triste nuntium accepit de infelici successu conatus nostrorum contra Guayaquillum, quo pacto præfectorum quorundam culpa nostri fusi fugatique & in naues se recipere coacti fuissent, amissis 26. aut 28. hominibus: quod factum fuit, ex relatione Commendantis, dum dimidium signum militum centurionis Ebervvini, non exspectato suo duce, montem prope hostem conscenderit, ea spe, se solum gloriam ob partam victoriam reportaturum, propterea quòd viderat, Hispanos quosdam fugam capessere. Cùm autem Hispani, qui in vertice montis, ductâ fossâ, se muniuerant, scloppetis suis feliciter displosis, quosdam ex audaculis illis strauissent, tantus pauor omnes occupauit, vt alterius signi, quod ad illis succurrendum montem conscendebat, ordines turbarent. Idem conatus postea repetitus fuit: sed quia Commendans vulnus acceperat, qui mox receptui canere iussit, & terror reliquos inuaserat, labor omnis fuit irritus, & nostri pedem referre coacti sunt, cum jactura 25. aut 26. hominum, inter quos fuit signifer Ebervvini. Nec pauci sauciati fuerunt, inter quos Commendans & Schuttenus conturio, qui ad extremum vsque omnes sui muneris partes impleuerant, vt fugam suorum sisterent: ambo tamen ex vulneribus suis conualuerunt: sed Sonnenbergii legatus occubuit.

Die 29. nostri adhuc occupati erant in sarciendis tribus primariis nauibus.

Die 30. subpræfectus cum 10. lembis & duobus signis militum continentem adiit, vt animalia & poma nancisceretur.

Hollandi aliquot aceruos tritici Indici nanciscuntur. Descriptio tritici Indici. Hist. gen. Ind. l.5.c.25 fol.148.

Die 31. archithalassus ex iis, qui ad Insulam Punam lustrandam emissi fuerant, intellexit, quodam loco illius insulę prope oram maritimam aliquot aceruos tritici Indici jacere, qui facilè auferri possent: quamobrem nauis Gryphus missa fuit, quæ illos asportaret, & ad classem veheret. Triticum illud modò Indicum, modò Turcicum, modò Sarracenũ, item milium crassum aut amplum nec non triticum Peruanum appellatur, ex quo farina conficitur, ad coquendum & comedendũ apta Ioannes Lerius in descriptione sui itineris Brasiliani existimat, hoc triticum idem esse cum Avati in Brasilia, cuius mentionem faciat rerum Indicarum scriptor. Quando mulieres (quæ omnia huiusmodi munera obeunt) illud serunt, lignum acuminatum terræ infigunt, & facto foramine, perinde vt in his regionibus quando intybum plantatur, vt album acetarium habeatur, granum iniiciunt, ex quo calamus viri altitudine crescit, vtcunque crassus, qui folia habet, qualia arundines in stagnis, grana spissa, neque rotunda, neq; quadrata aut oblonga, vt nostrum triticum. Illud tribus mensibus, postquàm satum est, demetitur: imo vno & dimidio mense post sationem, si fundum sit humidum. Vnumquodque granum 600. reddit.

September.

Cal. Septembr. tres primariæ naues erant purgatæ, & ad sui defensionem comparatæ: ideoque idem cum cæteris nauibus instituebatur.

Die 2. archithalassus ipsemet in littore insulæ Punæ mansit, vt aquationẽ promoueret, duosque puteos duabus militum decuriis custodiri jussit, ne aqua ab hoste veneno inficeretur.

Die 3. subpræfectus rediit, & 800. mala citrea cum magno Bananarum numero attulit: plura propter solitudinem afferre non potuit.

Die 9. Petrus Henricus, nauclerus in naui Grypho, nauarchus in eadem naui constitutus fuit, quia Petrus Cornelius Hartlauf, nauarchus in Grypho, hoc officium in naui Aquali susceperat.

Subcenturio in cohorte Omati Ebervvini centurionis creatus fuit Adrianus à Nordervvyle: signifer eiusdem cohortis factus est Robertus à Vollenhove.

Die 11. totum pagum la Puna flammis consumsimus.

Die 12. manè, refluente mari, classis ex insula Puna migrauit. Octo classiarios desiderabamus ex cohorte Schutterni centurionis, nempe quatuor Gallos, & totidem Anglos, qui nobis abeuntibus in insula manserunt, & transitum ad hostes meditabantur.

Die 13. propter malaciã, quã aduersus ventus excepit, in mare devolvi non potuimus. Die

Die 16. vesperi, decem circiter milliaribus ad latus Orientale, prope promontorium album, delapsi sumus: vbi conuersa velificatione, cum ventus ab Occasu brumali flaret, ad Occcasum solstitialem cursum intendimus. Die 17. sub meridiem latitudo Australis erat 3. graduum. 1624. Septembri.

Die 18. ventum nacti sumus, qui flabat ab Occasu brumali.

Die 19. in naui Aquila vltimum vitæ diem clausit Guilhelmus Commerus, Commissarius illius nauis, miles strenuus ac fortis.

Die 20. ventus ab Occasu brumali perdurabat. Mirabamur, nos insulam de Gallapagos non videre, quamuis secundùm tabulas Geographicas longitudinem illius insulæ haberemus, & optimi naucleri, qui erant in classe, eam indagarent. Nos suspicabamur, veram ipsius longitudinem in tabulis non esse annotatam, eamq; versus Occidentem à nobis abesse.

Die 22. sub meridiem altitudo erat 8. grad. 25. minut. & ante nos versus Austrum conspiciebamus aliquot insulas, quas Gallapagos esse arbitrabamur: quamuis secundùm iudicium nauclerorũ eas iam à tergo reliquissemus. Ventus ab Occasu brumali perseuerauit vsq; ad 10. Octob. etsi postremis diebus interdum tranquillitas esset, & ventus ab Ortu brumali spiraret.

Die 11. Octobr. altitudo erat 12. grad. 50. minut. & vento ab Ortu brumali flante, versus Occasum solstitialem vela dedimus.

Die 12. & 13. ventus ab Ortu brumali continuabat.

Die 14. & 15. nullus erat ventus.

Die 16. altitudo erat 15. grad. & 55. minut. Ventus flabat ab Occasu solstitiali.

Die 17. 18. & 19. ventus adhuc spirabat ab Occasu solstitiali.

Die 20. manè vidimus continentem nouæ Hispaniæ, quæ altis montibus versus Ortum solstitialem apparebat. Sub meridiem habebamus altitudinem 17. grad. & totum diem fluctuauimus, mari tranquillo. Appellimus dora in Noua Hispania.

Die 21. manè iterum malacia erat: sub meridiem altitudinem habebamus 18. grad. Noctu quatuor lembi clàm ad terram appulerunt, vt cymbam piscatoriam interciperent, ex qua scire possemus, quo loco res hostis essent, & quàm procul à portu Acapulco abessemus.

Die 22. sub meridiem altitudo erat 18. grad. 12. minut. & duobus adhuc milliaribus à continente aberamus. A meridie, vento flante ab Occasu brumali, cursum nostrum ad continentem direximus, vt lembos emissos exspectaremus, qui post Solis occasum ad nos redierunt, indicantes, oram versus Ortum brumalem & Occasum brumalem porrigi: stationem nauium parui tormenti iactu à littore distare. 10. & 30. vlnam profundam, fundo arenoso: se quidem homines quosdam in littore conspexisse: sed propter loca vadosa eò peruenire non potuisse.

Die 23. manè fuit malacia: à meridie ventus à mari spirabat, vt pridie: itaq; comperiebamus, ventum in ora maritima Nouæ Hispaniæ ante meridiem vsque ad vesperam plerunque spirare à mari, media nocte à terra: reliquo tempore variare, cum tonitru & fulgure.

Die 24 attigimus Siguataneio, quod ex quatuor candidis scopulis, qui tribus milliaribus ab eo distant, facilè cognoscitur. Circumspiciebamus, vbi esset mons Caluariæ, qui diuisus est, & ad Occasum brumalem in mare porrigitur, atque omni ex parte insula esse videtur. Noctu tranquillitas in mari erat, cum tonitru, fulgure, & pluuia.

Die 25. parum promouebamus propter malaciam, & quia verebamur, ne noctu Acapulco prætertueheremur. Die 26. & 27. littus petiimus, & altitudinem habebamus 17. grad. in qua portus Acapulco situs est.


Die 28. cum luce, dimidio milliari ab insula aberamus, quæ ante portum Acapulco iacet: & cùm nondum perspicere possemus, an hîc Acapulco esset, vnus ex nostris lembis præcessit, vt id exploraret: qui in reditu, tormento disploso, signum dedit, hîc portum Acapulco esse: quamobrẽ naues statim eò contenderunt, & vesperi in conspectu castelli anchoras iecerunt. Castellum Acapulco his postremis demùm annis exstructum, & in apice prominenti collocatũ fuit, ad defensionem nauium præsidiariarum, quæ ex Manilla veniunt, & sub castello tutò requiescere possunt. Habet illud quatuor propugnacula, 10. aut 12. tormentis munita, & lapideo muro vndiq; cingitur. Ad nostrum aduentum duo ictus ex eo contra nos displosi fuerunt, qui ad nostras naues non pertigerunt. In portu duo aut tria parua nauigia stabant, quæ non digna erant, vt eorum causâ aliquid tentaremus. Veniunt in portũ Acapulco.

Die 29. periculum fecimus, an cum Hispanis de obsidibus mutuo dandis & redimendis captiuis agere possemus, & rescíscere conabamur, an hoc anno naues ex Manilia exspectarentur, & illæ breui aduenturæ essent. Significauimus igitur Hispanis, hanc classem ad oram regionis Peruanæ vela facientem, quosdam centuriones Hispanos aliosq; cæpisse: & quoniam archithalassus nunc in animo haberet, in Indiam Orientalem traiicere, ipsum Hispanos captiuos pro aliqua refectione restituere velle, siquidem Gubernator quosdam obsides ad

1624. naues mittere vellet, cum quibus ageretur: eorum loco quosdam ex nostris in castello ma-
October. ros. Adhæc Gubernator respondit, se nolle obsidias ad archithalassum mittere, aut quenquam in castellum recipere: sed si archithalasso placeret, se captiuos certo pretio redempturum, qui priùs adducendi essent: se autem bona fide acturum esse: quæ conditio cùm non probaretur archithalasso, actio instituta abrupta fuit.

Die 30. & 31. tota classis in portu Acapulco substitit, quia propter malaciam progredi non poterat.

November. Calend. Nouembr. omnes naues summo silentio ex portu soluerunt, in quas castellum sex tormentorum ictus vibrauit, qui fuerunt irriti. Sub vesperam subpræfectus cum nauibus Amstelrodamo, Concordia, Aquila, Dauide, Grypho, duabus liburnicis & lembo Aquilæ ab archithalasso discessit, & 18. aut 20. milliaribus ab Acapulco versus Occasum cursum tenuit, vt naues præsidiarias, quæ nostra opinione illic ipsi occursuræ erant, inuaderet & comprehenderet, aut eas persequendo archithalassi manibus obiiceret. Archithalassus autem cum reliquis nauibus portum Acapulco rursus subiit. Die 2. naues Mauritius, Hollandia, Spes, Canis venaticus & Nassouius Acapulco egressæ sunt, & sesquimilliaris circiter spatio se mutuò segregarunt: ita vt Orientalis nauis, quæ fuit Spes, ex agmine subpræfecti, sesquimilliari supra Acapulcum, & Occidentalis nauis, nempe Mauritius, in conspectu Orientalis substiterit: archithalassus autem cum nauibus, Delphica & Arausione in portu Acapulco mansit.



Aqua afferunt ex portu del Marques. Die 3. & 4. lembi nauis Delphicæ & Arausionis ex portu del Marques, sesquimilliari circiter ab Acapulco, aquam attulerunt. Archithalassus nouem milites in summitatem insulæ misit, qui dies & noctes naues præsidiarias Hispanorũ obseruaret, & videret, quid nostris nauib9 accideret.

Die 5. nauta ex naui Arausione ad hostem transnatauit. Die 7. centurio Witte denuò cũ lembis ad aquam petendam exiuit: sed cùm hostis, qui illic in insidiis erat, impetum in nostros fecisset illi ad lembos suos fugerunt, amissis quatuor viris, qui submersi, & scloppetorum ictibus transfixi perierunt. Cum autem vnus ex nostris in littore relictus fuisset, centurio Wite, vt eum redu-

reduceret, rectà in hostem contendit, & virum illum in suum lembum recepit. Centurio interea sclopeto in latus ictus fuit, ex quo vulnere postea conualuit. 1624. Nouemb.

Die 8. archithalassus ex portu Acapulco vela fecit.

Die 15. subpræfectus, cùm sui agminis nauem in excubiis collocasset; cum liburnica seu Cane venatico ad archithalassum venit. Narrabat ille, se 16. aut 18. milliaribus ab Acapulco, versus Occidentem, commodum aquandi locum inuenisse, ex quo naues sibi de aqua prospicerent: sed naues, propter fluctuum repercussum eò difficulter posse appellere. Hoc die quinque milliaribus versus Occidentem ab Acapulco aberamus: & archithalassus naues transmissas monere curauit, vt se sequerentur.

Die 16. & 17. ventus spirabat ab Occidente: ob eam caussam nos parum progrediebamur.

Die 18. quatuor classiarii, qui cum lembo nauis Hollandiæ ad hostem transfugere constituerant, à Consilio bellico ad patibulum condemnati fuerunt.

Die 21. Occidentales naues ex agmine subpræfecti conspeximus. Hisce diebus septendecim milliaribus ab Acapulco aberamus: & sex dierum spatio vndecim milliaria versus Occidentem emensi eramus. Noctu procella ab Occidente cum magna pluuia insurrexit.

Die 22 omnes istas naues velificantes vidimus, quæ propter totius diei malaciam ad nos venire non potuerunt. Ex liburnica, quæ antecessit, intelleximus, sex classiarios ad hostem transfugisse, & naues Amstelrodamum atque Concordiam sibi de aqua prospexisse: Hispanos autem, altero post suum discessum die, vsque ad 600. in ora maritima conuenisse, qui proculdubio nostros aquam petentes oppressissent, si eò reuersi fuissent. Die 23. ventus spirabat à Septentrione.

Die 24. vehemens ventus ab Occidente exstitit: sub vesperam maior lembus subpræfecti euersus fuit, quem propter grauem tempestatem rursus erigere non potuimus. Sic ille cum machinis æneis, quibus instructus erat, mari cessit.

Diebus 25. 26. 27. & 28. versus Occidentem iuxta littus vela fecimus, & quærebamus insulas de Ladrilleros, quæ 40. milliaribus Hispanicis ab Acapulco versus Occidentem distant: vbi, secundum Hispanorum ephemerides, aquæ, piscium & patattarum magna copia esse debebat. Cùm verò vltra 45. milliaria ad littus nauigassemus, & nullum indicium illarum insularum appareret, arbitrabamur, nos in quærendis illis insulis operam perdere.

Die 29. liburnicas, quæ deinceps classi inutiles futuræ erant, combussimus.

Tunc quoq; senem nauclerum, Diego Sanchios, qui nobis fidelem operam in itinere nauauerat, & duos transfugas, vt fortunam tentarent, cum nauicula ad littus relegauimus. Sub meridiem habebamus altitudinem 17. grad. 50. minut. Hic nos ad transitum in Orientalem Indiam comparauimus. Ventus satis vehementer flabat ab Occasu solstitiali. *Iter in Indiam Orientalem instituitur.*

Die 30. archithalassus cum præcipuis Officialibus classis in nauem Hollandiam se contulit, vt executioni quatuor classiariorum capitis damnatorum interesset. Cùm autem omnes præfecti militiæ instanter pro illis intercederent, archithalassus assensit, vt quatuor illi sortem ducerent, & tribus vitæ gratia fieret, vnus suspenderetur. Infortunium obuenit Francisco Fourio Hildersomensi, cui fauces protinus elisæ fuerunt. Die 1. & 2. Decembr. ventus spirabat ab Occasu solstitiali & à Septentrione: nos iter versus Occasum brumalem instituimus. *December.*

Die 3. ventus continuò flabat ab Ortu solstitiali: nos cursum ad Occidentem direximus.

Die 15. vesperi altitudo erat 15. grad. & 15. minut. tunc magna tempestas ab Ortu solstitiali incubuit. Die 16 archithalassus nauiculam, quæ Venator appellabatur, præmisit, vt ictu tormentu naues moneret, si fortè terram conspiceret.

Die 23. in naui Mauritio mortuus est Adrianus Verplancken, Commissarius illius nauis.

Calendis Ianuarii singulis sextarius vini Hispanici in felix noui anni auspicium donatus fuit. 1625.

Die 8. cum scarbotus denuò in classe inualesceret, quo multi quotidie extinguebantur; archithalassus mandauit, ne quando cadauera defunctorum in mare abiicerentur, classiarii sclopeta disploderent, quoniam istud multis terrorem incuteret, siquidem quotidie in diuersis nauibus huiusmodi displosio fiebat: Hoc etiam die caliculus vini caustici singulis distribui cæpit. *Ianuarius.*

Die 11. Petrus Nicolaus, commissarius in naui Concordia, è viuis excessit.

Die 15. manè terram versus Occasum conspeximus. Nos insulam de Galperico esse iudicauimus. Terra erat admodùm humilis, & fluctus ad eam horrendum in modum allidebant. Quapropter benè cecidit, quòd noctu huc non sumus delati: alioquin tota classis in magnum periculum incidisset. Die 23. scarbotus in nostra classe ita sæuiebat, vt quotidie multi morerentur: quædam naues tam inualidæ erant vt vix tot sani superessent, qui naues regere ac gubernare possent. Hoc die obiit Cornelius, Commissarius in naue Delphica. Die 25. sub meridiem conspeximus insulam Guaganam, quæ vna est ex insulis Latronum, ad quam sub vesperam peruenimus. Terra erat edito loco sita, & incolæ illarum insularum cum 20. ex suis nauigiolis ad classem veniebant, *Terra Orientalis Indiæ apparet.* *Insula Latronum.*


1615. Ianuarius. bant, cum quibus ferrum vetustum, gosſipium, bananas & pattatas permutauimus. Tota nocte grauibus procellis iactati fuimus, & postero die manè stationem quæsiuimus.

Die 29. manè Latrones cum 150. nauigiolis ad nos venerunt, quibus gosſipium & amiamas vendidimus, pro quibus 700. cocos accepimus. Sub veſperam ad latus Occidentale inſulæ Guagan, in fundo arenoſo, decem vlnas profundo, parui tormenti iactu à littore anchoras fiximus. Nauis, Spes, longius inde receſsit: quæ cum tantùm 8. aut decem integræ valetudinis homines haberet, archithalaſſus quosdam ei ſubmiſit, qui eam noctu ad stationem perduxerunt.

Die 27. ſubpræfectus cum dimidia parte claſsiariorum ad minorem inſulam vectus eſt, quæ tribus milliaribus verſus Auſtrum à ſtatione aberat, vt videret, an ibi aliquid pro claſſe reficienda inueniri poſſet. Sed quia fundus illic erat aſper, & ſub ſcopulis latentibus facilè lembus amitti poterat, omneſque Latrones archithalaſſum rogarent, ne ad littus admoueret, promittentes, ſe omnia affatim in naues allaturos, archithalaſſus ad ſtationem rediit. Prætor nocturnus cum claſsiariis ſinum luſtrauerat, vbi aquam inuenit, quæ facilè auehi poterat. Hoc die per negotiationem aliquot gallinas, & plures quàm 7000. cocos nacti ſumus.

Die 28. ad cuſtodiendum maiorem lembum, qui in littore fabricari debebat, & tutelam aquariorum, quinquaginta claſsiarii in terram expoſiti fuerunt. Hac veſpera Omarus Eberwinus ſubitò mortuus eſt.

Die 29. coacti fuimus plures claſsiarios & duo ænea tormenta in littore collocare, quia Latrones, iaculis armati, magno numero ad oram maritimam confluebant.



Februarius. Die 1. 2. 3. & 4. Februar. Latrones multum orizæ ad naues attulerunt, quam permutatione ab ipſis accepimus. Faſcem 70. aut 80. librarum nobis pro ferruginoſa ſecuri, quæ prorſus corrupta & nullius vſus erat, dederunt.

Die 5. recenſio omnium, qui in claſſe ſupererant facta eſt, & reperti 1260. viri: quo in numero comprehenſi ſunt, 32. captiui, partim Hiſpani, partim Indi.

Die

Die 8. loco Eberwini defuncti centurio creatus est Henricus Rosa, subcenturio Schutteni. Ei successit Bernhardus Schuttenus, signifer illius cohortis: huic suffectus est Otto à Vollenhoue, reformatus. 1624. *Februarius.*

Die 9. archithalassus concionem in littore habendam curauit.

Die 11. manè, relictâ insulâ Guaganâ, vela fecimus. Insula Guagana vna est ex illis, quæ vulgò insulæ de las Velas aut Latronum appellantur. Iacet in latitudine Aquilonari 13. grad. cum duabus tertiis: sed statio, in qua classis, fundo arenoso, & 10. 20. ac 30. vlnas profundo, anchoras fixerat, vno & dimidio jactu tormenti à littore, habet altitudinem 13. grad. cum semisse. Statio illa est ad latus Occidentale insulæ, ad quam tam ab Aquilone, quàm ab Austro peruenire potest. *Descriptio insulæ Latronum.*

Insula est vtcunque alta, fertilis, & multis in locis orizæ ferax, prout apparet ex copia, quam ab illis accepimus. Gossipium & cocos innumeros profert, qui etiam in ea insulæ parte, quæ ad Ortum brumalem sita est, crescunt. Palmæ vbique sunt quamplurimæ, quas incolæ videntur in pretio habere. Annanarũ hîc ingens est multitudo, quas magno numero ab ipsis accepimus. Ab eo tempore, quo hîc fuimus, 200. gallinas rapuimus: nam nullũ animal hic nancisci poteramus, quidquid etiam studii ac laboris impenderemus.

Latrones sunt corporibus optima proportione compositis, staturâ maiores quàm Tarnatani & alij Indi. Colore sunt rubiginoso, & prorsus nudi incedunt, nisi quòd fœminæ pudenda folio tegunt. Arma ipsorum sunt jacula aut fundæ, quibus industriè in bello vtuntur. Nauigia ipsorum, quæ Canoes vocant, sunt affabrè facta, & iis, captato vento, velociter velificantur. Vnam illa alam habent, qua in velificando æquilibrium servant, modò in prora, modò in puppi stantes, prout flat ventus. His nauigiis ad tria milliaria in mare excurrunt, quæ si euertantur, facilè ab ipsis attolluntur. Initio videbantur sincerè agere in negotiando: sed postea apparuit, illos nomen latronum non sine caussa gerere. Nam fasces orizæ, quos ab ipsis emimus, dimidia ex parte arena & lapidibus impleuerant, aliaque præterea furta committebant. Qui in littus exscendunt, eos sibi cauere, & armis instructos esse oportet, neque Latronibus vllo modo fidere. Nam qui vlterius progrediuntur, in periculo vitæ versantur, quod quidam ex nostris, qui ab ipsis obtruncati fuerunt, experti sunt. *Ingenium Latronum.*

Die 14. sub meridiem, habebamus altitudinem 10. grad. 30. minut. & vidimus insulam, octo milliaribus versus Occasum brumalem à nobis dissitam. Nos existimabamus, esse insulam Sahavedram: quod tamen cum tabulis chorographicis non prorsus conueniebat.

Die 15. versus ortum brumalem, aliam insulam conspeximus, quam rebamur esse nouam insulam, quia in tabulis Chorographicis non extabat. Littus est altum, Guagano simile, quod quatuor milliaribus ab hac insula distat. Ea vtcunque lata est, quãtum ex aspectu judicare poteramus. Hîc aliquot nauigia vidimus, quæ ad nos tendebant: in iis sedebant homines, gestibus & formâ corporis Latronibus similes, crine oblongo & atro, cum quibusdam ornamentis circum corpus appensis. Sed cum vela daremus, nos assequi non potuerunt. Insula hæc habitata erat, & benè culta, quantum videre poteramus. Sita est sub altitudine 9. grad. & trium quadrantum.

Diebus 16. 17. 18. & 19. ventus ab Ortu solstitiali perdurabat.

Die 20. procella ab Oriente nos excepit, cum vehementi pluvia. Noctu velo medio versus Occidentem progressi sumus, ne in angulum Aquilonarẽ promontorii de Viscajo laberemur: quæ pars est Orientalis terræ Mindanao, seu magnæ insulæ Australis inter Philippinas.

Die 21. tempestas procellosa continuabat. Nos minori velo circum apicem Aquilonarem vehebamur, ne in vada & arenas laberemur.

Die 22. nullum adhuc littus videre poteramus.

Die 23. manè archithalassus, habito consilio, & auditis nauclerorum sententiis decreuit, cursum ad occasum brumalem esse continuandum, vsque ad altitudinem 3. grad. postea regionem Gilolo quærendam, inde celeri cursu ad Ternaten nauigandum. Sub meridiem comperimus, fluxum maris nos vehementer ad Septentrionem impulisse, quamuis Aquilo flaret.

Die 24. media nocte invenimus altitudinem 4. grad. 50. minut.

Die 25. vento ab Ortu solstitiali flante ad Occasum brumalem acti fuimus, & 12. milliaria confecimus. Sub meridiem habuimus altitudinem 6. grad. 20. minut. vnde animadvertimus, nos dimidio die dimidium gradum versus Septentrionem progressos esse.

Die 26. meridie altitudo erat 4. grad.

Die 27. sub meridiem altitudinem habuimus 2. grad. 45. minut. Nos in cursu ad Occasum brumalem perreximus. Ventus spirabat ab Oriente.

Die 28. terram conspeximus versus Occidentem, sex milliaribus à nobis dissitam. Fluxus maris nos vehementer eò impellebat.

Calendis Martij, mari tranquillo, fluctuauimus. *Martius.*

1625. Martius. Adventus ad insulas Moluccas. Die 2. conspeximus montem Gammacanor, in ora del Moro situm, quæ est extremitas borealis Halemaberæ, siue amplæ regionis Gilolo, cui insulæ Moluccę versus Occidentem adjacent.

Die 4. sub meridiem altitudo erat 1. grad. 40. minut. sub vesperam flante Aquilone feliciter progressi sumus, & noctu ad Malejam, regni Ternatensis metropolin peruenimus. Archithalassus lembum præmisit versus Toluco, & Iacobum Fabrum, Moluccarum insularum gubernatorem, qui illic commorari solebat, de nostro adventu certiorem faceret: sed remittente vento, sub diluculum demùm ad portum Maleyensem appulimus.

Diem vnum in itinere superfluum habemus. Die 5. secundum nostrum, aut 6. secundùm communem Indorum calculum Gubernator archithalassum ad navem excepit, & cum eo sub meridiem in terram vectus est. Caussa diuersitatis calculi est, quòd classis nostra ex Hollandia versus occasum vela faciens, 16. horis Solem lucentem habuit, & dies maior fuit 24. horarum spatio: qui verò ex Hollandia in Indiam Orientalem navigant, diem minorem habent, quàm 24. horarum, & Sol circiter octo horis citiùs in Moluccis oritur, quàm in Hollandia: ita vt discrimen sit vnius diei.

Die 9. navis Concordia, in vsum Societatis Indicæ Orientalis Maquianā navigavit: quæ vna est ex insulis Moluccis, nēpe quarta ex maioribus, numero inito à Septētrione: & post sex dies rediit

Die 13. nuntium Maleyam allatum est, Fidem, quæ fuit navis modò dictæ Societatis, in insula Sangi periisse, quæ 50. milliaribus versus Septentrionem ab insula Ternate distat, & ad Philippinas euntibus in via occurrit.

Hoc die archithalassus cum quatuor primariis navibus, & majori parte eorum, qui in classe erant, ad munimentum Caleamate in Ternate vela fecit, vt illud dirueret.

Die 16. naues illæ, diruto modò dicto munimento, & tormentis ablatis, in portum Maleyæ redierunt.

Die 17. subpræfectus cum quatuor nauibus Maleyâ excurrit, vt munimentum in insula Motyr, quæ tertia est ex insulis majoribus in Moluccis, destrueret.

Die 25. classis cum gubernatore Moluccarum Maquianam vela fecit, quò subpræfectus cum reliquis quatuor navibus appulit, & in portu Gnoffaquiæ anchoras fixit.

Die 26 decretum fuit, vt classis deinceps morem Indorum in apparandis cibis sequeretur: adhæc mandatum, vt nauis Concordia Sangin erit, & homines ac tormenta ex navi Fide, quæ perierat, Maleyam adduceret.

Die 28. classis Maquianam reliquit, & quia propter venti vehementiam supra Gotities velificari non poterat, per fretum, quod est inter veterem & novam Batsiam, cursum tenuit.

Die 30. fretum traiecimus, & ante munimentum Labonis in Batsia anchoras jecimus.

Die 31. Batsiâ discessimus, & cursum ad Amboinam instituimus.

Aprilis. Die 4. Aprilis classis portum subiit ante castellum minoris Amboinę, vbi navis Delphica novo malo instructa fuit. Gubernator Amboinæ, Hermannus à Speult, omnia apparauit ad iter versus Loehoe in Cambelo, quod est in regione Ceram ex aduerso partis Occidentalis maioris Amboinę.

Die 25. lembus nauis Aquilę cum litteris de nostro advētu à Gubernatore generali Indię Orientalis, nomine fœderatarum prouinciarum Belgii constituto, scriptis, in Hollandiam missus est.

Maius. Loehoe & Cambelo comburuntur. Die 14. Maii archithalassus cum nauibus Mauritio, Gripho & Dauide (postquàm Aquila prius Cambelum, & Spes Loehoen ivisset) cum omnibus copiis, & Gubernatore, Correctoribus & militibus Amboinæ Ceram vela dedit: vbi primùm munimentum Loehoe expugnatum ac prorsus destructum: deinde incolæ rebelles cum oppidis & pagis igne deleti, omnesque ipsorum arbores cariophyllaceæ vastatæ ac penitus extirpatæ fuerunt.

Iunius. Die 22. Iunii archithalassus cum Gubernatore Amboinam rediit, relictis navibus & ægrotis in portu Cambeli, propter ventum adversum.

Iulius. Die 18. Iulii archithalassus & Gubernator Amboinę cū classe in Nouā Bataviam nauigarunt.

Die 19. naues, quę ante Cambelum stabant, ad classem redierunt: & quia liburnica, Venator dicta, quam Hispanis eripueramus, tam rimosa erat, vt supra aquam diutiùs subsistere non posset, archithalassus mandauit, vt navis Hollandia tormenta illius liburnicæ in portu Cambeli relinqueret, ipsámque combureret, postea in freto Bottoni ad classem reuerteretur.

Augustus. Die 2 Augusti portum Bottoni intravimus.

Die 6. classis Bottono discessit.

Die 10. in portu Macasar anchoras jecimus, vbi Gubernator Speult in terram exscendit, & à Rege humaniter exceptus fuit.

Die 19. classis è portu Macasar soluit.

Die 25. Gubernator Speult cum nauibus Arausione & Mauritio Iaparam excurrit: archithalassus autem cum reliquis nauibus iter in Bataviam instituit.

Die 29. archithalassus cum quibusdam nauibus in portum Bataviæ venit, quæ est metropolis Societa-

Societatis Belgicæ in India Orientali: quò etiam postea Gubernator Speult cum nauibus Arausione & Mauritio appulit. Et quia nihil tunc in Batavia occurrebat, quod classis coniunctis viribus in emolumentum modò dictæ Societatis gerere potuisset, visum fuit Gubernatori generali & Senatui Indico, vt naues classis dividerentur, & ad ea loca mitterentur, in quibus patriæ & Societati Indiæ Orientalis vtilem operam nauare, & hosti maximum damnum inferre possent. Gubernator Speult cum nauibus Arausione, Hollandia, & Mauritio (in quibus erant centuriones Engelbertus Schutte, Ioannes Terhalte, Everhardus de Vertes, & Iustus Vogelaer, mercator in naui Amstelrodamo) Bataviâ Suratten vela dedit. Inde enim quàm breuissimus in patriam reditus esse putabatur. Subpræfectus, Ioannes Guilhelmus Verschoor, cum duabus nauibus, Spe & Grypho, & duabus liburnicis, quæ ad Societatem Indiæ Orientalis pertinebant, ad aliquid tentandum in Mataccam cursum instituerunt. Naves, Aquila & David, ad oram Coromandelæ emissæ fuerunt. Nauis Concordia, vt primum è Moluccis in Batauiam venit, instructa fuit, vt primo quoque tempore in patriam rediret: duæ reliquæ naues, Delphica & Ambstelrodamum, in insula Inquieta substituerunt, vt sarcirentur, & postea Concordiam sequerentur. 1625. Augustus.

Die 29. Octobris archithalassus æger, cum naui Concordia, Bataviâ soluit, patriam repetēs. October.

Die 3. Novemb. archithalassus, Hugo Schapenhamius, in naui Concordia extremū diē clausit, & die 5. eiusdem mensis in insula Pulo Botsoc, duobus à Bantam milliaribus sepultus fuit. November.

Die 27. duæ naues, Delphi & Amstelrodamum fretū Sundæ superarunt, postquàm tres hebdomadas & amplius propter ventum aduersum & malaciam in transitu illius freti consumsissent.

Die 22. Ianuar. ad promontorium Bonæ Spei feliciter appulerunt, vbi litteras invenerunt à navi Middelburgo, datas 28. Decembr. 1625. quo tempore illa ab isto promontorio soluerat, vt S. Helenam peteret, 136. viris instructa, cùm bono animo esset, se in patriam feliciter redituram. 1626. Ianuarius.

Die 9. Februar. inde vela fecerunt. Februarius.

Die 24. cum duabus navibus in portum S. Helenæ appulerunt.

Die 11. Martii insulam S. Helenæ reliquerunt. Martius.

Die 16. Iunij propter debilitatem, coacti sumus in Plimmuthum Angliæ nos recipere. Iunius.

Die 9. Iulii ambæ naues per Dei gratiam Texellam saluæ appulerunt. Postquam autem nauis Mauritius, in qua ego Adolphus Deckerus Argentinensis, toto hoc itinere, præfecti armorum munus gesseram, ex sententia Senatus Indici, eo, quo dictum est, modo domum remissa fuit, nos eos milites, qui longo jā tēpore in India Orientali meruerant, liberare, & eorū loco prçsidiariorū partes in castello Batauiæ, quod est in maiori Iava, obire coacti fuimus: quē locū 28. mensibus insedimus. Iulius.

In hac opulenta insula multi rhinocerotes & tigres inueniuntur, & multum piperis crescit: prout in Itinerariis Orientalibus fusè hoc describitur.

Elapsis modò dictis mensibus decem aliæ naues ex Hollandia appulerunt, quarum supremus dux fuit Ioannes Petrus Kühn. Eæ nos liberarunt: itaque naues conscendimus 9. Nouembr. 1627. nouo stylo, & vela dedimus. 1627. November.

Die 10. fretum Sundæ trajecimus, die Dominica. 1628.

Die 28. Ianuar. anni 1628. promontorium Bonæ Spei assequuti sumus, vnde facilis in patriam reditus patet: & quando huc venitur, dimidiū iter jam confectū putatur. Hîc 14. dies substitimus. Ianuarius.

Die 15. Februar. vela fecimus cum procella, quæ à terra incumbebat, & 12. Martij ad insulam S. Helenæ venimus, vbi 18. dies commorati sumus, nos reficiendi caussâ, & multos hircos ac porcos cepimus. Quoniam verò suprà hircorum mentionem fecimus, quos initio ægrè nancisci poteramus, donec veram illos capiendi rationem didicimus, de ea aliquid hoc loco attexam. Februarius. Martius.

Hirci, capra, oues, porci & id genus pecoris, ab incolis harum insularum non educatur, sed ex Europa à nostris, nēpe Hollandis, aut Anglis & Hispanis advehuntur, vt illic fætificent, & quando naues eò adueniunt, victum inueniant, quo se sustentare possint: prout etiam hîc illic arbores plantauimus, fructus consevimus, & omnis generis semina in terram conjecimus, quibus nos aut alii, qui postmodùm huc venturi essent, frui posent. Cùm igitur initio hircos scloppetorum displosione capere vellemus, fragore illis inaudito, eos terruimus, & in silvas ac dumeta abegimus: quod postea omisimus, & eos circumdatos in circulum coegimus: tunc singuli eos, quos poteramus, sine strepitu comprehendimus, & viuos in naues perduximus, aut gladiis transfixos mactavimus. Hac ratione iis affatim potiti sumus.

Hîc notandum omne pecus & omne genus carnium inter Tropicum Capricorni ad saliendū prorsus ineptum est: etiamsi purgetur & sale condiatur, tamen putrescit. Incolæ earum regionum carnes fumo indurant, & crati ligneæ, quæ viri altitudinem habet, imponunt: quod in nauibus imitari non licet. Quapropter huiusmodi animalia libentius viua capiebamus, vt ea, quando opus esset, mactaremus. Quod ad insulam S. Helenæ attinet, sita est ea trans Æquinoctialem lineam, versus Antarcticum polum, sub altitudine 17. grad. Solū ipsius est prçaltum & montosum, amænis Descriptio insulæ S. Helenæ.

1618. vallibus ornatum: hircis, capris & porcis abundat: ibidemq; aqua recens & salubris invenitur: quā ob caussam naues plerunq; eò appellunt, vt se cibo potuq; reficiant. Insula per se quoq; fertilis est, & aërem salubrem habet: nisi quòd æstus aliquanto sit ferventior, vt in omnibus regionibus, quæ sunt intra Tropicum. Hoc loco Sol quotannis bis vertici hominis rectà incumbit: ita vt si baculus circa meridiem erigatur, nullam vmbram spargat: quod fit, quando Sol 18. gradum Scorpionis, & 12. grad. Aquarii ingreditur, hoc est, 11. die Novembris, festo Martini: & Cal. Febr. ante festum Candelarum, stil. novo. Tunc summus illic æstus est, etsi dies non admodum crescant aut decrescant. Longissimus illic dies est festo natalitiorum Christi, quando apud nos breuissimus est. Tunc 13. horarum est: breuissimus in festum S. Ioannis incurrit, & est 11. horarum. Ad littus incredibilis multitudo piscium capitur: pleriq; sunt scombri, & minores pisces, vt cyprini lati. Cepimus quoque illic piscem monophtalmum, instar aselli, sed corpore graciliori.

Aprilis. Pridie Cal. Apr. naues rursus conscendimus, & ex insula S. Helenæ solvimus, ad lineā Æquinoctialem properantes, quàm 14. dierum spacio, secundùm judicium nostrū assequuti sumus. Hîc rursus gradū aliquantulū sistam, & quæ sit loci sub linea Æquinoctiali ratio atq; conditio, breviter exponam. Terra, seu potius orbis ex terra & aqua compositus figuræ est rotundæ, instar globi: quēadmodum etiam cælum & omnes stellæ rotundam seu sphæricam figuram habent. Cæterùm duo sunt puncta in cælo sibi mutuo opposita, quæ poli appellantur, circum quos cælum, sicut rota circum axem voluitur. Hi poli etiam in orbe terrestri observantur: prout nauigantes & iter facientes manifestè experiuntur & re ipsa comperiunt: & lingula magnetis semper ad nostrū polum borealem tendit. Inter hos duos polos, borealem & australē media est linea æquinoctialis, quæ sic appellatur, quia quando Sol hunc circulum peragrat, dies & noctes per totum mundum sunt æquales: idq; secundùm exactum calculum Astronomicum: nam quoad speciem externam, propter lucis splendorem dies aliquanto longior nocte videtur. Hæc linea totum orbē terrarum in duas æquales partes dividit, in partem borealem & australem: nautæ autem propter eximium huius lineæ vsum, eam simpliciter lineam appellant: & quando eā transiverunt, in signum lætitiæ tormentum displodunt, & hilaria celebrant. Quantus sub hac linea sit æstus, præsertim si Sol rectà vertici alicuius immineat, sicut nobis accidit, qui ferè cum Sole hanc lineam transivimus (quāuis in hoc itinere quinquies Solem verticalē habuerimus) facile est existimare: & vix credibile videretur, folia aut herbā illic crescere, nisi immensa Dei sapientia rem ita composuisset, vt ferè singulis diebus pluat: pluviā autem mox ingēs Solis ardor excipit. Sub hac linea plerunq; est malacia & summa tranquillitas, ita vt ægrè per eam transire liceat: & transitum in Americam aut reditum ex ea non prope hanc lineā instituere oportet. Senex quidam nauclerus in nostra naui narrabat, Hispanicam navim aliquando ab Anglis captam fuisse, in qua omnes obiissent, omniaq; corrupta & putrefacta fuissent: inspectis autem eorum libris atq; ephemeridibus, quæ in omnibus huiusmodi navibus diligenter annotantur, cōpertū esse, quòd 26. hebdomadis absq; vēto sub hac linea fluitassent. Et quia nuper in Ioānis
Lerius part. 3. cap. 4. fol. 109. Lærij Burgundi, qui in Brasilia fuit, itinerarium incidi, prætermittere non possum, quid ille de linea Æquinoctiali scribat. Hæc aūt sunt ipsius verba: Animaduerti, sub hac poli altitudine vētos esse varios & contrarios: quemadmodū etiam velificatio sub Æquatore difficilis & periculosa est. Sæpè accidit, vt tres nostræ naues, quæ sibi mutuò adhærebant, vno momento suum peculiarem ventum nanciscerentur, ita vt facto triangulo vna ad Ortum, altera ad Occasum, tertia ad Septentrionem ageretur: neq; hîc naucleri consiliū aut remediū inveniebant. Mox hæc ventorum contrarietas cessavit, & eā turbo excepit, qui nos subitò remoratus est, & vela ita inflauit, vt non mirū fuisset, nos millies, sursum deorsum actos fuisse. Hîc sciendū, sub Æquatore tam putridas, putidas & venenatas esse pluvias, vt si in homines cadant & nudam eorum cutim attingant, perniciosas pustulas excitent: si verò in vestes cadant, fœdas maculas gignant. Propter immensum æstum, grauem sitim pertulimus. Nullā n. aquā dulcem, aut aliū potū habebamus, quo sitim restinguere possemus, quā eū, qui nobis in prādio & cæna quàm parcissimè præbebatur. Hac de caussa evénit, sicut probè recordor, vt vltra horā obmutuerim, quia lingua palato ita adhærebat, vt spiritū vix ducerē. In tanto æstu nautæ incredibili desiderio aquæ dulcis flagrant. Hæc Lærius de linea Æquinoctiali, quæ res ipsa comprobat. Et quia fœtidarum pluuiarum meminit, hoc saltem addā, non tantùm sub linea Æquinoctiali, sed vbiq; in India Orientali & Occidentali densas pluvias cadere, quæ magnas & insolitas guttas, nucibus auellanis similes aut etiam grandiores fundant. Sed & aliud mirabilius spectaculum in mari conspicitur. Nam Sol magnā aquæ vim celeriter velut turbine in sublime trahit, quæ columnæ intortæ similitudinem habet, & magis ac magis in aërem se extendit. Quando illa in altum provecta est, desuper acuminata subtus crassa & ampla, vno impetu decidit, quasi nubes aliqua rumpatur, à qua nautæ sibi diligenter cauere, & nauim ab ea auertere debent. Quod nonnulli arbitrantur, aquas sub linea Æquinoctiali se diuidere, & dimidiam partem ad polum Arcticum, alteram ad Antarcticum labi, ibiq; ad centrum terræ redire, & apud lineam Æquinoctialem rursus emergere: de eo hoc loco non disputabimus, sed illud viris doctis discutiendum relinquimus, quandoquidem hac incomprehensibili maris abysso facilè absorberi possemus.

Quòd tarda sit sub linea Æquinoctiali navigatio, nos quoque experti sumus. Nam & illa

nos nō parū est remorata. Post aliquot dies polū Arcticū seu stellas boreales rursum conspeximus, quem duobus annis cum semisse non videram. Hoc loco quorundam scriptorum error reprehēdendus est, qui perhibent, si quis sit sub linea Æquinoctiali, eum vtrumque polum simul conspicere posse: quod falsum est. Nam prius quàm polus nauigantibus appareat, tres vel quatuor vltra lineā gradus superasse oportet. Quid in terra fieri posit, nō dicā: nā eius periculum non feci. 1618. Aprilis. Maius.

Inde cursum magis ac magis patriam versus conuertimus: à littore tamē procul recessimus, ne in manus hostium incideremus, cùm ad pugnam comparati non essemus. Octiduo ante festū Pentecostes huius anni, die Sabbathi, qui erat 27. Maii cum naui Delphica, sub imperio Iacobi Speckii, in qua 160. homines erant, Amstelrodamum feliciter appulimus. Tres tantùm ægrotos habebamus, & decem homines in itinere amiseramus. Deo soli gloria.

SECTIO VNDECIMA,

De prouincia CinAloa, in Boreali India, quam Nunnez de Gusman primus detexit.



Nter regiones Culhuacan & Cibolam sita est prouincia Cinaloa, quæ maximè Septentrionalis est regni Nouę Galliciæ 41. milliaribus Hispanicis à Culhuacan, 150. à Guadalaiara versus Septentrionē distans. Cùm Nunnez de Guzman ad hanc prouinciam explorandam Culhuacano profectus esset, venit primùm ad fluuium Petatlan, confecto itinere 50. milliarium. Rari erant incolæ, pellibus ceruinis vestiti, quæ benè apparatæ & consutæ erant. Illas sub brachio gestabant: fœminæ pudenda tegebant, cætera nudæ. Solem adorabant, cui tamen non sacrificabant, nec aliis cæremoniis vtebantur: carnibus humanis vescebantur. Gens est corpore benè composito, colore cinereo: sagittas arcu emittūt: quibus emissis, fustibus vtuntur, quos loris ad brachia alligant. Viginti milliaria, vlteriùs progressi Hispani, ad alium fluuium peruenerunt, qui Timochala dicitur. Inter vtrumq; fluuium regio densis arbustis consita est, in primis ligno Brasiliensi, quod tamen non optimæ notæ est: maxima ex parte est desertum, incolis carens. Ad fluuium modo dictum quosdam paruos pagos inuenerunt: quibus relictis, ad 39. milliaria altiùs ascenderunt, vbi solum fertile ab ipsis repertum, cum multis domiciliis. Erant enim illic vltra 25. pagi, & in singulis 300. incolæ. Atq; hæc erat prouincia Cinaloa. Hispani 25. dies illic commorati sunt, propter continuam pluuiam. Interea barbari lepores, turtures & alias volucres ipsis subministrarunt. Postea fluuium transmiserunt, & 30. milliaria per loca inhospita versus Austrum profecti, neq; flumina aut fontes inuenerunt: quorum loco ipsis fuit aqua pluuia, donec ad alium fluuium peruenerunt, incolis non ita, vt Cinaloa, frequentem: qui tamen iis, qui in Cinaloa degunt, similes sunt. Posthæc magna siti pressi, gentem pugnacem offenderunt, quæ armata manu ipsis occurrit: ibi prælium commissum: sed quia planities erat, Hispanorum, qui equos habebant, melior fuit conditio, & barbari dissipati sunt. Illic fluuius erat ad vtramq; ripam pagi, quorum incolæ lingua & moribus cum prioribus conueniebant. Inde Hispani Calhuacamum reuersi sunt. In tota regione inter vtrumq; fluuium Petatlan & Iaquimum, incolæ sunt eiusdem formæ: nullos fructus habent, præter Batatas, & similes: attamen melones, triticum Indicum, & minuta semina apud ipsos reperiuntur, ex quibus panem conficiunt. Sunt homines bellicosi: & quando pugnant, non magnum clamorem edunt, vt cæteri barbari. Laborum sunt patientes, quia venationibus assiduis se exercent. Ad fluuium Iaquimum boues, vaccæ & grandes cerui inueniuntur. Potum suum conficiunt ex minutis granis, quæ prope arbores crescunt. Mesquites illa appellant, & aquâ miscent, atque in mortario tundunt. Mulieres ferro candenti in facie sunt adustæ. Regio plana est & sicca, ideoque salubris: fluuii sunt admodùm piscosi. Hispani domicilia illic exstruxerant, sed barbaris aduersantibus retinere non potuerunt.

Quis Cinaloam prouinciam primus inuenerit.

Eius incolæ.

Nauigatio Francisci de Vlloa in has boreales regiones Americæ.



Nno Domini 1593. die 8. Iulii Franciscus de Vlloa ex portu Acapulco soluit, & ad littus Sacatulæ & Montinæ vela fecit. Ora hæc valde amæna est, viridibus arboribus consita, multisque fluminibus, quæ in mare labuntur, irrigata. Inde venit in prouinciam Colimæ, & illic mansit 27. dies. Die 23. Augusti inde discessit, & ad littus Culhuacanum nauigauit: deinde portum S Crucis in California subiit, vbi 5. dies mansit, & sibi de recenti aqua prospexit: tum sinum Californiæ traiecit, & duorum dierum ac dimidii spatio ad fluuium Petri & Pauli venit: ab vtraque eius ripa pulchram planiciem, vernantibus arboribus delectabilem vidit: à tergo montes erant pleni arborum, aspectu iucundi. Decem milliaria vlteriùs progressus quosdam amænos fluuios inuenit, quorum vnus fluuium, qui prope Hispalim in Hispania labitur, magnitudine æquat, imò superat. Omnes tamen hi fluuii in suis ostiis sunt vadosi, nec nauibus transmitti queunt: regio ipsa est amæna & iucunda. Vidit illic septem aut octo Indos,

Francisci de Vlloa nauigatio versus boreales partes Americæ.

variasque herbas inuenit, iis, quæ sunt in Hispania, dissimiles. Ora maritima est plana: sed vlterior habet montes, pulchris arboribus consitos.

Promontorium Roxo in California. Cùm vlterius velificatus esset, diuersos portus & promontoria reperit, vt promontorium Roxo. atque alia, quæ adhuc nominibus carebant. Inde cursum suum persequutus, tribus à portu versus Septentrionem milliaribus insulam inuenit, quæ circiter milliare complectitur, & ad ostium portus sita est. Illic permagna erat piscium copia. Iactis ad continentem anchoris, in terram egressus est, & regionis possessionem consuetis cæremoniis occupauit. Hoc loco retia ad capiendos pisces inuenit, nec non hydrias & ollas fictiles, non minùs affabrè factas, quàm eæ, quæ sunt in Hispania. Hic crucem erexit, & terram vidit viridi gramine vestitam: vlteriùs montes virentes conspexit. Postea fretum ingresus est, quod admodùm profundum erat: ab vtraque parte terra apparebat, donec ex eo non sine labore egressus est: nam mare illic, singulis sex horis, magno impetu in terram fluebat & refluebat. Quoniam vero nullos illic incolas reperiebat, in terram exscendit, & eius possessionem sibi vindicauit. Inde retrogressus octo milliaribus versus Occasum brumalem, & terram vidit altis & nudis montibus plenam: noctu ignes quosdam animaduertit, ex quibus ingens fumus ascendebat: cumque in terram exscendisset, & ad locum iuisset, foramina vidit fontibus similia, ex quibus vapor sulphureus in altum ferebatur: solum autem erat perustum. Hic multi erant cuniculi marini. Octo Indi ibidem reperti, qui piscabantur, erant illi prorsus nudi, & iis similes, quos Chichimecas vocant. Posthæc portum inuenit, quem portũ S. Andreæ appellauit: vbi duos Indos magnæ staturæ conspexit. Inde ad magnam insulam peruenit, quam 80. milliaria Hispanica continere iudicabat. Duobus tantùm milliaribus à continente distabat, & aspectu iucunda erat. Noctu quædam domicilia ipsi in conspectum venerunt, & sub diluculum vidit canoam seu cymbam arundineam, quæ nauem ipsius sequebatur. Quamuis autem Indi eum compellarent, tamen eos intelligere non poterat: ob quam caussam illi retrò abierunt. Mox aliæ quinque eiusmodi cymbæ comparuerunt, quæ iactu lapidis à Francisci naui subsistebant. Cùm propiùs accedere nollent, Franciscus lembum misit, qui eos insequeretur. Is vnam ex cymbis illis cepit: sed Indus, qui in ea erat, in aquam insiliit: cumque Hispani eum comprehendere vellent, ipse anatis instar in aquam se demersit, ita vt eum capere non potuerint, vt maximè omni studio anniterentur. Inde profecti Hispani, aliquot alias regiones detexerunt, & sinu maris inter Californiam & continentem circumnauigato, cum nusquam transitum inuenirent, ad portum S. Crucis redierunt, vbi duodecim dies commorati sunt, & recentem aquam collegerunt. Franciscus quosdam ex suis in terram misit, vt aliquot Indos interciperent: sed illi neminem inuenerunt, donec ad naues reuerterentur: tunc duos conspexerunt inter arbusta latitantes, qui Hispanos obseruabant. Cùm se detectos animaduerterent, celeri fuga se proripuerunt, ne in manus Hispanorum venirent.

Fodinæ sulphureæ in India Boreali.

Die 29. Octobr. Hispani inde discesserunt, & cælo nebuloso, obscuro ac procelloso, quo integrum octiduum durauit, tandem ad pulchram & amœnam regionem peruenerunt, in qua ignem perspexerunt, ita vt incolis frequens esse videretur. Itaque sexaginta milliaria à S. Cruce velificarunt, & quia præceps iam Nouember erat, hyemem algidam experti sunt. In quodam promõtorio Ioannes Castellonius, proreta, cũ sex viris in terram exscendit, vbi quatuor Indi ipsi occurrerunt, procero corpore, qui ceruorum instar aufugerunt.

Vehemens impressio Indorum in Hispanos. Die 2. Decembr. Hispani aquam collegerunt, & Franciscus de Vlloa, aliquousque in terram profectus est, quæ montibus & saxis plena erat, cum multis foraminibus. Duabus post meridiem horis, duo agmina barbarorum clàm & crociter in Hispanos impresionem fecerunt, ita vt excubias fefellerint, sagittas torquentes, lapides iactantes, & lanceas magno furore vibrantes: in quo conflictu Franciscus & duo alii strenui milites sauciati fuerunt: tres autem molossi, quos nautæ secum ducebant, mirum in modum restiterunt, ita vt Hispani interea aquam hauserint: cumque admodùm premerentur, inuocato Diui Iacobi nomine, tanto impetu barbaros adorti sunt, vt illi fugam arriperent, & magnum rogum ascenderent, ad quem se calefecerunt. Noctu singuli ex Indis torrem manu comprehenderunt, & quà poterant, diffugerunt. Hispani autem ad naues redierunt. Postero die cùm proreta tugurium barbarorum conspexisset, & illud lustrare vellet, tot Indi eum inuaserunt, vt fugâ sibi consulere cogeretur. Secundùm hæc Hispani inde soluerunt, & multas præclaras regiones inuenerunt, amænis montibus circumdatas, inter quos multi fluuii in mare labebantur: cumque tempestate in portum S. Abaddi se recipere cogerentu[illegible] icem à barbaris redemerunt, vt aquam haurire possent. Sed quoniam Indi nihilominus H[illegible]s sagittis petebant, Franciscus duo scloppeta in eos displodere iussit, quorum fragore, & quia vnus ex Indis interemtus fuit, reliqui in fugam versi sunt. Barbari non intelligebant interpretem, quẽ Franciscus Californiâ secum adduxerat.

Sequenti anno, mense Ianuario, cùm Hispani ad insulam cedrorum appulissent, & aquam haurire vellent, idem ferè ipsis accidit, quod prius, & pæne à barbaris oppresi fuissent, neq; aquã

haurire


haurire potuissent, nisi canes ipsis opem tulissent. Postea verò non tantùm aquam inuenerunt, sed etiam ligna & bonos pisces, atque etiam feras & cuniculos ceperunt. Paullò post orta graui tempestate, vtraque nauis Hispanorum valde labefactata fuit: ob quam caussam plerique Hispani in nouam Hispaniam redire constituerunt: à quo consilio Vlloa prorsus alienus erat. Sic dissidium inter ipsos natum, & vna nauis in nouam Hispaniam rediit: Vlloa autem cum altera institutum iter persequutus est. Cæterùm quò tandem ille deueniret, non constat.

Franciscus de Vlloa ab itinere suo non rediit.



SECTIO DVODECIMA.

Descriptio urbis Mexico, & Noua Hispaniæ.





Voniam prouinciæ hactenus à nobis descriptæ partim mediatè partim immediatè regno Nouæ Hispaniæ adhærent, cuius metropolis est Mexico, quæ vrbs maxima & præcipua est in tota America, cuius in hoc opere, præsertim in prima parte crebra mentio facta est, cùm de rebus huius prouinciæ ageremus, qui tunc regnum Mexicanum tenuerunt, eius descriptionem hoc loco adiungere placuit. Hanc vrbem Indi olim Tenoxtitlam aut Tenuchtitlam appellarunt: vnde nostri homines postea nomen Temistitam formarunt. Eius delineatio in Munsteri Cosmographia reperitur. Iam verò nomine Mexico ita innotuit, vt priora nomina ferè obsoleuerint. Sita est sub altitudine 20 grad. cum semisse, latitudinis borealis: in longitud. 103. grad. secundùm Meridianũ Toletanũ: ita, vt à Toleto rectâ lineâ 1740. milliaribus Hispanicis distet: quod spatium Sol octo horis suo cursu peragit. Tota vrbs, quẽadmodũ Cortesius in sua relatione ad regẽ Hispaniæ scribit, iacet in lacu salso, cuius aquã incolæ nõ bibunt, ideoq; dulcem aquam vno milliari per canales in vrbem ducunt: etsi etiam non parùm aquæ dulcis suis cymbis in eam vehant.

Mexico vrbs maxima totius Americæ.

Eius prisca nomina.

Situs in lacu.

Quo-

Quoniam igitur hæc vrbs in lacu seu stagno sita est, tres tantùm aditus habet. Primus ab Occasu per aggerem patet, qui dimidii milliaris Hispanici longitudinem habet: alter est à Septentrione, integrum milliare longus: tertius à Meridie duo milliaria longus, per quem Cortesius cum suis copiis vrbem ingressus est. Ab ortu nauigiis seu cymbis vtendum est. Hîc notandum, etsi lacus, in quo hæc vrbs sita est, vnus tantum esse videatur: tamen reuerà esse duos, qui planè sunt distincti: nam vnus habet aquam salsam, amaram & insalubrem, in quo prorsus nulli sunt pisces: alter habet aquam dulcem, qui pisces, eosque paruos, alit. Lacus salsus crescit & decrescit secundùm flatum venti: dulcis paullò altior est, ita vt aqua dulcis in salsam per sex aut septem meatus, qui ligneis pontibus teguntur, feratur. Lacus salsus quibusdam locis quinque milliaria Hispanica latus, & octo vel decem longus est: in circuitu plus quàm decem milliaria complectitur. Nec minor est dulcis lacus: nam vterque plus quàm 30 milliaria continet. Ad ripam vtriusque lacus plures quàm 50 pagi siti sunt, inter quos nonnulli 5000. imò etiam 10000. domos habent. Inter hos est pagus Tescuco, qui non multò minor erat, quàm Mexico. Aqua, quæ in lacum labitur, & eũ efficit, ex montibus decidit, qui circum vrbem siti sunt, & ex ea conspici possunt. Et quia aqua ex fundo nitroso manat, iccirco salsa est, neque ob aliam caussam, quamcunq; alii sibi imaginantur. In littore huius lacus multùm salis conficitur: ex quo præclara negotiatio orta est. Illic perpetuò sunt centies mille cymbæ ex ligno solido, instar radii textoris. Mexicani eas vocant Acales, Hispani Canoas, nomine in horum locorum insulis vsitato.

Lacus illius qualitas.

Vrbs hoc tempore non ita aquosa est, vt olim, cum barbari eam tenerent. Nam meatus non sunt aperti: etsi plateæ perinde angustæ & oblongæ manserint. In publicis areis fermè quotidie forum habetur, & omne genus ciborũ illic venale est, vt non opus sit, eos procul quærere. Tria tamen sunt præcipuè fora, ad quæ certis diebus in septimana magnus est ementium & vendentiũ concursus.

Splendida fora & area in Mexico.

Hæc fora Hispani antiquo nomine *Tianguez* vocant. Tale forum cernitur in Tlatelluco, quæ est area quadrata, ad tria latera xystis & tentoriis circumdata. In medio huius areæ, omnium, quę in orbe sunt, maximæ, effigies est iustitiæ, & fons egregius aquæ salientis. quem Hispani illic statuerunt. Alterum forum intra vrbem hodie appellatur el Tianguez de Sant Iuam, quod etiam amplum & spatiosum est. Tertium dicitur Tianguez de S. Hippolyto, qui est huius vrbis patronus, vbi diebus Martis & Iouis forum celebratur. In hisce foris tanta est hominum frequentia, vt vix quisquam se possit vertere: & singulæ merces suum locum habent, in quo prostant. Quæ rudia & ponderosa sunt, in cymbis relinquuntur. Nimis longum esset omnia recensere, quæ huc comportantur. Nam quidquid ex terra, ligno, argento, auro elaborari potest, hîc est venale, præter alias res pretiosas. In hac vrbe sunt vltra 4000. ciues, qui sunt Hispani: & vltra 30000. incolæ, qui sunt Indi. Præterea in circumiacentibus pagis, quorum supra mentio facta est, 3000. Hispani habitant. In hac vrbe domicilium habet Prorex, Archiepiscopus, cum multis Ecclesiasticis omnium ordinum, de quibus supra in prima parte ex Herrera, quantum satis est, diximus.

Magna hominum frequentia in Mexico.

Quod ad aërem huius vrbis attinet, in ea iisdẽ temporibus & horis pluit, quibus in aliis Nouæ Hispaniæ prouinciis, non tamen matutino tempore, sed vespertino, flante Aquilone. Nam à mane vsque ad vesperam cælum est serenum. Vesperi autem versus Septentrionem in monte Tepeaquilla, qui milliari ab vrbe distat, conspici solet obscura nubes, quæ breui tempore cum vehementi vento ac tempestate ad vrbem fertur: & nihil certius est, quàm pluiturum, quando nubes illa in monte apparet. Quando pluit, cælum in vrbe est mite ac salubre, horæ matutinæ sunt iucundæ: vespera est humida: noctes lucidæ & serenæ. Mensibus Nouembri, Decembri, Ianuario & Februario, quibus tempus est siccum, nec solet pluere, sub vesperam, eo tempore, quo aliàs pluit, turbo in Mexico consurgit, & quia solum est nitrosum, spissus & obscurus puluis circumuolitat, ita vt interdum vnus alterum dignoscere nequeat: appetente autem Martio, quo tempore solum maximè siccum est, puluis iste pestilentior est, quàm aliis temporibus: nam si per os & nares in corpus penetret, excitat pleuritidem, quæ nonnullis est exitialis: ita vt tunc consultum sit, conclusis ædibus se continere.

Certum signum pluuiæ.

Puluis insalubris in Mexico.

Hi venti puluerulenti totam quidem Nouã Hispaniam perflant: sed non vbique ita sunt nocentes, vt in Mexico. Qui in vrbe habitant, & suæ valetudini consulere volunt, vesperi non prodeũt, sed ianuas & fenestras suas arctè concludũt. Quãdo autẽ libero aëre frui volũt, in suas villas abeũt.

Fertilitas nouæ Hispaniæ.

De aliis proprietatibus Nouæ Hispaniæ, inprimis de soli fertilitate, supra dictum est: nihil tamen nocet, hoc loco aliquid attexere de vicina prouincia Mechoacan, quæ Mexico contermina est, & secundum idioma Indicum nomen habet à piscibus quibus illa abundat. Aër quidem huius prouinciæ quibusdam locis frigidior, aliis calidior, tamen vbiq; salubris est: ita vt ægri, qui eò veniũt, conualescãt: quapropter etiã magnus illic est hominũ concursus. Multi sunt in hac prouincia lacus, multa egregia flumina, multi limpidi fontes, quibus pecus pinguescit: nec paucæ in ea sunt calidę scaturigines, alię aliis calidiores, cõtra varios morbos salutares. Solum supra modum fæcun-

fæcundum est: sunt ibi prata eximia pro pecore magno & paruo: montes altis & fructiferis arboribus sunt consiti: illic magna est tritici, hordei, aliarumque frugum, quæ ex Hispania eò allatæ fuerunt, copia. Nam illæ tàm abundè & feliciter prouenerunt, vt Hispanus pro quatuor modijs frumenti, quos seuerat, trecentos retulerit.

Nullum est genus arboris in Hispania, quod non hîc largè fructum ferat: etiam vuæ, quæ hic crescunt, sunt præstantes. Etiam mori hîc plantatę fuerunt: quocirca multum serici hîc conficitur. Anillæ & Cochenillæ, serici tinctoribus notæ, hîc magna vis est. Pecoris magni, & parui, numerus est incredibilis, nec non equorum præstantium, qui ad trahendum & portandum adhibentur, cùm prius miseri Indi non secus, ac iumenta, oneribus premerentur. Porci, ex Hispania illati, ita multiplicati sunt, vt solitudines compleuerint, & in apros degenerarint. Quid dicam de gallinis feris & cicuribus, palumbibus aliisque omnium generum volucribus? Inueniuntur quoq; hoc loco aues rapaces, quæ ad aucupium informantur: denique perdicum, ardearum, Phasanorum, turturum, leporum, cuniculorum, aliorumque animalium tanta hîc multitudo est, vt aucupio & venatione non tantùm viri nobiles, sed etiam plebeii, quoties volunt, se oblectare possint.



Sunt etiam hîc aues, quas Auras vocant, de quibus non constat, vnde viuant. Similes illæ sunt nigris gallinis: capite & collo sunt crinitæ, aspectu deformes, quæ altissimè volant, nec vllus est, qui dicere possit, quomodo fætificent, aut vnde veniant. Sunt etiam hîc aues cantillantes, eæque non paucæ, quæ certis temporibus auolant & redeunt.

Sed & leones ac lupi in siluis reperiuntur, qui pecus deuorant: item tigrides, quæ carne humana semel gustatâ, Indos in ædibus quærunt, abripiunt, mandunt: nihilominùs Hispani eas cum suis scloppetis ita abegerunt, vt earum paucæ nunc inueniantur.

Præterea genus quoddam animalculi hîc habetur, sciuris simile, quod ædes suffodit, ita vt sæpè corruant: nec non vulpes, quorum vrina admodùm fætet, & omnia corrumpit. In montibus multa animalia capiuntur, ex quibus, vt ferunt, lapis Bezoar eruitur.

Incolæ gerunt vestes xylinas: quidam etiam panneas ex Hispania allatas: multi etiam Hispanicum habitum assumserunt, & linguam Hispanicam didicerunt. Quia Brasiliense & alia ligna polita habent, multi scriniarii apud eos reperiuntur, qui arcas, cistas, mensas, tabulas & alia similia opera eleganter conficiunt. Sunt etiam inter ipsos pictores, sutores & sartores: adhæc cupri quoddam genus, quod habent, ita elaborare norunt, vt multa inde conficiant: imò ex hoc cupro non tantùm optimos lebetes, qui vspiam inueniuntur, sed etiam vomeres ad agros colendos fabricant: & illud est ipsis loco chalybis & ferri. Hi homines sunt etiam periti hortulani, & oues, vaccas atque equos alunt: canes Hispanicos in pretio habent, quia domos ipsorum custodiunt.

Indi in noua Hispania artificiosi.

Cùm adhuc barbari essent, meliori valetudine vtebantur, quia parciùs comedebant, & assiduo labore à suis Caziquis exercebantur. Lotio in aqua frigida necdum ipsis vetari potuit, quamuis multi ex ea in pleuritidem inciderint, & lethales morbos contraxerint. Nam simulac febre corripiuntur, in frigidam aquam se coniiciunt, & rarò ex morbo conualescunt. Hæc prouincia, in Noua Hispania sita, nunc in Episcopatum redacta est, & vocatur Episcopatus Mechoacanus.

Mira curatio febris.

Pro conclusione, ad vlteriorem huius regni descriptionem, subiungam id, quod Ioannes Chiltonus, Anglus, de eo scribit. Anno 1572. (inquit ille) veni in vrbem Mexico, comitatus quodam Hispano, cum quo in prouinciam Panuco profectus sum, quæ ad oram maris Septentrionalis sita est. Post tridui iter in vrbem venimus, quam Mestitlan vocant, in qua tantùm 12. Hispani habitabant: sed Indorum erant plures quàm 3000. Montes hoc loco sunt multis arboribus consiti, apud quos sunt pagi elegantes, & fontes pellucidi: quacunque iter faciebamus, incolæ commeatum nobis suppeditabant. Viginti ab eo loco milliaribus Anglicanis alius pagus est, Canchinoltepec dictus, qui ad nobilem quendam pertinet, in quo 40000. Indi, senes & iuuenes, habitant: inter quos octo aut nouem Monachi, Ordinis Augustiniani, qui paruum quoddam cænobium habent. Triduo post inde discessimus, & in vrbem venimus, cuius nomen est Guaxutla, vbi etiam cænobium erat eiusdem Ordinis: in ea tantùm 12. Hispani commorabantur. Hinc initiũ ducit prouincia Guastecan, regio plana, absque vllis montibus. Indi in ea sunt proceræ staturæ, qui corpus cæruleo colore pingunt, & crines promissos gerunt, quos mulierum exemplo intorquent. Quando ex suis ædibus egrediuntur, arcus & sagittas secũ ferunt, & sunt iaculandi periti.

Relatio Ioannis Chiltoni, Angli, de Noua Hispania.

In commerciis aurũ & argentum non accipiunt, sed merces suas sale permutant, quod magni faciunt, & medicinæ loco habent. Post iter quatridui venimus in vrbem Tampice dictam quæ est portus maris, in qua meo iudicio, 40. Christiani habitant, quorum 14. dum ibi essemus, barbari obtruncarunt, qui in eo erant, vt sal colligerent, in quo omnis huius loci mercatura consistit. Sita est ad ostium fluuii Panuco, quod tantum est, vt naues 500. tonnarum sexaginta milliaria per illud ascendere possint.

Sal loco pecuniæ.

Inde ad vrbem Panuco profecti sumus, quæ 14. milliaribus à Tampice distat. Fuit illa olim vrbs egregia, in qua Rex Hispaniæ Gubernatorem habebat. Sed barbari Hispanos tam inclementer tractarunt, vt eorum tantùm decem superessent, & vnus sacerdos. Hic incidi in morbum (inquit Chiltonus) & 41. dies decubui, neque aliud alimentum habebam, quàm aquam & fructus, qui ex longinquis locis mihi afferebantur. Cùm Hispanus, meus comes, rediret, me in misero statu constitutum reperit: nam grauiter ægrotabam: nihilominus equum conscendi, & Indus, qui mihi à tergo assidebat, me tenebat: atque ita ad flumẽ progressi sumus, quod nauigio traiecimus. Eo transmisso, præcedere volebam: sed à via aberraui, & in manus Indorum incidi, qui in tuguriis stramineis habitabant. Cùm me conspicerent, viginti ex ipsis cum arcubus & sagittis prosilierunt, qui me clamore insectabantur: sed eos non intelligens, innuebam, vt me iuuarent ex equo descendere. Non metuebam, ne me deuorarent: nam summè macilentus eram, neque poterã incedere. Illi mihi aquam propinarunt ex vitro Veneto nonnihil deaurato. Ego mirabar, vnde hoc vitrum accepissent: puella autem Mexicana, quam ad me adduxerant, mihi significauit, suũ Caziquem illud Squallapâ, quæ vrbs est 30. milliaribus inde distans, attulisse: illic Christianos & aliquot Monachos Augustinianos habitasse, quos barbarus ille Caziques noctu oppresserit, & trucidarit, cænobio incenso, ex quo inter alia hoc vitrum reportarit.

Anglus incidit in manus barbarorum.

Postquàm aliquot horis illic quieuissem, Caziques me interrogauit, an iter meũ persequi vellem: me affirmãte, duos ex suis me comitari iussit: qui nudo corpore me præcesserunt, arcub⁹ & sagittis instructi: cũq; tria milliaria hoc modo confecissent, & ad viã regiã perduxissent, per signa indicarunt, me mox ad vrbẽ venturũ, in qua Christiani habitant. Ei⁹ nomẽ erat S. Iago de los Valles: ipsa in planitie sita & aggere circũdata. In ea 25. Hispani habitãt, quibus rex pagos & Indos attribuerat, qui ipsis subiecti essent. Hîc Christiani multos mulos habẽt, quibus per totã Indiã vsq; in Peru vehuntur, & omnes suas merces de loco in locũ transferunt. Hic meos socios rursus inueni, qui arbitrabantur, me fuisse occisum, neq; satis mirari poterant, quomodo ab ipsis diuulsus, & saluus ad eos reuersus fuissẽ: nã vix vnquã tale aliquid acciderat: & Indi inter fortia sua facta numerant,

Signũ for-

rant, quando Christianũ possunt obtruncare; & partem ex pelle eius, in qua pili aliqui sunt, corpore gestãt. In hac vrbe 18. dies mansimus ; donec valetudinem recuperaui: inde in regionem Mexicanam redii. Hæc Anglus iste refert de iis, quæ in noua Hispania ipsi euenerint.

Mira narratio de antiquis Indis in Iucatan.

Vltima prouincia Nouæ Hispaniæ siue regni Mexicani versus Meridiem est Iucatan, de cuius inuentione & fertilitate hoc loco non animus est verba facere, sed tantum aliquid commemorare, quo vix credibile videretur, nisi tot fide dignorum hominum testimonio confirmaretur. *Res admirabiles & notatu digna, quas Hispani in Iucatã America prouincia inuenerum.*

Seniores & sapientiores inter Iucatanos narrabant Francisco Hernandez Cordubensi, qui primus hanc regionem detexit, se à suis maioribus audiuisse, primos incolas, qui eam possederint, & à quibus ipsi orti sint, è terra longinqua vbi Sol oriatur, eò profectos esse, quos Deus ab aliis populis liberauerit, & ipsis viam per mare aperuerit. Admiratione dignum est, quòd Hispani in hac sola prouincia formam Baptismi inuenerint, qui apud ipsos idem sit, quod regeneratio. Hũc Baptismum eos in tanto honore & reuerentia habuisse, vt nemo apud ipsos fuerit, qui eum non acciperent. Nam ipsis persuasum fuisse, se per ipsum ad omnem virtutem propensos reddi, & à molestiis, quibus Diabolus homines vexet, liberari. Hunc Baptismum se in sua pueritia accipere, inter tertium & duodecimum annum ætatis. Neque vlli permissum esse ducere vxorem aut nubere, nisi qui sit baptizatus. Se peculiarem diem ad hunc ritum eligere, qui sit fortunatus ac felix: parentes triduo ante ieiunare, & ac omni concubitu abstinere.

In omnibus prouinciis regionis Iucatan magna ædificia lapidea reperta , vt mirandum sit, quomodo illa exstruere potuerint, cum tamen neque ferrum neq; aliud metallum habuerint: nã nullum tota hac regione inuenitur. Verisimile est, hæc ædificia lapidea fuisse templa: nam domus vulgares ex ligno confectæ erant.

Hispani, qui cum Francisco Hernandez in Iucatan venerint, ligneas & lapideas cruces illic reppererunt, quas nusquam in tota America viderant: imò , quod magis est, imagines hominum nudorum lapidi incisas, eo ipso loco, vbi vrbs Merida iacet, atque eiusmodi ædificia, quæ templis in Hispania ab ipsis Hispanis comparata fuerunt. Homines in hac prouincia ad summam senectutem perueniunt, ita vt Monacho Franciscano, cum concionaretur & baptizaret, vir quidam oblatus sit, qui trecentesimum annum ageret, & ita curuus esset, vt os non procul à cruribus abesset: qui etiam prorsus delirabat. His mirandis & memorandis rebus alias attexemus , quæ non minus consideratione dignæ sunt. *Vir admirandum senex.*

De admirandis quibusdam creaturis & aliis rebus in regione Guatimala aliisque locis Americæ.

Regnum Guatimala ferè dimidiam partem noui orbis seu Americæ complectitur, quo tredecim diuersæ prouinciæ, quæ non eiusdem sunt magnitudinis continentur. Omnes illę cohęrent, & sitæ sunt inter 9. & 18. grad. versus Septentrionem , nempe à Chiappa vsque ad Costariccam. Multa hîc sunt mirabilia, inter alia, quòd in his tredecim prouinciis diuersę sint linguæ, quarum vnam qui callet, alteram non intelligit. *Guatimalã multas habet creaturas mirabiles.*

Monachi, qui illic concionati sunt, istud pro singulari Diaboli artificio habuerunt, qui hoc pacto perpetua dissidia & bella inter huius regionis incolas fouit. Loco pecuniæ vtuntur genere fructus, quod Cacao appellant. Illud aliquanto crassius est amygdalis, quo incolæ vescuntur: quique eo abundant, diuites sunt: nam omnia, quibus homo indiget, eò comparari possunt: & multus eius vsus est in commerciis in Noua Hispania. Nam hoc genus arborum tam diligenter illic curatur, atque in Hispania vites aut oleæ. In prouincia Chiapa inueniuntur cupressi, cedri, lentisci, & aliæ arbores, ex quibus durum atque eximium gummi destillat, quod thuri simile est: nec non liquidambar, storax, & copal: item fructus, qui piper & caryophylla gustu referunt, & pro iis venduntur. Hîc quoque ligni Guaiaci, cannæ fistulæ , aliarumque arborum medicarum magna copia est. Artemisiæ atque alii elegantes flores toto anno vigent. Sunt etiam herbæ, quæ semel satæ nunquam flaccescunt. In hoc genere sunt brassicæ, quæ in tantam altitudinem excrescunt, vt arboribus non cedant: quanquam non sunt capitatæ, folia tamen earum sunt edulia. Fabæ semel infixæ durant aliquot annos, & toto anno flores habent. Illic genus falconum est, quod vnum pedem latum habet, instar anseris, alterum instar falconis. Hę volucres ad flumina ambulant, & ex piscibus viuunt. De auibus atque animantibus vulgaribus, quę etiam alibi reperiuntur, hoc loco verba facere non est nostri instituti: de iis tantum, quę aliquid singulare & admirandum habent, aliquid dicemus. Aprorum, qui vmbilicum in tergo gerunt, magnus est illic numerus. Est etiam ibidem animal instar porcelli anniculi, ore oblongo & acuto, saccum habens sub aluo, in quo suos catulos, septem aut octo, gestat. Noctu in ędes serpit, vt gallinas furetur, more vulpium: longam caudam trahit, absque pilis. *Nucleus loco pecuniæ. Arbores & gũmi magni pretii. Ver perpetuum. Miræ aues & animalia.*

Illic quoq; reperitur genus cuniculorũ, quod tres aut quatuor catulos vno partu edit: quãdo

Mirum genus serpentum. in pascua excurrit, catulos tergo suo insidentes secum vehit. Item genus serpentum visque adeo virulentum, vt quando baculo percutitur, venenum per baculum in manum percutientis se infundat: si quis tamen animal illud occidat, & sanguine eius se conspergat, ex veneno non quidem moritur, sed graues dolores longo tempore sentit. Porrò aliud genus serpentum illic inuenitur, quod permagnum est. Tale Indi aliquando necarunt, habebatque illud in aluo 31. catulos, quorum singuli spithamam longi erant, qui statim proserpebant. Vetus serpens erat 21. pedes longus, quem barbari coxerunt & comederunt. Apud pagum Catepeque duo sunt monticuli, qui tot fontibus scatent, vt nemo illac tutò transire possit.

Mirabilia animalia aquatica. In regione Chiapa fluuius est permagnus eiusdem nominis, in quo sunt animalia, grandibus simiis aut cercopithecis similia, quæ longam caudam habent, & instar tigridis semper sub aqua latent, nec vllum eorum in terra vnquam conspicitur. Quando barbari per fluuium transeunt, aut in eo natant, hæc animalia pedes eorum suâ caudâ inuoluunt, & eos in fundum trahunt ac mergunt. Etiam equos & vaccas sub aquam trahunt: quos tamen non deuorant, sed tantùm mergunt. Hoc genus animalis alibi non reperitur, neque de eo quicquam inauditur. Alius fluuius Rio Blanco dictus, omnia, quæ aliquandiu in eo iacuerunt, lapidibus obtegit: ipse tamen per se est limpidus & potabilis.

Mirabiles aquæ & fontes. Sesquimilliari à Chiudad Real fons est claræ & salubris aquæ, qui sex horarum spatio crescit & decrescit. Oritur ille in suprema parte huius prouinciæ, plus quàm 50. milliaribus à mari, quod propterea huius incrementi & decrementi caussa esse nequit. In Tafixa fons est, qui tribus annis continuo scaturit & effluit, etiamsi non pluat: tribus aliis annis exarescit, vt maximè pluat. Quinque ab eo loco milliaribus fons reperitur, qui in æstate copiosam aquã habet, hyeme nullã.

Non procul à pago S. Bartholomei terræ hiatus est, instar profundi putei, in quem si quis lapidem eiusdem cum pomo magnitudinis mittat, & ille strepitum excitet, mox horrendùm tonat, & tonitru illud procul auditur. Apud alium pagum, Chicomulco dictum, cauerna est, instar cryptæ: quæ intrinsecus amplam planitiem habet, ad cuius latus stagnum est, aquam habens tam lucidam, vt oculos fallat, & arena tantùm conspiciatur, cùm tamen aqua vltra vlnam profunda sit, quæ prorsus non mouetur.

Mons altissimus in Gatemala. In hac regione mons est tantæ altitudinis, vt ex vertice ipsius duo magna maria: Boreale & Australe, conspici possint: quapropter etiam mons totius Americæ altissimus habetur, & nouem milliaria in altitudinem patet. Qui eum conscendere volunt, suum iter ita instituunt, vt ad radicem montis pernoctent: media autem nocte surgunt, vt postridie ante Solis occasum ad cacumẽ perueniant: nam Sole occidente ventus tam vehementer spirat, vt conscendi nequeat.

Mira spelunca. Apud pagum S. Augustini in prouincia Vera Pax, inter duos montes ingens est spelunca, sub qua magna hominum multitudo occulta posset. Tota est lapidea, & vastum os habet, per quod ingredi licet: intus est obscura, planiciem habens, cum multis angulis & recessibus: & quia illic assiduè aqua desuper stillat, hac illac columnæ à terra ascendentes reperiuntur, quarum nõnullæ formam hominis repræsentant, & ita albæ sunt, quasi ex alabastro sculptæ essent. Summũ in hac specu frigus est, quod ossa & medullam penetrat: intus strepitus aquarum auditur, quæ inde procurrentes magnum lacum efficiunt, qui iactum sagittæ longitudine æquat: ex eo postea fluuius emanat.

Longæ arũdines. In eadem regione arundines nascuntur, 100. pedes longæ, & tam crassæ, vt inter duos nodos congius aquæ infundi possit. Barbari iis trabium vice vtuntur, in suis ædibus. Maximum animal, quod hoc loco inuenitur, Danta appellatur, vitulo annotino simile, pedibus humile, articulos in ima eorum parte habens, sicut elephas: in anterioribus pedibus quinq; sunt vngulæ, tres in priori parte, duæ in posteriori: vltimi pedes quatuor tantùm vngulas habent. Caput est oblongum, ante contractum: oculi parui: rostrum quatuor digitos latum supra os dependet. Iratum se erigit, & dentes ostendit, quorum aliqui ad latus prominent, sicut porcorum dentes: aures sunt acutæ, collum seu ceruix humeris quàm proximè adhæret: cutis quatuor digitos crassa est, ita vt manu non facilè comprehendi, nec vllo telo cæsim penetrari queat. Hoc animal gramine & oleribus vescitur, & vicissim Indi carne eius vescuntur. Barbari perhibent, suos maiores rationem secandi venam ex hoc animali didicisse. Nam quando se sanguine nimiùm abundare sentit, ad acutum lapidem seu scopulum se fricat, & tantùm sanguinis mittit, quantum opus est.

Danta mirabile animal.

Sæua tigrides in India. Tigrides in hac regione sunt admodùm frequẽtes. Cùm Indi adhuc pagani essent, eas Dei loco venerabantur, & in genua procumbentes eas orabant, ne se deuorarẽt. Nihilominùs illæ eos dilacerabant & vorabant. Hæc superstitio inde nata est, quòd Diabolus in omnibus his regionib⁹ formâ tigridis apparere solitus sit: ex quo autẽ facti sunt Christiani, non amplius eas tantoperè reformidant, sed contra eas se defendunt, ipsasq; sagittis conficiunt. Quapropter etiam numerus earũ valde est imminutus: nec paucæ scloppetis interfectæ fuerunt. Præterea Indi memorant, illica-

lic animal esse, magnitudine equi, quod cornu rotundum fronte gerat. De vulgaribus animalibus, & quæ alibi reperiuntur, nunc dicendi locus non est.

In hac parte regionis Guatemalæ multa calida balnea, quę admodum sunt salubria, nec non fontes, rubram, candidam & cæruleam aquam mittentes, prout sunt venæ metallicæ, per quas transeunt, inveniuntur.

In supradicta prouincia, Vera Pax, hoc quoque notatu dignum est, magnam ibi mulierum penuriam esse, quoniam illæ brevioris sunt vitæ, quàm viri. Nam illic 30. viros ac totidem juvenes thoro aptos invenias, cùm vix decem virgines innuptæ reperiantur. Mulieres autem plerunq; solæ pariunt, humi se extendentes, absque alterius ope: quod interdum in via faciunt, & mox ad flumen se conferunt, in quo se abluunt. *Penuria vxorum & sponsarum.*

In regione Guatemala, quæ peculiariter ita appellatur, & à qua tota præfectura nomen sortita est, multa mirabilia & venenata insecta reperiuntur, quæ incolas dies noctesq; vexant: qualia sunt muscæ & vespæ venenosæ: item scorpii & vermes crassi ac pilosi, quorum virus tam acre est, vt solo attactu mortem aut morbum afferat. Serpentum, lacertarum aliorumq; similium insectorum illic nec numerus nec modus est.

Quatuor milliaribus Hispanicis ab vrbe Guatemala lacus est, Amititan dictus, ex quo fluuius Michatoya procurrit, qui inter labendum quàm altissimè supra scopulum transilit, ita vt sagitta tā altè mitti nequeat, efficitq; inter cataractam & rupem, per quam decidit, magnam specum, in qua multi psittaci diversi generis ova sua fovent: in iisdem vespertiliones nidulantur, qui non parùm nocent: nam sanguinem ex vitulis sugunt, & eos sæpè hoc pacto enecant: quod etiam hominibus faciunt, quando eos dormientes inveniunt. Horum vespertilionum magni acerui in his rupibus & fissuris lapidum, pileorum instar, sibi mutuo incumbunt: & quia pecori vsq; adeò noxii sunt, cura pecoris & agricultura ferè omnis illic neglecta fuit.

In prouincia Yzalcos mons est ardens, qui semper fumat, de quo aiunt, eum spatio 50. annorum plus quàm 20. contignationes de sua altitudine amisisse: interdū etiam tantā cinerum copiam ejecit, vt iis regionem circumquaque per aliquot milliaria contexerit, inprimis versus Austrum, qua parte multum damni dedit. Ibidem animalia reperiuntur, sicut in India Orietali, ex quibus lapis Bezoar extrahitur: item genus quoddam parvorum vrsorum, qui nullum os habent, sed eius loco foramen sub naso, exiguum & rotundum, in quo lingua oblonga, intus cava, qua mel, quodcunq; inveniunt, exsugunt. Eadem ad cavernas formicarum eunt, & illis excitatis linguam extendunt: qua formicis repletā, eam retrahunt, atq; illas deglutiunt. Sunt ibi duo flumina: vnius fundū est rubrum, alterius nigrum, quorum illud ad rubrum, hoc ad nigrum calorem inducendum conducit. Longiùs iactu scloppeti ab eo loco circumquaque scaturiunt ex terra aquæ ferventes, diuersi generis: quædam sunt turbidę, aliæ claræ: hæ rubri, illæ viridis aut flavi aliorumve colorum, secundùm genus venarum metallicarum, per quas labuntur. Fumus ex iis exoriens genus picis suppeditat, quod ad pingendum aptum est. Indi hunc locum appellant inferos. & mulieres his scatebris suas ollas supponunt, vt carnes aliosq; cibos fervefaciant. Ex iis rivus promanat, qui postquàm dimidium milliare profluxit, etiamnum tam calidus est, vt equorū pedes adurat. Propiùs ad montes plures eiusmodi scatebræ reperiuntur: estq; illic lapis quinq; vlnas longus, & tres latus, media parte ruptus, per cuius rimam fumus perpetuò egreditur: vbi horrendus sonus auditur, inprimis quando aliqua tempestas ingruit: tunc ad dimidium milliare strepitus & fragor aures verberat. In his montibus sunt altissimæ quercus, quæ tantæ magnitudinis glandes ferunt, vt ex earum putaminibus atramentaria conficiantur: nam tres digitos crassæ sunt. Scorpii eiusdem sunt magnitudinis, cuius cuniculi: formicæ quoq; supra fidem magnæ sunt. Incolæ iis vescuntur, easq; in foro vendūt. *Mons ardēs in Guatemala.* *Vrsi sine ore.* *Variæ scaturigines aquarum feruentium.*

Ad radices supradicti montis ardentis lacus est profundissimus, plenus crocodilis: & in lacu illo parua insula, de qua Indi antiqua opinione imbuti erant neminē, qui in eā veniret, in viuis posse manere: quapropter etiam nemo ex illis ausus est, propter metum mortis, eam intrare, vt videret, quid in illa esset. Sed Hispani eos mox hoc errore liberarunt. Nam ratibus ex ligno contextis in eā trajecerunt, vbi magnum idolum lapideum, formâ mulieris invenerunt, cum altari, in quo olim, vt apparebat, sacrificatum fuerat. Et quia Hispanis nihil aduersi eveniebat, viderunt Indi, se falsa opinione deceptos fuisse. Quis idolum hoc illic collocaverit, aliis divinandum relinquo. *Vetus fabula Indorum refutata.*

In prouincia S. Salvatoris etiam magnus mons Vulcanius jacet, qui antehac ignem eructavit: quod tamen hoc tempore non ampliùs facit. Nihilominus in vertice profundum est foramen, quod dimidium milliare in circuitu continet. In illud licet descendere: sed priusquàm ad fundum perueniatur, duo foramina, instar calcariæ fornacis occurrunt, ex quibus tam graveolens fumus exit, vt qui propiùs accedunt, deliquium animi patiantur. Alius mons ardens seu Vulcanius in valle apud vrbem S. Iago tantā vim ignis & lapidum è longinquo eiicit, vt non procul inde mons enatus sit: prout mons ardens in Nicaragua aliquando erupit, & tantum terræ in proximam vallem dejecit, vt illa monti similis esset: qua multæ ædes Indorum, qui illic habitabant, obrutæ fuerunt. *Montes Vulcanii seu ardentes.*



In imo monte Vulcanio, qui est in provincia S. Salvatoris, rotundum & admodum latum foramen in terra conſpicitur, quod etiam antehac mons Vulcanius, qui diu arſerit, eſſe videtur. Iam fons optimæ aquæ illic exſilit, ex quo pagus vicinus, qui Cuſcatan appellatur, aquam haurit. Apud pagum Nixapa rivus eſt, qui noctu fluit vſq; ad ſeptimam vel octavam horam: deinde à terra abſorbetur. In prouincia Chuluteca alius eſt, qui fluit à mane vſq; ad meridiem: deinde evaneſcit. In pago Mimilla duo ſunt fontes vicini: vnus calidus, alter frigidus. Ad partem borealem magni lacus Nicaraguæ, ad quem ſita eſt vrbs Leon, quæ metropolis eſt huius regionis, mons ardens invenitur, qui miræ eſt altitudinis, & in ſummitate aſper: in cacumine habet ſuum foramen, ex quo veſperi & manè denſus fumus aſcendit, quiq; lapides ſulphureos magno numero eijcit. Quando terra huius montis cum ſucco arboris, quæ in ea regione creſcit, & Nacalot appellatur, miſcetur, optimum atramentum conficitur. Quatuor inde milliaribus, in prouincia Maſaja parvus lacus eſt, rotundus, à cuius ſuprema ripa vſq; ad aquam centum cubiti intercedunt. Nihilominus Indi aquam ſuis hydrijs, quæ non exiguæ ſunt, inde petitum eunt, quamuis aſcenſus & deſcenſus ſit præceps, inſtar muri, ex ardua rupe, cui foramina inciſa ſunt, ad manus & pedes firmandos. Sic illi cum ſuis hydriis ſurſum ac deorſum mirum in modum repunt. In hac regione Nicaragua creſcit arbor, Zeyba dicta, tantæ craſſitudinis, vt quindecim homines, manibus ſe mutuò tenentes, eam complecti nequeant.

Mons ardēs in Nicaragua.

Craſſa arbor.

In provincia Panama genus quoddam animalium reperitur, quod ſaccum ex pelle ſub alvo habet, in quo catulos ſuos, quando adhuc parvi ſunt, ferre ſolet, cum illis hac illac curſitans & ſaltans, nec tamen vllus eorum decidit. Noctu in tentoria Indorum irrepit, vt martes (quâ tamen maius eſt) gallinas aliaſque volucres, quas nanciſci poteſt, ſurripiens.

Panama emporium.

Hîc aliquid referemus de Panama, quam ſcriptores Hiſpani tantopere celebrant. Sita eſt illa ad mare Auſtrale ſub 9. grad. à linea Æquinoctiali verſus Septentrionem: parva ambitu, & lacu ab vna parte concluſa, ex quo multi vapores aſcendunt, qui eam inſalubrem reddunt, ſicut experientia teſtatur. Nec parum hanc inſalubritatem auget, quòd imprudenter ædificata eſt. Nam omnes vrbis plateæ ab Ortu ad Occaſum tendunt: ita vt Sol toto die ſuos radios rectâ lineâ in eas mittat, nec vlla ſit vmbra: quam ob cauſſam in iis ambulare non licet. Nam tantus eſt æſtus, vt noſtri homines,

mines, qui ex Europa eò veniunt, illum tolerare nequeant, & propterea facilè in morbos incidant. Hac de caussa Hispani sæpè de alio loco commodiori quærendo cogitationē susceperunt: sed quia structura ædificiorum magno constat, & veteres incolæ suas domos ægrè relinquunt, res exitu caruit. Adhæc pleriq; mercatores, qui illic habitant, crebrò peregrinantur, & non diu domi manent: idcirco hoc incommodum minùs ipsis obest. Accedit, quòd vrbs omnibus rebus necessariis optimè sit instructa, quæ non tantùm per mare Australe, sed etiam Boreale, ex regno Peruano, atque ex veteri & noua Hispania eò advehuntur: vt nihil dicam de piscibus, quibus abundat. Huc omnes naves ex Peru, Chile aliisque provinciis ad mare Australe sitis appellunt: atq; inprimis magna vis auri atque argenti cum aliis mercibus eò adfertur: quæ omnia inde, terrestri itinere, in portum Bellum, atque vlteriùs in Europam transvehuntur.

Etsi verò vrbs Panama admodùm insalubris sit, vt dictùm est: tamen Nombre de Dios, quæ vrbs est è regione ad mare Boreale sita, multò insalubrior est, testibus omnibus scriptoribus Hispanis, qui de eius insalubritate valde conqueruntur, & fatentur, innumeros homines illic propter aërem corruptum obiisse. Solum eius est aquosum, multis pluviis obnoxium: atque ipsi fructus, qui illic crescunt, etsi pulchri sint aspectu, & benè maturescant: tamen sunt insalubres, & cum periculo comeduntur. Quamobrem etiam hæc vrbs, ex mandato regis Philippi II. derelicta, & ex consilio Baptistæ Antonelli, architecti, in Portum Bellum translata est: qui locus quinq; milliaribus à Nombre de Dios versus Occidentem situs est, & commodum portum, etiam pro multis & magnis navibus habet. Quomodo autem vrbs Nombre de Dios à Francisco Draco capta & incensa, posteaq; nova vrbs Porto Bello ab alio duce Anglo occupata atq; direpta fuerit, suprà commemoravimus. *Nombre de Dios locus insalubris.* *Porto Bello nova vrbs.*



SECTIO DECIMATERTIA.

De novis itineribus aliquot Anglorum in regnum Guianæ, ex relatione Ioannis Schmidii, Angli.

Suprà diximus, quomodo strenuus eques Walterus Raleig, anno Domini 1595. iter in auriferam regionem Guianam susceperit, & insulam Trinitatis occupârit: vnde se ad magnum fluvium Orenocam convertit, vbi intellexit, Hispanos in explorando hoc flumine varias quæsiuisse vias, vt transitum ad celebrem & magnam vrbem Manoam, quam *El Dorado*, hoc est, auream vrbem, nominant, inveniret. Quoniam verò commeatus ipsum deficiebat, Franciscum Sparrow, Anglum, illic reliquit, vt vrbem illam porrò quæreret: qui cùm hanc regionem 14. aut 15. annis peragrasset, præter spem multorum domum rediit. Ipsum narrantem audivi, quòd oculis obvelatis in hanc vrbē ab Indis ductus fuerit: ideoq; de ea non multa referre potuit. Et quia propter inediam & varia incommoda, quæ per illud tempus passus erat, immedicabiles morbos contraxerat, paullo post in Anglia mortuus est. *Iter Walteri Raleig. Guianam.* *Franciscus Sparrow.*

Anno 1605. Capitaneus Ley, Oliverii Ley, equitis, frater, aliis quibusdam sibi adiunctis ad fluvium Weapoco profectus est, cuius itineris & fructus, qui ex eo rediret, ego quoque particeps esse debebam: sed ille in eo itinere obiit, & multi ex comitibus ipsius occisi fuerunt: reliqui, quomodocunq; potuerunt, elapsi sunt. Thomas Roe, nobilis Anglus, qui antehac ad magnum Magol in Indiam Orientalem missus fuerat, etiam vnum atq; alterum annum in hac ora, & circa fluvium *Las Amazones* commoratus est. Illic adjutorem habuit Matthæum Mortonum, centurionem, qui peritus erat navarchus, præsertim in hoc flumine, & postmodùm in Virginia à barbaris sagittâ, non tamen lethaliter, percussus, ac deinde in Indiam Orientalem missus fuit. Eodem modo Guilhelmus Witte, & alii viri honesti, antè & pòst, tempus & sumptus impenderunt, vt aliquid ampliùs experirentur, & Anglorum colonias eò ducerēt, sed irrito conatu: donec Robertus Harcot anno 1609. has partes in se suscepit. Hic Harcot, cùm mandatis acceptis eò venisset, fratrem suum, Michaelem Harcot, & 15. aut 16. homines apud fluvium Weapaco reliquit, ipse verò in Angliam rediit, vbi favore Henrici, Principis Walliæ, subnixus, egregium diploma obtinuit, quod ad omnes Guianæ oras maritimas & fluvium Amazonum extendebatur, & ad ipsum atque hæredes eius pertinebat. Etsi verò mille aduersitates ipsi obvenerunt: tamen omne studium atque operam adhibuit: neq; tamen propter hominum inopiam id, quod volebat, perficere potuit. Nam suos quidem cum aliquot Germanis emisit, qui oram illam perlustrarent: sed illi progredi non potuerunt. *Capitaneus Ley.* *Thomas Roe.* *Robertus Harcot.*

Sic ille incepto destitit: Walterus verò Raleig, multis viris nobilibus ac militibus comitatus, postremū suū iter in Guianam instituit: cum quo inter alios profectus est Rogerius Northius, tribunus militū, Dudleij Northii frater, qui in hoc itinere varia flumina ad orā maritimā invenerūt & *Walteri Raleig postrema navigatio.*

perlu-

perlustrarunt, maioremque ac perfectiorem cognitionem magni fluvij Amazonum adepti sunt. Sed Angli nolebant vlteriùs pergere, vt cum Waltero Raleig aurum quærerent: quibus in Angliā reversis nova societas à quibusdam nobilibus, mercatoribus alijsque instituta fuit, ad has regiones perlustrandas: cui etiam diploma cum sigillo à Rege concessum fuit.

Rogerius Northius. Itaque Rogerius Northius cum 120. hominibus, vna navi, parone ac duobus lembis in viam se dedit, & vltimo Aprilis, anno 1620. Plimmutho soluit, septemq; hebdomadū spatio ad fluvium Amazonum peruenit, amisso vno homine, qui jam senex erat. Ille vltra centum milliaria Anglicana, per fluvium illum navigans, ascendit, & suos in terram exposuit, quibus noua regio & eius incolæ ita placuerunt, vt multi Hyberni, Angli & Belgæ illic manere discuperent: prout etiam nonnulli ex ipsis octo annos illic commorati sunt. Ipse Northius cùm illic rem fecisset, cum mercibus magni pretij in Angliam reuersus est, quod societati animū addidit ad aliquid amplius tentādum. Sed Dei voluntas nondum erat, vt tantum opus ad exitum perduceretur. Obstabat Comes Gondumarius, qui tunc in Anglia Regis Hispaniæ nomine legati munere fungebatur, & hoc negotium, quantum poterat, impediebat. Northius autem in hanc calamitatem incidit, vt Douerae caperetur, & merces ipsius primò detinerentur, deinde fisco regio addicerentur.

Legatus Regis Hispaniæ hanc navigationem impedit.

Neque tamen propterea illi, quos in regione Amazonum reliquerat, eam deserere voluerūt. Thomas Painton, ipsius legatus, è vivis excessit. Carolus Parckerus, cēturio, sexennium post ipsum vixit: Joannes Christmannus quinquennium: neq; vllus erat, qui in patriam redeundi desiderio teneretur, quamuis nihil subsidij ex Anglia mitteretur, nec recentes copiæ aduenirent.

Rebus sic stantibus, cùm Angli in regione Amazonum inter se diffiderent, & de imperio contenderent, tres ex ipsis iter ingressi sunt, nempe Thomas Warnerus, Ioannes Rhodesius & Robertus Bimsius, & in Angliam reuersi, significarunt, quàm perturbatè omnia in regione Amazonum gererentur, & se lętari, quòd ex istis turbis liberati essent.

Initium coloniæ seu præsidii in insula S. Christophori. Qui supererant, in insulam S. Christophori nauigare constituerunt, & omnia necessaria in navim, quæ in Virginiam ibat, comportarunt. Eorum erāt 15. homines. Illic per annum manserunt, antequàm noua hominum supplementa aduenirent: & iam ad quinq; tantùm erant redacti. Tam exigua initia habuit colonia seu præsidium Anglorum in insula S. Christophori.

Interea Harcotus & Northius, centuriones, nova diplomata pro regione Guiana & fluvio A-
1628. mazonū impetrarunt, & anno 1628. mense Ianuario quatuor naues, quibus 200. homines vehebantur, eò miserunt. Has postea centū alii, partim Angli, partim Hyberni, sequuti sunt. Magnus ille fluvius Amazonum situs est sub linea Æquinoctiali, cuius ostium plenum est insulis, maioribus & minoribus: nec quisquam facilè viam per eum inveniat, nisi sit peritissimus nauclerus. Vt verbo dicam, maximus est fluvius Americæ, imò totius orbis. Tantā copiā recentis aquæ in mare influit, vt illud triginta milliaribus Anglicanis dulce reddat. Northius ab eo loco, vbi cum suis exscenderat, Guilhelmum Witte cum 13. emeritis & aliis militibus in parone misit, vt regionem vlterius exploraret, qui centum milliaribus Anglicanis sursum versus navigauit, & comperit, hunc fluvium in duas partes dividi, & plenum esse insulis. Regio vbiq; erat amæna & fertilis, nec cibus atq; alimenta ipsis deerant: quocirca etiam omnes sani & bono habitu redierunt. Idem multos pagos vidit, à 300. 500. 600. & 700. incolis habitatos. Magnum erat inter ipsos discrimen; præsertim quoad linguam: omnes nudi incedebant, viri, mulieres & pueri. Nullæ tamen bellicosæ fæminæ repertæ, quales olim Amazones erant, quarum nomen hic fluuius gerit: neque apparebat, Christianos olim pedem huc intulisse. Gens ea, apud quam Northius cum suis sedem fixit, omnem ipsi benevolentiam exhibuit, & in eius gratiam nullum laborem refugit. Angli domos illic exstruere ac muniri cęperunt: quam ad rem peritos architectos cum omnibus rebus necessariis nacti sunt: vt bona spes sit de huius coloniæ incremento. Atque hic rerum illic status erat anno 1629.

Descriptio fluvii Amazonum.

Colonia Anglorum in insula S. Christophori.



Descriptio insulæ S. Christophori. Uoniam paullo antè huius insulæ mentionem fecimus, de ea, & de Anglorum in ea colonia aliquid vlteriùs dicemus. Sita est hæc insula 17. grad. à linea Æquinoctiali versus Septentrionem, 120. circiter milliaribus à promontorio Americæ, quod *Capo de tres puntas* appellatur, & proxima est terra continens. Patet in longitudinem octo milliaria, quatuor in latitudinem: vna est ex centum insulis Americæ, quæ Caribes vocantur, in quibus nauigātes plerunq; se reficiunt. Ex his quędam habitantur, vt S. Dominico, Mattalin, Lucia, Vincentium, Granada, Margarita: & hæ versus Austrum jacent: Septentrionales sunt hæ: S. Christophori, Marigalanta, Guadalupo, Deceado, Monserat, Antiqua, Mevis, Bernardo, S. Martin, & S. Bartholome.

Qualitates insularum, quæ vocantur Caribes. Verum vna ex quatuor insulis, quas Hispani possident, his omnibus præstat. Nam Spaniola aut Cuba singulæ pro regno haberi possunt. In insula Christophori multi sunt fontes salieutes & scaturigines: valles & montes in lateribus sunt admodum fertiles: in cacumine non item, quia solum est sulphureum. Terra fert palmites, gossipium, lignum vitæ, & alia arborum genera, ab Europæis diuersa

versa. Arbores semper virent: dies & noctes toto ferè anno sunt æquales: illic perpetua æstas, nisi quòd certis temporibus magni imbres & interdum procellæ existunt.

In quibusdam harum insularum reperiuntur boues, capræ, porci, atque inprimis *guanes*, quod est animal repens, crocodilo aut aligarti simile, minus tamen: cuius caro est edulis. Ova sua ponit in arena, sicut cancri terrestres, quorum hîc magna est copia. Vtrorumque ova in arena à Sole excluduntur.

A mense Majo vsque ad Septembrem testudines magno numero capiuntur, quæ ex mari in terram veniunt, vt ova sua in arena ponant: atque illa eodem, quo dictum est, modo excluduntur. Sunt illa rotunda, instar pilæ, & esui apta, quemadmodum etiam caro testudinum. Nos eas noctu quærebamus, & in littore repertas invertebamus, vt supinæ jacerent, donec lucesceret: tunc eas domum afferebamus: nam ipsæ se vertere nequeunt. Testæ earum tam duræ sunt, vt quadrigas onustas ferant: & vna à decem aut duodecim viris eam comedentibus vix absumi potest. Præter has varia & mira piscium genera hîc inveniuntur. De avibus, quadrupedibus, plantis & fructibus alibi dictum est: illud saltem hoc loco notandum, ea ab Europeis plurimum differre. *Natura testudinum.*

Anno 1623. Thomas Warnerus cum 14. Anglis in hanc insulam venit, vt supra dictum est, adducens secum filium suum Eduardum Warnerum qui patri in regimine succedere debebat. Primo suo aduentu tres Gallos inuenerunt, qui ope Indorum Warnero se opponebant: tandem tamen pax & amicitia inter eos coaluit. Angli mensem vnum inter barbaros vixerunt, & domum ac munimentum exstruxerunt, fructus plantarunt, inprimis radicem Nicotianam, & comederūt panem Cassadæ, Potates, Plantines, Pynes, & alios fructus illius regionis: nec non pisces, quos Tortels vocant, & testudines. 1623.

Anno sequenti 1624. 18. Martij eò cum paucis venit Jefferson, centurio afferens secum grana frumenti, ad serendum, aliasque merces pro Indis: idem mense Septembri in Angliam rediit. 1624.

Sequenti anno Gallicus paro eò appulit, cui præerat Dominus de Nombe. Is narrabat nobis, quosdam Gallos à barbaris in alia insula Caribum occisos fuisse. Paullo post centeni aliquot Caribes atq; Indi peregrini in suis cymbis, quas remis agebant, adnavigarunt, & naues nostras invaserunt. Nos eos rogabamus, vt nos missos facerēt: sed illi ab incepto desistere nolebant. Itaq; nos Angli & Galli sociatis viribus die 5. Novembr. impetum in eos fecimus, ipsosq; in fugam conjecimus. Pridie Cal. Ian. reversi sunt, & tres Anglos, quos in littore huius insulæ invenerunt trucidarunt. 1625.

Anno 1629. die 4. Augusti, cùm in excubiis staremus, Warnerus centurio appulit, homines quosdam cum rebus, quibus colonia nostra indigebat, advehens. Die 4. Septembr, vehemens procella ac tempestas orta est, quæ omnes nostras domos disjecit, radicem Nicotianam evulsit, duo tympana per aëra raptauit, duas naves dilacerauit, & maximam partem nostri comeatus corrupit. Tunc res nostræ pessimo loco erant, & iis nos sustentare cogebamus, quæ in silvis inveniebamus. Nos Angli & Galli paruis agminibus exibamus, victum quærentes: in reditu Galli à barbaris intercepti, & octo ex iis interfecti fuerunt. 1626.

Die 26. Octobr. 1627. ad insulam appulit Guilhelmus Schmid, tribunus militum, cum mandatis, pulvere & pilis à Comite de Carleil missis. Eum Pelham centurio, & 13. milites comitati sunt. Paullo pòst parvum navigium, Aratrum dictum, Bristolo advenit, in quo erat Warneri centurionis vxor, cum 6. aut 7. aliis fœminis. 1627.

Die 25. Novembr. Indi impressionem in Gallos fecerunt, propterea quòd vxoribus eorum stuprum intulissent, & 26. Gallos, 5. Anglos, & 3. Indos obtruncarunt. Arma eorum erant arcus ac sagittæ: hæ nihil aliud erant, quàm tenuis arundo, quatuor aut quinque pedes longa: aculeus in quibusdam erat ferreus, in aliis ligneus: omnes tamen veneno infectæ: ita vt ictus, qui corpus penetrabant, insanabiles essent.

Non multo pòst eòdem appellat Carolus Saltonstallus, ordinum ductor, nobilis adolescens, Samuelis Saltonstalli filius, qui varia ad novam coloniam reficiendam attulit. Quoniam verò Hollandi paullo ante ipsum adfuerant, omnemq; radicem Nicotianam avexerant, exspectandum ipsi fuit, donec alia maturesceret. Interea ipse cum suis in ea plantanda sedulus fuit, sperans, se magnum in hoc itinere quæstum facturum. Antequàm autem omnia ad reditum comparasset, navis ipsius tempestate obruta interiit, magno eius detrimento. Nihilominùs quintam partem suæ radicis Gubernatori tradere, & alia onera sustinere coactus fuit: quod nō tātùm ipsi, sed multis aliis displicuit. 1628.

Circa festum natalitium anni 1629. duo centuriones, Prinne & Stone, cum aliquot navibus eò appulerunt, ita vt mense Decembri 13. naves in portu starent, quarum aliæ Anglicæ, aliæ Gallicæ, aliæ Belgicæ erant. Tantis tūc viribus pollebamus, vt omnes Indos ex insula pelleremus, quia multa improba facinora contra Gallos perpetrauerant, fruges ipsorum absciderant, ædes combusserant, radicem Nicotianam furto surripuerant. Filius Regis, Tegramundus dictus, qui adhuc parvulus erat, parentibus & amicis partim occisis, partim in fugam actis, ægrè conseruatus, & à Meerfeldio nauta in Angliam abductus fuit, qui eum illic cum suis liberis educavit. 1629.

In hoc statu erat Anglicana colonia in insula Christophori, sub initium anni 1630.

T SECTIO

SECTIO DECIMAQVARTA.

Vera & accurata narratio, quo pacto prædives classis argentea ex nova Hispania in Matanza portu insulæ Cubæ à navibus Societatis Americanæ, quæ est in fœderatis provinciis Belgii intercepta & occupata fuerit, die 7. Septembr. anno 1628.

Naves societatis Americanæ in fœderatis Belgii provinciis.



Nno Domini 1628. die 20 & 21. Maii, hæc classis ex Belgio solvit: Navis Amstelrodamum, Hortus Hollandiæ, Candidus Leo, Griphus, Hollandia, Geldria, Harlemum, Provincia Vltrajectensis, Niger Leo, Aureus Falco, Liburnica Ciconia dicta, Liburnica Mudensis, Monoceros, Nardenum, longa Biremis. Hæ naves ex Texela soluerunt. Ex Mosa, navis Vltraiectum, Neptunus Delphensis, Dordracum, & hæ liburnicæ, Tigris, Vulpes & Niger Eques. Ex Selandia navis Neptunus Veriensis, Aureus Sol, Tigris, & Pegasus, cum Veteri Vlissinga. Ad hanc classem pertinebant etiam hæ naues, Aureus Leo, & Delphinus Grœningensis, cum navi Monachodamo & Enchusa.

In navi Amstelrodamo supremus præfectus erat Petrus Petri F. Heinius: in navi Hortus Hollandiæ archithalassus erat Henricus Cornelius Lonckius: in naui Neptunus Veriensis subpræfectus erat Iodocus Banckerus: in naui Vltraiecto custos nocturnus seu præfectus vigilum Cornelius Nicolai.

Omnes prædictæ naves, exceptis Selandicis, Grœningensi & Enchusana, cùm conuenissent, constabant 21. velis, præter naves onerarias, quæ cum hac classe vela fecerunt. Quamuis autem istę naves desiderarentur, quæ imperio supremi præfecti subiectæ erant: tamen institutum iter susceptum fuit. In singulis navibus quotidie matutinæ & vespertinæ preces habitæ, caput ex Bibliis prælectum, & Psalmi cantati fuerunt. Dira imprecari, deierare, litigare, rixari, pugnare, & omne flagitiorum genus sub pœna capitis interdictum, & de omnibus bonæ leges latæ erant.

Ineunte mense Iunio classis angulum Portlandiæ versus Ortum solstitialem, & angulum Aureæ-caudæ versus Occasum solstitialem reliquit & velociter progressa est, donec 14. aut 15. peregrinæ naues ei in conspectum venerunt. Hæ erant quinque regiæ naves Anglicanæ, cum aliquot minoribus, quæ aiebant, se Rupellâ venire, vbi nullum operæ pretium fecerint. Archithalassus Anglicus, honoris ergò, tormentum displosit, cui supremus Belgarum præfectus respondit, & cursum versus Occasum brumalem direxit.


Paulo pòst quinq; naves à classe disiunctæ fuerunt, nempe, nauis Geldria, Hollandia, Malus aurea, quos Dordracenses instruxerant, vt ad portum Guineæ navigarent: item liburnicæ, Tigris & Longa biremis. Hę post octiduum ad classem redierunt, ac retulerunt, se navim piraticam Anglicanam obviam habuisse, quę duo nauigia piscatoria Hispanica cepisset, ex quibus intellexerit, in portu Corunensi 100. naves instrui: in quem finem, facile erat judicare.

Insula Porto Santo.

Inde ad Occasum brumalem velificarunt, vt à tergo insulæ Maderæ cursu instituto, hostium conspectum fugerent. Cùm insulam Porto Santo ob oculos haberent, quæ circiter octo milliaribus ad Occasum brumalem ab ipsis distabat, compererunt, eam multò Orientaliorem esse, quàm arbitrati erant. Postquàm 18. grad. 10. min. assequuti fuissent, supremus classis præfectus mandauit, vt in omnibus nauibus tam nautæ quàm classiarii in armis exercerentur, vtq; liburnicæ noctu aliquò vsq; in mare procurrerent, & orto Sole ad classem redirent. Idem iussit, vt carnis salitæ & aliorum alimentorum diligens cura haberetur, & ignes artificiosi appararentur. Qui scarboto laborabant, iis manè & vesperi aliquid vini caustici tam ad bibẽdum, quàm ad os abluendũ suppeditauit.

Post hæc decretum fuit, vt tota classis insulã S. Vincentii peteret, ad reficiendos ægros. Quãobrem in sinum Craquensem anchoras jecimus, & quia illic commodus portus erat ad aquam colligendam, placuit, vt tota classis eò iret, & sibi de aqua prospiceret. Ne autem incolæ à quoquam iniuriâ afficerentur, nemini cum aliis armis, quàm cum gladio, exscendere permissum fuit. Tentoria quoq; in littore erecta sunt, si fortè barbari cum ipsis negotiari, & aliquid ad reficiendam classem afferre vellent. Quia verò hoc loco non magna erat rerum necessariarum copia, visum est vniuerso Senatui, vt duæ liburnicę, Vulpes & longa Biremis cum tribus lembis, Sebastiano Iacobi duce, in sinum Tubicinis & alios portus mitterentur, vt dispicerent, an illic aliqua refectio inveniri posset. Etsi verò naues illæ bonum nuntium attulerunt: tamen consultius judicatum fuit, ad insulã de Blanco velificari: quod etiam initio decretum fuerat.

In



In hoc vasto Oceano ab Insulis Fortunatis vsq; ad insulas promontorii Viridis, inter quas insula S. Vincentii etiam vna est, atq; vlterius vsq; ad oram Brasiliensem innumeri pisces volantes conspiciuntur, magnitudine halecis, nonnihil tamen longiores & rotundiores, alas habentes similes vespertilionum, quæ ipsis piscibus non sunt minores, quibus 100. interdum etiam 200. passus provolare possunt, nempe tamdiu, donec alæ siccentur: tunc rursus in mare cadunt. Quando in aëre volant, accipitribus, laris, & aliis avibus rapacibus prædæ cedunt: in mari autem à magnis piscibus, qui eos indesinentur persequuntur, devorantur: ita vt nusquam tuti sint. Horum piscium etiam in Hieronymi Benzii & Ioannis Lærii nauigationibus atq; alibi mentio fit. *Pisces volantes.*

Sic insulam S. Vincentii reliquerunt, quæ vna est ex insulis Caribum, sub 13. grad. 20. minut. versus Septentrionē sita. Littus altum est, arboribus densum. Incolæ, tam viri quàm fæminæ, prorsus nudi incedunt. Colore sunt luteo: sed purpurisso, quod apud ipsos crescit, se inficiunt. Vivunt in solitudine, nec Deum noscentes, nec regem habentes. Attamen eos, qui in bello se fortiter gesserunt, duces sibi eligunt. Cæterum gens est benigna, quæ nostros humaniter excepit. Multos nobis fructus attulerunt, quos regio ipsorum profert, vt bananes, pattatas, ananas, & alios similes. Hæc insula complures habet sinus, inter quos maximus & commodissimus versus Septentrionem situs est: vbi etiam propter aquæ salubris copiam multi habitant. *Incola insula S. Vincentii.*

Biduo pòst classis ad insulam Blanco appulit, cuius littus humile est, sub 12. grad. 20. minut. latitudinis borealis Paucas habet arbores & fructus, nec multum aquæ recentis, nisi versus portum Septentrionalem, vbi satis aquæ pro vna atq; altera naui reperitur. Atq; iccirco non ab hominibus, sed à feris habitatur. *Insula Blanco.*

Hircis & capris abundat, ita vt 3000. sesquidiei spatio caperemus. Sunt etiam illic multæ testudines, & legani, hoc est, terrestres crocodili, vt eos, quos nunquam vidit, nec rectè nec plenè describit, nos istud hoc loco præstabimus. Ille, quem nos vidimus, duas ferè vlnas Brabantinas longus erat: qua crassissimus, dimidiam vlnam in ambitu continebat; coloris maxima ex parte cinerei. *Descriptio terrestris crocodili.*

Caput deforme ac distortum habebat, in longitudinem extensum, instar lacertæ: oculos nigros & lucidos: os parvis & acutis dentibus plenum: sub collo tenuem & squamosam cutim, quę ab ore & gutture vsque ad pectus se extendebat: totum corpus multis squamulis relucentibus obtectū, quæ tamen sub alvo aliquanto maiores erant. Supra collum quædam parva & acuta scuta gerebat: dorsum à summo ad imum erat asperum, duobus digitis transversis elevatum, instar cornu translucens, sed molle, instar corii. Quatuor pedes habet: duo priores sunt instar brachiorum, pollicis crassitie, quadrantis vlnę longitudine: in quinque digitos divisi, qui acutas vngulas habent, vt sunt vngulæ gallinarum: posteriores pedes sunt aliquanto crassiores & longiores: palmæ pedum non sunt dissimiles posterioribus cercopithecorum palmis. Cauda integræ vlnæ longitudinem æquat, colore variegato, candidis & cinereis punctulis distincto. Iuxta corpus cauda est crassissima, sed in acutum mucronem desinit, quam circumquaque agitarę poterat. Etsi verò hoc animal sit aspectu horrendum: tamen veneno caret: & caro eius est candida, instar vitulinę, atque esui aptissima. Ova ponit, sicut testudines, quæ prorsus sunt rotunda, sicut ova columbarum, durâ testâ, ita vt non frangantur, etsi in terram cadant.

Cura supremi præfecti de puero. Cùm nostri sibi mediocriter de carne ferina prospexissent, proxima nocte vela dare debebamus. Quoniam verò nondum omnes redierant, & puer ex naui supremi præfecti desiderabatur, de quo nemini constabat, vbi esset, ea nocte non sumus profecti. Postridie cū omnes se in naves contulissent, excepto puero modò dict:, classis solvit: supremus tamen præfectus biremem illic manere iussit, vsq; ad meridiem, si forte puer rediret. Magnus in littore strepitus tympanis ac tubis excitatus fuit: sed puer non comparuit. Etsi verò hæc cura inanis fuit: tamen hinc paternus affectus præfecti erga suos conspicitur, qui de vnico puero conseruando tam sollicitus erat: cum tamen hostis noster tātam curam pro centum, imò mille hominibus non susciperet, sed suos canum loco habeat, quemadmodum experientia testatur. Classis, quę celeriter progrediebatur, versus Septentrionem promontorium Beatum conspexit: deinde aliam editam terram, versus Orientem, apud promontorium Tuberones: tum angulus Occidentalis insulę Spaniolæ, postmodùm promontorium Maria, postremò insula seu scopulus de Pynos, ad insulam Cubā situs, apparuit. Ineunte mense Augusto, cùm tempus ad nauigandum maximè oportunum esset, & hostis de nostro aduentu nihil dum resciuisset, consilium, cuius causâ hoc iter susceptum esset, publicatum fuit, nempe vt argentea classis Hispanorum interciperetur. Vt igitur omnes scirent, quomodo in omnem casum se gerere deberent, singulis navibus ordo præscriptus fuit, quo omnia, quę vsus & tempus postulabat,: tam alacri animo erant, quasi non ad pugnam cum hoste ineundam, sed ad conviviumaut triumphum ducerentur. Itaq; sursum ac deorsum vecti, omnes angulos & latebras perreptabant, ac tandem ad promontorium Corientes peruenerunt, vbi fundū figendis anchoris idoneum invenerūt.

Augustus.

Hic duę naves illis in conspectum venerunt, quas vsq; ad vesperam fluitare permiserunt. Tūc classis præfectus candido Leoni, navi Dordracenę, & duabus liburnicis, Vulpi & Mudensi, imperavit, vt vela darent, & vt singulę peculiarem cursum instituerent, vt omni ex parte nauibus illis viam intercluderent. Postridie candidus Leo duas illas naves adduxit, quæ non hostiles erant, vt putabamus, sed amicę, nempe ruber Leo & paro Amstelrodamensis, quæ etiam ab hoc tempore apud classem manserunt. Hæ referebant, ad Granadam, vbi se refecissent, 34. è suis à barbaris fuisse oppressos & trucidatos, quoniam paullo antè aliquot Galli, qui se Hollandos perhibeant, eò appulerant, & multos ex barbaris abduxerant, quosdā etiam interfecerant: quod facinus barbari in Hollandos, quanquam innocentes, vlti sunt. Post hæc nostra classis promontorium S. Antonii perivit, quod est sub 22. grad. 20. minut. Terra est depressa, arboribus plena. Illic præfectus classis mandatum per fiscalem promulgauit, quo edixit, ne quis, quicunq; esset, ad littus navigaret aut enataret, pœnâ arbitrariâ constitutâ. Postmodùm decretū fuit, vt iter promontorium S. Antonii & Tortugas classis admoueretur, & illic naues obseruarentur, quæ ex Porto Bello, Honduras & Nova Hispania aduenirent. Cum illic in anchoris starent, procella cum pluvia, tonitru & fulgure insurrexit, quæ aliquot dies perpetim duravit, & quasdam naves ac liburnicas labefactauit. Itaque consultum judicatum, ad Tortugas velificari, & navibus, quæ Havanam ituræ essent, insidias moliri. Postridie manè duas naves vidimus, quę rectà classem petebant. Cùm illæ eò vsq; venissent, vt naves nostras agnoscerent, vela conuertere conabantur, sed frustrà. Nam vna à liburnica Mudensi, altera à longa biremi capta fuit. Erāt illæ duæ biremes ex Havana, quæ in locis arenosis prope Tortugas piscabantur: in vtraq; erant 28. homines, qui nihil aliud habebant, quàm 200. pisces, & vnam testudinē. Putabant illi, nostram classem esse classem argenteā, quę ex Porto Bello veniret: itaq; accedebāt, vt suos pisces venderent. Vna biremis ante 14. altera ante 24. dies ex Havana solverat. Hispani captivi aiebant, Havanensibus nihil constare de Belgica classe: & classem argenteam ex Porto bello & nova Hispania nondum in Havanam appulisse, cùm inde egrederentur. Præterea narrabāt, Petrum Adriani F. archithalassum Flissingensem cum septem navibus isthic fuisse, & Calendis Augusti duas naves ex Honduras, cochenillo, annillo, salsaparilla, indigo, & aliis pretiosis mercibus, quæ aliquot myriadibus auri æstimarentur onustas cepisse.

Hollandi Gallorum petulantiam luunt.

Promontorium S. Antonii ad insulam Cubam.

Primum nūtiū, quod Hollādi accipiunt de argentea classe.

Vesperi

Vesperi ventus classi nostræ fauebat, & manè Sole oriente, vidimus altam terram Cubæ, inter portum Puercum & Hauanam. Præfectus classis duas liburnicas versus Austrum, & totidẽ versus Septentrionem misit, qua cuncta explorarent. Sub id tempestas incubuit, cum nimbo, vento, tonitru & fulgure, ita vt nauis Dordracenæ malus ictu fulminis confringeretur, & vnus necaretur, alter membris caperetur.

Secundum nuncium.

Sedata tempestate, aliam nauem conspexerunt, ad quam capiendam præfectus classis aliquot lembos cum longa biremi emisit, qui eâ statim potiti sunt. Hispani captiui dicebant, Hauanenses ante septem vel octo dies nostram classem conspexisse: atque iccirco Gubernatorem, Laurentium de Cabrero, hanc biremem emisisse, vt Hispanicam classem quæreret, & de Hollandorũ aduentu moneret. Se verò nullas naues vidisse. Præterea aiebant, classem ante sex dies nondum in Hauanam appulisse, quamuis omni conatu eò tenderet: in portu autem Hauanensi vnam tantummodò nauim præsidiariam esse, cum duobus paruis nauigiis.

Hoc tempore classis nostra tribus circiter milliaribus à littore aberat, è regione montis, qui vocatur Tabula Marini, septem milliaribus à Hauana, Ortum versus. Inde classis rectà ad Hauanam perrexit, intra iactum tormenti, vt videret, quænam illic naues essent, quia simplici hostium assertioni fidendum non arbitrabatur. Nullas tamen ibi naues, nisi duas aut tres cum aliquot biremibus conspexit, ita vt captiuorum relatio cum rei veritate consentire videretur.

September.

Ineunte Septembri præfectus classis, habito consilio, statuit, liburnicam Vulpem Tortugas mittendam, vt exploraret, annon illic aliquot biremes essent, ad monendam argenteam classem emissæ: & vt naues ex Selandia aliasque peruestigaret. Interea tota classis hac illac velificabat, sic tamen, vt vrbem Hauanam semper in conspectu retineret. Ventus spirabat à Meridie, & talis triduum aut quatriduum permansit.

Tota classis congregata.

Die 7. Septembr. manè, orto Sole, sex vela conspeximus, quæ ad nostram classem tendebant. Is vehebatur Iodocus Banckerus, subpræfectus, secum ducens quinq; naues & vnam liburnicam, nempe Neptunum Veriensem, Aureum Solem, Monachodamum, Delphinum, Aureũ Leonem & Pegasum. Præfectus classis magno harum nauium, & illæ classis desiderio tenebantur: neque tamen se citius iungere potuerunt, quàm pridie eius diei, quo classis argentea ex noua Hispania detecta & capta fuit. Iamq; classis integra erat, exceptâ Tigride & Veteri Flissinga ex Selandia: quarum loco aliæ aduenerant, nempe Leo ruber & paro Amsterdamensis, vt supra dictum est, ita vt in vniuersum essent viginti nouem, tam naues quàm liburnicæ. Hæ omnes cursũ suum versus Meridiem ad portum Maranzæ instituerunt.

Portus Maranzæ.

Noctu nauigiolum Hispanicũ in ipsas incidit, iuxta Candidum Leonẽ, qui in excubiis stabat. Nauclerus, qui putabat, illud ad classem pertinere, ad Hispanum clamauit, vt recederet, ne ad suam nauim allideret. Hispanus, qui similiter arbitrabatur, se inter suos versari, quandoquidem Hollandum non intellexerat, suo idiomate respondit: *Que quiereis? Q requiereis?* Cùm nostri nautæ hoc peregrinũ idioma audirent, præ lætitia manibus comploserunt, dicentes: Sunt Hispani, hîc laridum habemus. E vestigio duo tormentorum ictus contra nauigiolum illud displosi fuerunt, in quod nautæ protinus cum lembis & cymbis inuecti sunt, & id nullo negotio occuparunt.

Prima nauis Hispanica capta.

Argentea classis Hispanorum conspicitur.

Postridie manè qui erat 9. Septembr. circiter 20. naues conspeximus, & hæc erat votis nostrorum dudum expetita classis argentea ex Noua Hispania. Quantâ lætitiâ præfectus classis, archithalassus omnesque duces & officiales perfusi fuerint, verbis exprimi nequit. Ex illa classe 12. naues in primo agmine erant. Ventus spirabat ab Ortu, sed leniter. Nostri nihil cunctati in lembos & scaphas insilierunt, ac mox nouem ex ipsis, cùm maiores tùm minores, in potestatem suam redegerunt. Erant adhuc octo, ventum aduersum habentes, quæ tam procul à nobis aberant, quàm visus ex supremo malo penetrare poterat.

Cùm Sol ab Ortu solstitiali luceret, & vehementer ventus insurgeret, nostri tanto studio cursus obliquabant, vt iucundum esset spectaculum, videre, quomodo nostræ naues circumnauigarentur, vt ad Hispanicas propius accederent.

Naues in aciem disposita ad impetum faciendũ.

Principio præfectus classis Candido Leoni & Prouinciæ Vltraiectensi imperauit, vt cum nauibus captis, & iis, quæ fortè se abdiderant, Hauanam peterent, ibique exspectarent. Et quia vna nauis ex Hispanicis præcesserat, mandauit ille, vt Niger Leo & Aureus Leo eam persequerẽtur. Neptunum Delphicum, Gryphum & Nigrum Equitem iussit duas naues insequi, quæ oræ maritimæ appropinquarant, & eas aditu prohibere. Ipse cum reliquis nauibus & liburnicis, capto vẽto, omnem operam adhibuit, vt naues, quæ supra ventum erant, assequeretur, ratus, eas naues præsidiarias esse: quod etiam postea verum esse comperit.

Hîc Lector fortasse horisonum clamorẽ, acrem pugnã, & magnã cædẽ exspectabit. Nã si quod gen⁹ nauiũ est ad pugnã cõparatũ, sũt illæ naues præsidiariæ, arciũ instar & castellorũ exstructæ, &

magno tormentorum numero munitæ. Adhæc Hispani omnium gentium bellicosissimi esse volunt: & si quod pignus est, pro quo vsque ad mortem dimicandum sit, illud est aurum & argentum, Mammon & Deus huius mundi. Sed quid accidit? Hispani ne minimũ quidem obluctati sunt, sed cùm se præter opinionem à classe nostra oppressos cernerent, ita consternati fuerunt, vt fugam quamprimùm arriperent, & ad portum Matancæ properarent. Prætoria & subprætoria eorum ad malum, cui aliás ordinarium vexillum infigitur, vela incendiaria suspenderant, vt tantò facilius elaberentur. Illę sub occasum Solis Matanzam venerunt. Nostræ naues eas confestim sequutæ sunt: priores fuerunt Falco deauratus, Hollandia, Delphinus, & Tigris liburnica, quę cùm ostium Matanzæ subiissent, vela deduxerunt, exspectantes mandatum præfecti classis, qui subitò aduolauit, & tormentum displosit. Quoniam verò in portu Matanzæ loca vadosa erant, dimidio iactu scloppeti ab hostium nauibus anchoras iecit, & tormentis hostes infestauit.

Hispani fugam absq; vllo prælio arripiunt.

Interea acacium Horti Hollandici, & præfecti vigilum ac nauis Harlemensis, classiariis probè instructum, ad ipsius nauem accessit. Ille in acacium Horti Hollandici se contulit, & cum aliis ad hostium naues contendit, non tantùm vt sociis suâ præsentiâ animos adderet, sed etiã vt omnia vbique rectè ordinaret. Primò subprætoriam aggressus est, & quia non exiguus numerus Hispanorum in ea erat, aliquot scloppetorum ictibus contra eam displosis, proclamari iussit, *Bonne Guerre*: quo significabat se clementer cum ipsis acturum, neque vitam aut libertatem cuiquam erepturum: quam gratiam Hispani Hollandis nequaquam fecissent. Cùm subprætoria gratiam oblatam acceptasset, & Hollandi eâ potiti, præsidium ipsi imposuissent, præfectus classis Hollandicę cum suis acaciis alias quoque hostiũ naues inuasit, ac primò prætoriam tormentorum ictibus adortus est, simulq; suũ illud symbolum *Bone Guerre* repetiit. Hispani initio se defendebant: sed multitudinem atq; alacritatem nostrorum conspicati, symbolũ quoq; illud admiserunt, & armis positis in aluum nauis descenderunt. Tunc Hispanus ex naui in mare se coniecit, sperans, se natãdo euasurum: sed captus, & ad præfectum classis Hollandorum adductus fuit. Ille fassus est, etiamnum 150. homines in naui esse: quapropter classis præfectus hunc Hispanum cum Hollando ad ipsos misit, nunciatum, se adesse, & vitæ gratiam ipsis facturum, & saluos quamprimùm in terram expositurum. Quo facto, Hispani confestim ascenderunt, & nauim tradiderunt: qui etiam è vestigio in terram expositi, atque incolumes dimissi fuerunt. Cum

Classis argentea Hispanorum capitur.



Cùm Hispani in terram exscendissent, præfectus Hollandorum omnia in nauibus captis, quarum sex erant, ritè disposuit, cauitque, ne vlla cymba ad eas iret & rediret: deinde in suam nauim, quæ non longè aberat, se recepit, & gratias Deo pro tam insigni victoria egit: quod etiam in omnibus aliis nauibus factitatum fuit.

Postridie, qui fuit 9. Septembr. præfectus Hollandorum omnes naues suæ clasis remis sursum attrahendas, & captiuas nauibus imponendas curauit, quia Hispanos in fundum egerant. Inter naues captas erant quatuor præsidiariæ, nempe prætoria, cui nomen S. Francisco, quæ 25. æneis tormentis instructa erat, & quinque alia in aluô habebat: subprætoria, nomine S. Gertrudis insignita, 22. ænea tormenta vehebat: tertiæ nomen erat S. Lucia: & quartæ S. Ioannes: singulis 22. ferrea tormenta, & duo ænea imposita erant.

Quid naues emissæ præstiterint.

Hoc loco præfectum clasis apud naues, quas ceperat, relinquemus, sicut venatorem apud feram, quæ in casses ipsius incidit: & videamus, quid aliæ naues, quas emiserat, præstiterint. Neptunus, Delphicus, Griphus, & Niger Eques vesperi, propter tenebras, duas supradictas naues hostiles, quę ad oram maritimam erant, in conspectu retinere non potuerunt. Griphus & Niger Eques suos lembos contra eos miserunt, quæ ipsas in fundum impulerunt, ita vt quamprimùm rūperentur & interirent. Neptunus, littus legens, Hauanam petiuit, vt hostium naues ab ingressu arceret. Eôdem venerunt Candidus Leo, Prouincia Vltraiectum, liburnica Mudensis, Monoceros: quę quatuor captiuas secū trahebant. Hæ omnes, ex mandato prę̨fecti clasis illic substiterūt.

Nuntio aduerso fides ægrè adhibetur.

Die 10. Septembr. à meridie supradictæ naues nuntium acceperunt de occupatis nauibus præsidiariis Hispanorum, idque per liburnicam Naerdensem, quæ ex portu Matanzæ emissa fuerat, & omnibus nauibus Hollandicis significare debebat, vt quamprimùm ad præfectum classis se reciperent, qui cùm thesauro Nouæ Hispaniæ in portu Matanzæ esset. Hoc nuntium omnes vehementer exhilarauit: sed captiui Hispani fidem ei initio adhibere nolebant, præsertim quod de captis nauibus præsidiariis Hispanicis referebatur. Nam arbitrabantur, illas potius incendendas, aut perterebrendas aut submergendas fuisse. Cùm autem ipsimet in portum Matanzæ venissent, & quo loco res essent, viderent, in lachrymas soluti, altum corde suspirium duxerunt, quia non ignorabant, quantam tota Hispania iacturam, hoc thesauro amisso, faceret. Omnibus in terram expositis panes & casei in triduū suppeditati fuerunt, quib⁹ Hauanā peruenire possent.

Ingens thesaurus in classe Hispanica.

Diebus 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Septembris nostri in eo occupati fuerunt, vt argentum, cochenille, indigo & alias merces ex nauibus captis in suas transferrent. Erant circiter 46. vehes argenti, tam signati & numorum regiorum, quàm non signati, præter argentum arte elaboratum: item 2851. cistæ cochenille, indigo & aliarum mercium: magnus numerus pellium, vsque ad 37375. nec exigua ligni campetici copia, vt & auri: sicut ex subiuncto catalogo videre est.

Psittacus Hispanicus alieno tempore victoriam inclamat.

Non possum, quin hoc loco casum ridiculum commemorem. Cùm psittacus, qui in vna ex nauibus Hispanicis captus fuerat, sonitum argenti & numorum regalium, necnon risum & tripudium quæstorum audiret, semel atque iterùm Hispanico idiomate inclamare cæpit, *Victoria, Victoria*: *ò que buena va, ò que buena va! Victoria*: hoc est: Victoria, Victoria: ò quàm bene res successit: Victoria. Qua in re hic psittacus asinam Bileami imitatus est, & verum dixit.

Potus dapibus commodior.

Nec minùs hoc risu dignum videtur: Cùm omnes in transportandis mercibus gnauiter laborarent, & alter alteri diceret, Vtinam in hoc tam iucundo labore suauis vini potus nobis præberetur, ecce Hollandicam nauim, cui nomen erat Eques, quam præfectus classis paullò ante prædandi gratiâ emiserat, quæ nauim hostilem Hispanici vini plenam, quam Eques ad littus impulerat, adducebat. Hispani confestim exscenderant & diffugerunt, vino, quod recens ex Hispania aduectum erat, Hollandis relicto. Ex hoc vino non modò nostri, qui in classe erant, tantum acceperunt, quantum ad hilaritatem & delectationem sufficiebat: sed etiam classi ad iter, quod restabat, prospectum fuit.

Itaque omnes naues captæ exoneratæ fuerunt, exceptis quatuor nauibus præsidiariis, & aliâ oneraria, centum onerum capace, in quibus variæ merces relictæ fuerunt, quia nimis laboriosum erat, illas prorsus euacuare. In naui prætoria Hispanica 300. cistæ cochenille, indigo & aliis mercibus repletæ, vnà cum aliqua parte argenti manserunt: quæ tamen omnia postmodùm sub initium Mensis Octobris, ex mandato præfecti clasis, in alias naues Hollandicas translata, & in rationes relata fuerunt. In cæteris nauibus præsidiariis multæ pelles & alia relicta fuerunt. Hispanica quoque nauis, cui nostri nomen Medemblici imposuerunt, non omnino exonerata fuit, sed multum corii crudi & ligni campetici in ea mansit.

Quatuor supradictæ naues præsidiariæ cum naui Hispanica, viris, comeatu, omnique apparatu probè instructę fuerunt, vt in Hollandiam aduherentur: reliquas naues captas, vt & longam biremim, nostri submerserunt, quia ad iter in patriam suscipiendum ineptę erant.

Vasa colliguntur ad reditum in patriam.

Die 17. Septembr. horâ secundâ ante lucem signū datum fuit ad iter ingrediendū, & reditū in patiam instituendum. Igitur classis cursum suum ad Ortum solstitialem direxit, quæ 33.

naui-

nauibus cōstabat, quinq; Hispanicis eo numero comprehensis. Postero die victus ratio præscripta fuit. Cum classis altitudinem 30. grad. versus Septentrionem assequuta esset, duæ liburnicæ nempe Ciconia & Vulpes, præmissæ fuerunt, quæ lætum hoc nuntium in patriam perferrent: quò vtraque mense Nouembri feliciter appulit, illa in Mosam, hæc Texellam. Nauarchus Ciconiæ, qui primus hoc nuntium attulit, insigni torque aureo ab Ordinibus donatus fuit.

Classis procellis & tempestatibus agitatur. Classis, quoad poterat, liburnicas illas sequebatur: quæ tamen à mense Septembri vsque ad Decembrem multis procellis ac tempestatibus agitata fuit. Nauis præsidiaria S. Ioannis, quia rimis hiscebat, & aqua 6. aut septem pedum altitudine in ea extabat, iussu præfecti classis exonerata & cremata fuit, 9773. pellibus bouillis, cum magna copia ligni campetici, & omnibus tormentis totoque apparatu bellico in alias naues translatis. Paullo post nauis S. Luciæ etiam rimas agere cæpit, quibus tamen obstructis illa conseruata fuit. Nec nostri naues periculi atque aduersæ sortis immunes fuerunt: nam multæ ex iis vi tempestatis quassatæ, & huc illuc disiectæ fuerunt, ita vt postea rursus congregari non potuerint.

Ineunte Decembri Angliam & littus altum Dortmudæ conspeximus. Illic tres naues nobis occurrerunt, ad quas præfectus noster cursum illico intendit. Erant illæ tres naues bellicæ ex Hollandia, quæ classi nostræ obuiam missæ erant. Ex iis præfectus classis inter alia intellexit, liburnicas supradictas, in patriam saluas appulisse, nec non Aureum Leonem, Delphinum, Hollandiam, Vltraiectum, & Monocerotem, quæ præfectum classis longo tempore anteuerterunt.

Præfectus classis in Angliam appellit. Die 6. Decembr. Valmuthi anchoras iecimus, erantque eo tempore in nostra classe 9. naues præter tres supra dictas naues bellicas, nempe Amstelrodamum, Hortus Hollandiæ, Neptunus Veriensis, Neptunus Delphicus, Aureus Sol, Dordracum, & hæ liburnicæ: Pegasus, Muda & Tigris. Illic inuenimus nauem Monachodamum, quæ decem diebus illic substiterat. Mox archithalassus & quidam ex sanctiori consilio cum Fiscali, graui pænâ denunciatâ, sanxerunt, ne plures quàm tertia pars eorum, qui in classe erant, in terram exscenderent, reliqui interea in nauibus manerent: atque vt nemo diutiùs in terra maneret, quàm à mane vsque ad vesperam sequentis diei. Insuper mandatum, vt tres supradictæ naues bellicæ omnes portus Angliæ perlustrarent, & naues, quæ fortè illic in Anchoris starent, de aduentu præfecti classis certiores facerent: reliquæ naues bellicæ in mare emissæ, vt naues præsidiarias, quæ adhuc in mari oberrare putabantur, quęrerent, & ad præfectum classis adducerent.

Interea nunciatū fuit pręfecto classis & diuersis portubus, naues & liburnicas eò appulisse. Monsbayo scriptū fuit, paronem illic esse, qui paullò post Valmuthum ad pręfectum classis venit. Pleymutho allatum, septem naues cum liburnica eò appulisse: portū Vectis subierant Harlemū, Geldria, Candidus Leo, & liburnica Nardensis. Nauis S. Lucię octiduo post aduentum pręfecti classis, Valmuthi anchoras fixit: & quia valdè rimosa erat, 250. libris Anglicanis vendita fuit. Balistarius in hac naui propter motam seditionem, & quia nauclero minatus erat, se eum in mare pręcipitem daturum, supplicio affectus ter in aquam mersus, in numerum scelestorum relatus, puppi alligatus, & per aquam ad littus attractus; omnibusque suis stipendiis & parte pręda priuatus fuit, excepto sex mensium stipendio, pro ipsius vxore.

1629. Calendis Ianuar. anno 1629. pręfectus classis tympana pulsari, & iter in Belgium pronunciari iussit. Postridie naues bellicę Pleymuthum missę, quę nauibus illic hærentibus significarent, & si præfectum eâ vesperâ non conspicarentur, insulam Vectim peterent, ibiq; eum exspectarét.

Die 5. Ianuar. (quia ventus non citiùs euntes prosequutus est) præfectus classis, mari inflato, vela dedit, & versus Ortum brumalem cursum instituit, felici progressu. Omnibus captiuis delictorum venia data. Cùm secundum Portlandiam veheretur, liburnica Mudensis Vectim ablegata fuit, vt naues nostras, quę illic esse putabantur, iter capere iuberet: sed omnes iam discesserant, & Texellam feliciter appulerant.

Omnes naues saluæ domum redeunt. Naues Selandicę, nempe Neptunus Veriensis, quo archithalasi legatus vehebatur, Aureus Sol & Pegasus Helium petierunt. Naues Hollandicæ ad insulam Goredam contenderunt, quia Texellę triduum aut quatriduum subsistendum fuisset. Eo die, 9. mensis iam dicti, appulerunt præfectus classis cum naui Amstelrodamo, archithalassus cū Horto Hollandico, Neptunus Delphicus, & Monachodamum. Reliquæ naues & liburnicæ, nēpe Dordracum, paro, liburnica Mudensis, Tigris, Mosam ingressę sunt. Postmodùm naues Pleymutho Goredam appulerunt, excepta naui S. Gertrudis, quę subprętoria Hispanica fuerat. Illa in Selandiam inuecta est. Nauis Ruber Leo, cum Goredam subiret, confracta est: nihilominus homines, qui in ea erant, cum mercibus, tormentis, & omni apparatu nautico, conseruati fuerunt. In summa omnes naues, omnes merces, omnes socii nauales, omnis præda, per Dei gratiam, suis locis feliciter appulêre.

Plautus in Rudente.

Qui homo sese miserum atque mendicum dolet,
Neptuno credat sese atque ætatem suam.

Cata-

Catalogus mercium Hispanicæ classi ereptarum, & in Belgium aduectarum.

Pro Camera Amstelrodamensi: Nauis prætoria.

30616. pondo argenti.
5. cistæ argenti facti.
45. cistæ cochenille.
12. fasces cochenille.
25. cistæ siluestri.
94. cistæ indigo.
6. fasces serici.
5. cistæ serici.
5. arcæ serici.
1. arca serici.
2. arcæ vestium sericarum.
3. arcæ vestium sericarum.
1. cista in qua fuerunt duæ pretiosæ mensæ graphiariæ Indicæ.
1. cista barcellanæ. vnà cum 30 cistis & fascibus omnis generis mercium.

Hortus Hollandicus, seu nauis archithalassi.

24280. pondo argenti, cum 24. vasis argenteis.
208. numi argentei regales.
16. fasces cochenille.
60. fasces siluestri.
248. cistæ indigo.
7. fasces serici.
355. cistæ, dolia & fasces omnis generis aromatum & mercium, cum vario ornatu ecclesiastico ex argento & auro.

Nauis Harlemum.

8. cistæ cochenille.
16. mattæ cochenille.
10. fasces cochenille.
74. arcæ indigo.
49. arcæ indigo.
4. fasces serici.
13. cistæ aliarum mercium.
2046. pelles.

Nauis Geldria.

5922. pondo argenti.
2. fasces cochenille.
89. cistæ indigo.
7. cistæ vestium sericarum.
622. segmenta ligni Brasiliensis.
296. pelles.
110. dolia olei ac vini, cum 19. cistis & doliis aridarum & humidarum mercium.

Nauis Hollandia.

7397. pondo argenti.
4. fasces cochenille.
126. cistæ indigo.
2. duæ arcæ rubro ligno & aliis pretiosis mercibus repletæ.
1999. pelles.
140. pelles hædinæ.
15. orcæ saccari.
7. machinæ ferreæ, cum omni apparatu & commeatu.

Niger Leo.

2864. pondo argenti.
24. fasces cochenille.
68. arcæ indigo.
7. fasces serici.
1. fascis linteorum.

Ruber Leo.

5. fasces cochenille.
26. fasces eiusdem generis.
46. arcæ indigo.
4. fasces serici.
1. fascis linteorum.

Pro Prouincia Vltraiectensi:

1098. pondo argenti.
18. arcæ cochenille.
137. arcæ indigo.
28.. arcæ nondum apertæ.
1. cista rerum ignotarum:
1796. pelles.
24. fasces pellium.

Falco deauratus.

8. fasces cochenille.
72. cistæ indigo.

Niger Eques.

43. cistæ, fasces & cadi omnis generis aromatum, olei, & linteorum.

Candidus Leo.

1436. pondo argenti.
43. cistæ & dolium cochenille.
8. fasces serici.
1. arca serici.
916. prelles.
39. orcæ sacchari, cum 12. cistis & doliis mercium omnis generis.

Pro Camera Selandia: Neptunus, seu subprætoria.

238. cistæ argenti.
5. perticæ argenti.
1. gutturnium argenteum.
35. fasces cochenille.
71. arcæ argenti.

104. cistæ indigo.
23. fasces serici.
28. cistæ saccari.
30. cistæ omnis generis aromatum.

Aureus Sol.

14765. pondo argenti.
70. fasces & 50. storeæ cochenille.
4. arcæ eiusdem generis.
109. arcæ indigo.
160. fasces sassaparillæ.
500. pelles.
90. arcæ, dolia & fasces omnis generis mercium.

Pegasus.

9. fasces cochenille.
229. arcæ indigo.

Pro Camera ad Mosam Vltraiectum.

4174. pondo argenti.
773. numi argentei regales.
5. vasa argentea elaborata.
16. fasces cochenille.
50. arcæ eiusdem generis.
149. cistæ indigo.
13. fasces serici.
4. arcæ eiusdem generis.

Neptunus.

5446. pondo argenti.
18. arcæ cochenille.
12. fasces eiusdem generis.
38. arcæ indigo.
5. fasces serici.
3280. pelles.
100. cistæ, fasces & dolia omnis generis mercium & tapetum Indicorum, cum pretioso ornatu Missatico.

Dordracum.

9567. pondo argenti.
30. arcæ cochenille.
5. fasces eiusdem generis.
24. arcæ indigo.
12. fasces & arcæ serici.
2. arcæ rhebarbaræ.
1. trabes cinamomi.
1740. segmenta ligni campetici.

Pro Camera Groningensi.

11230. pondo argenti.
12. fasces cochenille.
9. arcæ eiusdem generis.
93. arcæ indigo.
4. fasces eiusdem generis.
4. fasces serici.
675. pelles.
100. cistæ saccari.
39. cistæ & fasces mercium omnis generis.

Aureus Delphinus.

6054. pondo argenti.
400. pelles.
50. cistæ saccari.

Pro Camera in parte Boreali.

Elephas.

6655. pondo argenti.
138. cistæ indigo.
1525. segmenta ligni campetici.

Monachodamum.

6702. pondo argenti.
53. cistæ indigo.
6?. fasces serici, indigo & cochenille.
1800. segmenta ligni campetici.
67. pelles.
4. machinæ ferreæ.


Ciconia, liburnica.

500. pelles.
Insuper appulit Vetus Flissinga, quæ vnà cum Tigride pro Camera Selandiæ attulit 56. cistas saccari, cũ variis instrumentis nauticis.

NOTA.

In quatuor nauibus præsidiariis Hispanicis relictæ fuerunt 37375. pelles. Item, in prætoria Hispanica remanserunt 300. cistæ, partim cochenille, partim indigo, cũ aliis cistis ignotis & nondum apertis: adhæc in vna captarum nauium magna copia ligni campetici: quæ omnia cum supradictis mercibus allata fuerunt. Omnis hæc prę da cùm argenti tum mercium, quę nunc extra periculum est, ad minimum 30. millionibus, seu 300. tõnis auri æstimatur. Pro hac tanta victoria per totam Hollandiã & fę deratas Belgii prouincias triumphatur, & solennes Deo gratiæ aguntur.

SECTIO



SECTIO DECIMA QVINTA.

De capta Olinda seu Phernambucco, vrbe Brasiliæ, quam classis Americanæ Societatis in fœderatis Belgii prouinciis die 7. Febr. anno 1630. occupauit.



QVādoquidem moderatores Americanæ societatis in fœderatis Belgii prouinciis anno Domini 1629. insignem classem, comeatu, apparatu bellico, omnibusque rebus ad memorabile aliquod facinus patrandum necessariis, inprimis selectis officialibus, classiariis & nautis optimè instructam adornarunt: supremo Magistratu & Principe Arausionensi consentientibus, de intercipienda celebri, populosa & commodo loco sita vrbe Olinda seu Phernambucco, quæ metropolis est amplissimæ regionis Brasiliæ in parte Septentrionali Americæ, consilium ceperunt. Supremus huius classis præfectus constitutus est vir fortis & præstans Henricus Cornelius Lonck, qui ante biennium, cùm argentea classis Hispanica caperetur, archithalassi munere functus erat: partes autem tribuni militum seu supremi classiariorum præfecti demandatæ fuerunt nobili ac strenuo viro Theodoro à VVartenburg. Hi cũ sua classe, ex consilio Dominorum moderatorum, mense Iunio, soluerunt, pars Texellâ die 23. modò dicti mensis, pars Goredâ die 27. eiusdem mensis, & initio mediocri vento ad locum præscriptum contenderunt, qui erat sinus seu portus insulæ S. Vincentii, ad viride promontorium Africæ in Mauritania. *1629. Classis apparatus & propositum. Iunius.*

Die 23. Augusti, cum circa insulas Fortunatas nauigarent, & sub insula Tanariffa essent, 38. naues Hispanicæ ipsis occurrerunt, sub imperio Friderici Toletani, contra quem Lonckius fortiter se defendit, quamuis octo tantùm naues penes se haberet: reliquæ enim nondum cum eo se coniunxerant. *Augustus. Prælium cum nauibus Hispanicis.*

Die 24. eiusdem mensis Hollandi Hispanos missos fecerunt: & Lonckius die 4. Septembr. cum 16. nauibus ad supradictum sinum seu portum S. Vincentii appulit, vbi quinque naues ex sua classe inuenit, quæ ante ipsum eò venerant. *September. Aduentus ad insulam S. Vincentii.*

Die 5. Septembr. Lonckius consilium habuit, & naues proximè ad littus accesserunt, vbi se quotidie refecerunt, illatis in naues hędis, capris & testudinibus, captaque multitudine piscium.

Die 9. plerique classiarii in terram expositi fuerunt, vt se recrearent, & in armis quotidie exercerent, donec reliquæ naues appellerent. Ad hæc mandatum fuit, vt naues purgarentur, & aqua in eas inferretur, vtique lembi & scaphę in omnem casum paratę essent.

Die 14. Octobr. ex monte conspecta fuit nauis in mari, ad quam insequendam liburnica, Hirundo dicta, emissa fuit, quę, cùm reuersa esset, retulit, se nihil percipere potuisse. *October.*

Die 29. nauis, cui nomen erat Concordię, Verià appulit, lętum nuntium afferens de occupatis duabus vrbibus, Vesalia & Bosco-ducis: quo audito classis non mediocri gaudio fuit delibuta. *Lætum nuntium ad classem allatum.*

Die 20. Nouembr. in sinum duę alię liburnicę intrarunt, Monoceros & Phęnix: ex quibus classiarii quamprimum in terram expositi fuerunt. Die 27. eiusdem mensis nauis Schvvolla appulit, cui pręerat Theodorus Simonis F. Die 29. quatuor alię naues portum subierunt, nempe Flauus Sol, in qua erat VVartenburgius, tribunus: Falco, Fortuna, & Luna dimidiata postero die venit nauis, Toletum dicta. *Nouember.*

Sequuta est 3. Decembr. Omelandia & mox Aurantius: tum die 5. Leęna, & nauis Campensis: die 7. liburnica Mudensis: die 11. Neptunus Delphicus, & Pegasus Selandię. Noctu minor nauis præsidiaria, Matanza: die 12. eiusdem mensis maior nauis pręsidiaria, Flisinga, appulit: nec non Rex Dauid, & Concordia, Dordraco missa. *December.*

Die 14. eiusdem mensis nauis pęnè incendio correpta fuit: sub meridiem duę alię naues appulerunt, nempe Salmo, & iunior Comes Mauritius. Die 18. venit insigne Hornanum. Hac die omnes classiarii ad naues reducti fuerunt, exceptâ vnâ cohorte, quę in littore mansit.

Die 19. dies precum per totam classem celebratus, & nomen Domini inuocatum fuit, vt porrò huic itineri benediceret.

Die 20. alia nauis aduenit, Viridis Fæmina dicta. Die 24. reliqui classiarii è littore in naues vecti sunt: atq; ita 26. eiusdem mensis omnes naues ex sinu Vincentii soluerunt (excepto aureo Salmone, qui adhuc versus Austrum hęrebat.) Constabat vniuersa classis 52. nauibus, & 13. lembis, eratque illa spectatu iucunda. *Numerus nauium in hac classe.*

1630. Die 30. cùm classis altitudinem 8. grad. & 18. minut. assequuta esset, præfectus candidum vexillum erexit: mox vna ex liburnicis, Canis odorus dicta, ipsum accessit, cui imperauit, vt maiorem nauim præsidiariam plura vela expandere juberet, quia nimis lentè progrediebatur.

Ianuarius. Calend. Ianuar. anni 1630. præfectus classis rursus candidum vexillum erexit: extemplò omnes naues perferendos, cum mandato, vt catalogum ægrotorum, qui in singulis nauibus essent, sibi afferrent. Sic vento vtcunque secundo velificarunt, & die 24. eiusdem mensis lineam Æquinoctialem trajecerunt.

Februarius. Die 2. Februar. peruenerunt ad altitudinem 7. grad. 17. minut. versus Austrum: ibi liburnica Mudensis & myoparo terram conspexerunt: ideoq; præcurrerunt, assumto secum Cane odoro. Postridie terram illam agnouerunt, eratque Parayba: vbi vnam ex tribus nauibus inuenerunt, quæ versus Septentrionem nimiùm declinantes à classe aberrauerant.

Die 4. liburnicæ istæ redierunt, quæ præfecto classis retulerunt, quam terram agnouissent: qui omnem operam adhibuit, vt cum nauibus sursum ascenderet, quia vndæ continenter versus Septentrionem fluebant, deinde versus Occidentem relabebantur, & ventus vndarum fluxum plerunque sequebatur. Tunc etiam duæ reliquæ naues, quæ à via aberrarant, nempe Custos nocturnus & deauratus Falco, ad classem redierunt.

Die 12. præfectus classis totum Senatum conuocauit, & rationes initæ fuerunt consilium de occupando Phernambucco commodè exequendi. Vnicuique naui suum officium præscriptum, eo, qui sequitur, modo:

Ordo præscriptus ad inuadendũ Phernambuccum. Primum agmen ducere debebant 16. naues: nempe, Luna, in qua nauarchus erat Nicolaus Florentius. 2. Enckhusa, cui præerat Laurentius Nicolai. 3. Schvvolla, cui imperabat Theodorus Simonis. 4. Vltrajectum, sub imperio custodis nocturni, siue præfecti vigilum, Cornelii Nicolai Melckmeyti. 5. Aurantius, ducem habens Iacobum Petri. 6. Nassouia, duce Craftio Frecks. 7. Matanza, duce Ioanne Cornelii F. 8. Omlandia, duce Henrico Cornelio Russo. 9. Græninga, duce Simone Valckero. 10. Fama, duce Auckero Douwes. 11. Aureus Leo, duce Iacobo Theurisio 12. Pegasus, duce Iano Iani F. 13. Flauus Sol, duce Petro Theodori F. 14. Aureus Sol, duce Iacobo Hugeno. 15. Hollandia, duce Thoma Sickes. 16 Nauis Maura. Omnes hæ naues, sub imperio Theodori à Wartenburg, tribuni militum, duobus paruis ab vrbe milliaribus versus Septentrionem in terram exponere debebant 2101. classiarios, & 699. nautas, qui inde ad littus incedentes vrbem inuaderent: in nauibus jussi manere 530. nautæ, secundùm vniuscuiusque navis magnitudinem distributi. Adhæc nauis Transisulana & liburnica Mudensis 55. nautas infra vrbem vehere debebat, qui observarent, an illic facultas esset quosdam in terram exponendi. Idem facere debebant navis Domburgum, & junior princeps Mauritius, atque experiri, num liburnicis aut aliis navigiis illac penetrari posset.

Præterea hæ naues portum subire debebant. 1. Leæna. 2. Niger Leo. 3. Deauratus Falco 4. Concordia Dordracena. 5. Cygnus. 6. Toletum. His injunctum erat, vt ad castellum maius S. Georgii applicarent, & illud assiduis tormentorum ictibus infestarent.

Tum hæ liburnicæ sequi debebant: Catascopium Hispanicum, Niger Eques, Vulpes, Concordia Veriensis, Fortuna, Canis odorus, Phænix, Monoceros, Ciconia, Syren Selandiæ, & Gallicus myoparo. Istæ in mandatis habebant, vt cum supradictis sex nauibus, parua vela panderent, & supra fauces consisterent, donec præscripto tempore, quando mare rursus excreuisset, facultatem haberent opus institutum perficiendi: quam ad rem duo signa classiariorum, quæ 232. viris constabant, & 350. nautæ ipsis attributi fuerant.

Præfectus classis has partes sibi sumserat, vt cum reliquis nauibus, nempe Amstelrodamo, Horto Hollandiæ, Salamandra, Prouincia Vltraiecto, Amersfortio, Campis, Æmilia, Naui turrita, Comite Ernesto, Neptuno, Rege Davide, Monachodamo, Insigni Hornano, Viridi Fæmina, Leone, Salmone, Lutra & Hirundine castellum comminùs peteret, & continua verberatione ad deditionem adigeret. Ille quidem officium præstitit: sed quia balistarii propter motum nauium supra fluctus, certos ictus emittere non poterant, parùm damni hosti intulerunt. Conatus quoque occupandi portum per eos, qui in vrbe erant, repressus fuit. Nam quia de Hollandorum aduentu certiores facti fuerant, aliquot naues saccaro onustas in modò dicto portu merserunt, quæ postea ad littus fluctuarunt, saccaro eliquato leuiores factæ.

Hispani mergunt naues saccaro onustas.

Die 14. varij apparatus facti sunt, vt postridie susceptum consilium cum bono Deo executioni mandaretur: in quem finem vesperi preces in omnibus nauibus habitæ fuerunt, & mandatum, vt singuli sua signa sequerentur. Omnes naues tota nocte ad Austrum se converterunt, vt manè fauces superare possent. Sedecim naves supradictæ ad littus admouerunt.

Hollandi exscendunt in terram prope Phernambucco. Die 15. humili aqua, cùm versus Austrum à Phernambucco recessissent, vnaquæque nauis, vento secundo, ad locum constitutum vecta est. Præfectus classis ad orã littoris se contulit. Wartẽburgius ad latus Aquilonare littus legit, & ad fluvium Paomarellũ contẽdit. Ibi suos cum duabus

paruis machinis, quæ pilas ferreas trium librarum emittebant, in conspectu hostium in terram exposuit, vbi, nocte ingruente nihil amplius præstare potuit, sed noctem illam in littore transigere coactus fuit. Postridie omnes suos lembos & cymbas ad naues remisit, & suas copias in tres legiones distribuit. Primum agmen, in quo erat ipse Wartenburgius tribunus, ducebat vicarius ipsius, Adolphus ab Eltz: medium agmen, Hermannus Gothofredus à Steinkallenfels: vltimum primarius centurio Hautkius: hoc modo, seruatis ordinibus, secundùm littus incesserunt: donec ad fluuiolum, Rio Dolce, venerunt, qui ipsis transmittendus erat. Hic primum hostes resistere ausi. Nam 1800. Hispani & Lusitani, tàm equites, quàm pedites occurrerunt, qui se fossâ muniuerant, & fluuiolum illum sibi adminiculantem habebant. Hic acriter pugnatum, nec pauci ab vtraque parte ceciderunt, plures verò sauciati fuerunt. Nostri autem milites tam fortiter se gessêrunt, vt Hispani tandem loco cederent. Cùm nostri aliquousque progresi essent, aliud agmen Hispanorum se obtulit, qui tamen leui prælio commisso, mox in fugam versi in siluam se receperunt, ex qua licet postea prodirent, tamen nostrorum impetum non sustinuerunt, sed fugâ suæ saluti consuluerunt. Wartenburgius cæptum vrgens, cum suis ad vrbem peruexit, quæ pauore repleta erat. Nostri igitur in eam ad latus Aquilonare enixi, collegium Iesuitarum, quod munitissimum erat, portis terrâ obstructis, expugnarunt. Nam portas securibus effregerunt, & omnes, quos in armis inuenerũt, ferro strauerũt: reliqui fugâ elapsi sunt, mortuis & sauciis à tergo relictis.

Primus conflictus cum Hispanis.

Vrbs Phernambuccô capitur.

Interea cùm ii, qui in castellis & munimentis in littore exstructis erãt, hæc omnia viderent, & vltimum agmen sub Hauckio, præfecto vigilum, in eos gradum inferre, ac plures in terram exponi animaduerterent, quos Lonckius VVartenburgio submittebat, quia conatum suum de occupando portu, propter submersas naues, vt dictum est, ad exitum perducere non potuerat, se quoq; ad fugam compararunt, & displosis aliquot tormentorum ictibus euaserunt, omnia, quę habebant, hostium arbitrio permittentes. Ciues quoq; qui in vrbe erant, & aliquot ante diebus bona sua, metu periculi, auexerant, (quamuis gubernator, Matthias Dalbuquerquis, id sub pœna capitis vetuisset, vt illi studio conseruandarum suarum opum, vrbem fortiter defenderent) fugam meditabantur. Cùm igitur Gubernator videret, quòd Phernambuccenses Belgas magis quàm ipsum reformidarent, & primùm suis facultatibus deinde sibi ipsi fugâ consulerent, vt hãc inobedientiam vlcisceretur, promptuariis mercium ignem iniecit, in quibus die 17. Febr. 15000. cistæ saccari conflagrarunt. Hoc perpetrato, fugitiuos suos ciues sequutus est, & reliqua suis centurionibus commendauit.

Hispani sua munimenta deserunt.

Magna vis saccari incendio perdita.

Atq; ita Wartenburgius vrbe potitus est, qui circiter 50. aut 60. ex suis, partim nimio æstu enectos, partim inter pugnãdũ occisos, desiderauit. Secundùm hæc Iesuitarum collegium, & omnes suos aditus diligenter muniuit. Die 20. Febr. postquàm præsidium vrbi impositum, & omnia in ea benè ordinata fuerunt, Senatus bellicus decreuit, vt in castellum, ad oram maritimam situm, impressio fieret: quod negotium Stein Callenfelsio & 400 aut 500. classiariis demandatum fuit. Ille strenue rem aggressus est. & castellum illud noctu tribus horis oppugnauit. Quia verò scalæ iusto breuiores erant, nec portæ effringi poterant, adhæc nostri ex minori munimento tormentis, ferri segmentis & grandine plumbea oneratis, infestabantur, visum fuit ab oppugnatione desistere, cum iam 20. ex nostris occisi, 40. aut 50. vulnerati fuissent.

Die 21. Baretta lustrata, & nauis, quæ in fundo iacebat, incensa, tum ratio inuenta fuit cum lembis in portum intrandi. Ad pagum autem, qui iuxta portum erat, vbi promptuaria mercium concremata iacebant, nulla vis facta fuit, quia mænibus, loricis & sepimentis circumdatus, & accessus ad terram admodùm difficilis erat. Die 22. nostri in muniendã vrbe atq; in primis collegio Iesuitarum gnauiter perrexerunt: pons quoq; in imo flumine prope vrbem stratus, quo merces, intumescentibus aquis, siccæ transuehi possent. Die 23. decretum fuit, vt munimentum in terra, cuniculis actis, oppugnaretur, nautis adhibitis, qui virgulta cæderẽt, quibus gerræ conficerẽtur.

Die 25. omnes plateæ in vrbe prætenturis contra impetum hostium firmatæ fuerunt. Die 27. Elsius fossam contra munimentum inter pagum & vrbem situm duxit, & postridie propugnaculum excitauit, cui sub vesperam in eo opere Hauckius, præfectus vigilum, successit, apud quem Wartenburgius vsq; ad diluculum sequentis diei mansit, quo tria mediocria tormenta propugnaculo imposita sunt, quibus toto die fulminatum fuit.

Die 2 Martii obsessi candidum vexillum erexerunt, & centurionem emiserunt, cum quo transactum fuit, vt Hispani munimento, certis conditionibus, exirent. Tum VVartenburgius assentiente præfecto, classis & toto Senatu, alterum munimentum, ad portum situm, misso tympanista & interprete, sibi dedi postulauit. Mox datis vtrinq; obsidibus, eædem, quæ priùs conditiones pactæ, & secundùm eas deditio facta fuit. Sic Hollandi vtroq; munimento potiti sunt.

Martius. Hispani vtriusque munimenti deditionem faciunt.

Postridie 3. Martii, VVartenburgius Stein Callenfelsiũ ad insulã Antonii de Vaz, è regione pagi sitam, misit, qui nemine in ea reperto, in cœnobio, quod in ea insula exstructũ erat, castra posuit.

Eodem

Eodem die profunditas ingressus in portum explorata fuit, in quem nonnullæ naues, liburnicæ atque omnes lembi se receperunt.

Locus est commodissimus, non tantùm ad figendas anchoras, sed etiam ad naues carinæ imponendas, & expurgandas: prout liburnica, Canis odorus dicta, quæ nuntium de capto Phernambucco in Hollandiam attulit, illic ante discessum purgata, instaurata & saccaro onerata fuit.

Eo tempore præfectus classis suum hospitium ad oram maritimam, Wartenburgius in Iesuitarum collegio, ipsius legatus in insula Antonij de Vaz habuit.

Articuli transactionis inita inter Henricum Lonckium, supremum classis præfectum, & Theodorum à VVartenburg, tribunum militum, nec non sanctioris Consilij Assessores, Americana Societati in fœderatis Belgii prouinciis merentes, in sinu ad Phernambuccum tunc versantes, ab vna parte: & Antonium de Lima, præfectum castelli S. Georgii, nomine Regis Hispaniarum, ab altera parte.

Conditiones deditionis duorum castellorum.



Rimò tenebitur modò dictus Antonius de Lima præfecto classis Hollandorum & tribuno militum atq; assessoribus Consilii sanctioris dedere castellum S. Georgij cum omnibus machinis & pertinentiis, nec non omni apparatu bellico, prout nunc omnia & singula in modò dicto castello inueniuntur.

Facta deditione idem Antonius de Lima, & omnes ipsius milites, cum armis consuetis, attamen absque vexillis & funiculis ardentibus, ad alteram fluminus ripam, seu continentem, nauigiis & lembis transuehentur: vnde ipsis licebit proficisci, quocunque volent.

Pro certitudine reditus modò dictorum nauigiorum & lemborum ipse Antonius de Lima, obsidis loco, hîc remanebit, donec milites omnia pacta compleuerint; ipse verò spondet, quàm chara sibi sit animæ salus, se nauigia & lembos, quibus transvehetur, absque mora & damno in castra Hollandorum remissurum esse.

Præterea idem Antonius de Lima fidem dat pro se & suis militibus, se militibus, se intra sex menses ab hoc die numerandos arma non laturos contra Principem Arausionensem aut Ordines Belgij fœderati: ita ipsum & suos juvet Deus trinus & vnus.

Hæc ita acta & transacta fuerunt in castris ad castellum S. Georgij prope Phernambuccum, die 2. Martij, anno Domini 1630. Subscriptiones fuerunt:

Henricus Cornelius Lonck præfectus classis.
Theodorus à VVartenburg, tribunus militum.
Antonius de Lima, præfectus castelli S. Georgii.

Iisdem conditionibus, cùm ipsi exhibitæ fuissent, etiam castellum ad mare dedidit præfectus illius Manuel Pacheco el Guyar: Subscriptiones fuerunt, vt supra, nisi quòd loco Antonij de Lima, hæc nomina apposita fuerunt:

Manuel Pacheco el Guyar, centurio.
Petro Barboza, subcenturio.

Catalogus eorum, quæ in vrbe & munimentis ad Olindam reperta fuerunt.

In duobus castellis ad littus, versus Boreale & Australe latus vrbis, repertæ fuerunt in singulis quatuor machinæ ferreæ, quarum vnaquæq; pilas quatuor pondo mittit: sunt octo machinę.
In iisdem repertæ sunt pulueris nitrati — sexcentæ libræ.
In collegio Iesuitarum 30. cadi pulueris nitrati: vno æstimato pro 100. libris, sunt ter mille libræ.
In telonio 5. cadi, vnoquoque 200. libris ad summum æstimato, sunt mille libræ.

Summa pulueris nitrati 4600. libræ.

In Castello S. Georgii, prope promptuaria mercium, hæc reperta:

24. phalangæ ferreæ, quarum singulæ fuerunt 10 librarum ferri.
4000. libræ pulueris nitrati, cum satis magno numero pilarum ferrearum.
30. Libræ globorum majoris scloppeti, quorum decem libram conficiunt.
40. libræ funculorum.
1. machina ænea, octo libras ferri emittens.

Magna

Magna copia granatorum, & multa ignitabula.
2. cadi vini Hispanici.
1. Cista saccari.
Aliquot Amphoræ vini.

In Castello ad mare sito reperta sunt:

15. ænea tormenta, cum insignibus regum Hispaniæ, Philippi II. & III. Quædam etiam insignia regum Lusitaniæ gerebant, & erant generis mediocris, quæ pilas 10. 18. & 20. librarum jaciebant.
1. machina ænea serpentina, decem libras ferri mittens.
14. cadi pulueris nitrati, quorum singuli 120. libras continebant.
Magnus apparatus pro machinis.
Magnus numerus maiorum pilarum.
60. libræ funiculorum.
Magnus numerus hydriarum, aquâ, vino Hispanico & aceto repletarum.
7. facci & cistæ farinâ plenæ.
Aliquid carnis & piscium salitorum.

His omnibus gestis & in rationes relatis, præfectus classis liburnicam, quæ canis odorus diceбatur, purgari curauit, & in Hollandiam misit, vt hanc insignem victoriam patriæ nunciaret, quæ 9. Martij Phernambucco soluit, & 26. Aprilis Texellam appulit.

F I N I S.

